This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Educ 1119.670

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

BOUGHT FROM THE

CHARLES WILLIAM ELIOT
BOOK FUND

2136.

# VITAE
## VIRORUM ILLUSTRIUM
### SEMINARII PATAVINI
CUM
### OPUSCULO
DE SINGULARI
## B. GREGORII BARBADICI
STUDIO ET AMORE IN IDEM SEMINARIUM

AUCTORE

JO. BAPTISTA FERRARI

CUJUS LAUDATIONEM PRAEMISIT

SEBASTIANUS MELAN

J. U. D.

ET IBIDEM STUDIORUM PRAEFECTUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXV.

~~Educ 5065.70.5~~
Educ 1119.670
HARVARD COLLEGE
APR 20 1926
LIBRARY
Charles William Eliot fund
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

*ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO*

# *FRANCISCO SCIPIONI*

## *DE DONDIS AB HOROLOGIO*

*EPISCOPO PATAVINO*

## *SEBASTIANUS MELAN*

## *F.*

*Si quis servans domi summi alicujus pictoris tabulas affabre elaboratas, vult eas ex latebris educere, et in conspectu plurimorum illustri loco proponere, nihil, credo, sollicitus est de artificis imagine fingenda, et inter alias splendide collocanda. Videt enim, quam dedeceat formam addere, neque parem ceteris pretio futuram, neque certe proximam. Vivit nimirum artifex, ac prope spirat eorum in ore et vultu, quos naviter expressit: alieno non eget penicillo, qui claret suo. Si*

*ita res est, vereor, ne quis mihi graviter suo-censeat, quod, cum Vitas omnes tum editas, tum ineditas virorum insignium Seminarii patavini a Joanne Baptista Ferrario pulcherrime scriptas, tamquam nobilissimas imagines, in lucem proferre jubeat una cum Opusculo de singulari B. Gregorii Barbadici studio et amore in Seminarium patavinum, audeam temere ipsius auctoris effigiem adumbrare, eamque, novum velut signum, aliarum in numerum referre. Quid enim inter praeclara monumenta vulgari ac rudi simulacro loci esse potest? Aut quis eum gloriae commendare velit, qui in aliis commendandis propriam ingenii gloriam est consecutus? Quamquam hoc mihi temeritati, vel audaciae minime tribuendum. Non enim id feci spe ductus aliqua laudis, quam omnem mihi praeripuit vir clarissimus, sed quod in meo pectore plurimum valet ejus memoria; neque mea sponte, sed tua voluntate et consilio, Maecenas sapientissime, qui honori prospiciens hujus domicilii, nihil magis optas, quam ut tuorum merita ac virtutes innotescant, et justo praeconio exornentur. Fave igitur operi, cui perficiundo auspicia dedisti; adspice, brevi tamquam in tela, hominem egregium, quem circumstant amplissima nomina, et quasi vultus illustrium majorum; hunc Tu, peritissimus omnis vetustatis, sustine auctoritate tua, et etiam gratia; ac, si parum elegans et excultus tibi spectandus objicitur, fac eum ex aliorum potius imagine et insignibus, quam ex ipso ejus ore habituque cognoscas.*

# ORATIO

IN LAUDEM

# JO. BAPTISTAE FERRARII

IN SEMINARIO PATAVINO

STUDIORUM PRAEFECTI

Etsi liberales disciplinae, poesis, eloquentia, et historia uno quodam affinitatis vinculo continentur, et se ipsae per se tuentur singulae; nescio quo tamen fato et infortunio contingit, ut fere semper sejunctae, suo quaeque cultore gaudeant, nec tam facile soleant unius domicilii jure et communione consociari. Sive enim id eveniat ex humanae vitae brevitate arctissimis finibus circumscriptae, qua nequit vir litteratus industriam suam in plura studia distrahere, et in omnibus eminere; sive ex ingenii imbecillitate, et obscuritate rerum, quae tanta utraque est, ut unus vix in re una valeat excellere; sive ex nimio et immoderato in unam aliquam facultatem amore ac studio, ceteris posthabitis atque neglectis; sive denique ex dissimili harum ipsarum artium natura, cum historiae austera brevitas poeticarum ima-

ginum ubertatem et licentiam, haec vero oratoriae gravitatis leges quodammodo dedignetur; quaecumque demum hujus discidii causa sit, certe prope neminem invenias, qui triplicem hanc palmam multa cum laude fuerit consecutus. Eloquentissimus Tullius; quis tamen poetae nomen (licet in hoc ille multum operae impenderit (1)) eidem concedendum esse existimaverit? Quanta in scribendis latinis versibus Ovidii facilitas et copia! non sibi tamen ad tentandam fori facundiam enitendum esse putavit (2). Ornatus homo in dicendo, et gravis (ut unum e nostris etiam commemorem) Jacobus Facciolatus; non tamen clarus poeta (3). Historicorum demum in numero, non poetarum vel oratorum Sallustius, Tacitus, Cornelius, aliique habendi sunt paene innumerabiles (4). Illum itaque summum hominem et admirabilem dixero, qui haec omnia complexus in omnibus non vulgarem ho-

(1) Vide Middleton *Storia della vita di Cicerone lib.* 1.

(2) Saepe pater dixit, studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis; totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis;
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere, versus erat.
*Ovid. Trist. lib.* 4. *eleg.* 10. *v.* 21.

(3) Vide ejus academicas commissiones, quae post seriem orationum habentur.

(4) Meminit Tiraboschius de historico quodam, qui cum ad poesin animum convertisset, rudis ad haec studia humaniora visus fuit. *Storia della lett. ital. lib.* 2. *c.* 8.

noris fructum, existimationemque retulerit. Quibus igitur laudibus, quibus praeconiis efferam clarissimum hominem, illustrem fama nominis, spectataeque virtutis, hujus domicilii lumen et ornamentum, qui tamdiu praefuit nostris litteris ac scientiis mira dexteritate studioque praestanti, qui mihi in ejus locum suffecto spem nullam novae laudis comparandae reliquam fecit, Joannem, inquam, Baptistam Ferrarium, gratum bonis omnibus nomen, carum atque acceptum huic sedi, universae litteratissimae civitati jucundissimum? Is scilicet in omnibus studiis liberalibus honestisque versatus haec tria multum dissimilia singulari industria et prorsus nova copulavit atque conjunxit; idem enim poesi, idem eloquentia, idem historia valde praestitit, et has singulas facultates sua quadam nativa ac sincera ingenuitate exornavit. Liceat mihi igitur, humanissimi ac sapientissimi viri, relicta vetere dicendi consuetudine (1), quod jamdiu optabam, in ejus laudes excurrere, et vobis vatem, oratorem, historicum plane ingenuum exhibere. Quod quidem specimen ac munus gratae recordationis hoc praesertim tempore praestandum existimavimus memoriae hominis nobis quam conjunctissimi. Cum enim jussu amplissimi Antistitis et Maecenatis de

(1) Ex loci hujus consuetudine in orationibus, quae ad instauranda studia quotannis haberi solent, fere semper sumitur ad dicendum argumentum aliquod ex humanioribus, aut gravioribus disciplinis petitum, quod oratorie non explicatur modo, sed etiam exornatur.

gloria nostra valde solliciti illud tamdem in lucem prodire debeat opus integrum et absolutum, quod a viro praestantissimo elucubratum fuit et inscriptum: *Vitae Virorum illustrium Seminarii patavini*, idcirco officii mei esse duxi hoc publice et solemniter omnibus praenunciare, et spectatissimum senem suis lineamentis expressum eo honore afficere, quo ipse alios digne ac splendide honestavit.

## I.

Ingenuum dicendi genus illud intelligo, quod non moribus noxium, non peregrinum, non inflatum, neque involutum, sed integrum, nitens coloribus suis, sincerum atque perspicuum ex ingenio simul ac virtute, duplici quasi origine proficiscitur, ut profluens a fonte amnis, qui nulla externa admixtione corruptus aequabili lapsu, suoque perlucido liquore intuentium oculos suaviter detinet, et mirifice oblectat. Imago enim animi vox est ac sermo; quare virtuti atque ingenio, quae duo sunt plurimi aestimanda animi decora, respondeat oportet, ut ingenuus et habeatur et sit. Quae praeclara dicendi ratio, sicut oratori cuilibet et scriptori, ita praesertim poetae adhibenda est: hic enim, cum prodesse debeat et oblectare (1), nisi virtutem habeat ut prosit, et vividam imaginandi vim, ut oblectet, numquam poterit excellere, aut aliquam

(1) Poetarum est » *Et jucunda et idonea dicere vitae* «. Horat. art. poet. v. 334.

sui famam relinquere. Atque ut primordia faciam ab hac postrema facultate, a poesi nimirum, quae primus ingeniorum solet esse flos, et quasi partus; si quis in eadem gloriam non mediocrem adeptus est, is certe Ferrarius fuit, qui ad bonos mores et ad omnia humanitatis studia a natura informatus haec duo a prima aetate, tamquam optima germanae poeseos elementa atque principia, excolenda, et quotidie magis augenda curavit. Itaque adolescens egregia indole, summa spe, ex loco, ubi natus est (1), quem Trestum vocant (2), agri patavini vicum, in hoc domicilium exceptus (3) disciplinae continenter vacare et pietati, quae una omnium est artium fundamentum; litteris cum latinis, tum etiam graecis erudiri; in graviores deinde facultates incumbere (4) tanta, etsi juvenis, probitatis et ingenii laude, ut, gloriose absoluto studiorum curriculo (5), ex adolescentiae ludo

(1) Natus est XI Cal. Jul. ann. 1733 parentibus Thoma Ferrario et Laura Carleschi.

(2) Non longe ab oppido atestino, quod sicut majorum fama, ita studiis litterarum commemorabile.

(3) Cum ageret annum 12.

(4) Adhibitis doctoribus magnis viris, quorum ex numero fuisse accepimus Clementem Sibiliatum, qui illum imbuit rhetorum praeceptis, et Marcum Antonium Trivellatum, qui theologica facultate eumdem instituit. Vide utriusque vitam pag. 213. et 168.

(5) Studiorum cursum absolvit mense Augusto ann. 1755; quo tempore publicam theologiae dogmaticae disputationem cum plausu sustinuit, et IV Idus Septemb. ejusdem anni

ad instituendae juventutis officium in litteris amoenioribus sapienti moderatorum consilio traductus fuerit, et in praeceptorum numerum cooptatus, Sapienti, inquam, consilio; fuit enim munus illud, auditores, illustris propemodum palaestra, in qua ejus virtus et ingenium mirabiliter eluxit non plus doctrina et eruditione, quam vitae gravitate, atque adeo dignitate discipulis ad exemplum proposita, cura et vigilantia adeo acri et assidua, ut aliquando etiam severior videretur, usu docendi quotidiano, ac praesertim interpretandis veteribus dicendi magistris, ex quorum consuetudine sensim hausit spiritus romanos, et illam praecipue facilitatem, qua, quidquid mente conceperat, prompte et expedite versibus explicabat, prorsus ut verba sequerentur, et sponte fluerent.

His exercitationibus prope alta atque aucta, hisce studiis exculta tamdem erigere se se virtutis et ingenii socia imo alumna poesis pulcherrima; grandior in dies assurgere, ex umbratili academiae ludo (quam scholam tum ille profitebatur (1)) tamquam e tabernaculis in aciem lucemque procedere, tenere quotannis suavissimo concentu, ut mos est hujus loci, doctas aures eruditae civitatis, qua auditorum frequentia! quam ingenti et quam secunda admurmuratio-

---

lauream theologicam promeruit, in amplissimum virorum doctorum sacrum Collegium receptus.

(1) Ad hanc scholam, quae aliarum humaniorum princeps est, gradatim promotus fuit ann. 1767. Scholae hujus est adolescentium ingenium ac judicium acuere, atque perficere in iis, quae ad litteraturam pertinent. Vid. annot. pag. 116.

ne atque plausu! Equidem mihi ejus scripta perlegenti tanta occurrit, quasique lucet pulcritudo et excellentia, ut plurima quidem laude, multa etiam admiratione digna videantur. Non hic, auditores, ea vobis commemorabo, quae illi cum aliis vatibus sunt communia; non referam carmina et multa et varia ab eo scripta virgilianis numeris et heroica quasi dignitate; non dicam ipsum plurima argumenta Alcaei et Sapphus plectro nobiliter persecutum fuisse, fere omnia de rebus ad religionem spectantibus; non proferam tot illaboratas ac nitidas elegias, quae ovidiana facilitate decurrunt, in malos praecipue poetas et ad scribendi licentiam liberos; non tot epigrammata acute arguteque composita; non alia carmina gravi metro exarata, quae cum penicilli solertiam, tum animi pietatem maxime declarant; non haec, inquam, proferam aut recensebo; quandoquidem non omnia in omnibus summa sunt; pro suo cuique ingenio aliis grandia placent, aliis simplicia, quosdam lepidum quiddam et suave, quosdam nervosum aut severum delectat. Ferrarius illud praecipue secutus est, natura duce, poeseos genus, quod facetum ac simplex, quod ad hominum mores festivitate quadam informandos et castigandos idoneum; atque ita in eo excelluit, ut parem habeat prope dixerim neminem (1) vel certe paucos, et ad veterum poetarum gloriam videatur propius accedere.

(1) Excipias velim Joannem Costam, quem vivum laudare vereor, in omni genere poeseos latinae omnium judicio praestantissimum et dignum memoria posteritatis.

Cujus meae sententiae quaenam argumenta queunt majora esse iis narratiunculis hendecasyllabo eleganter concinnatis, quibus ipse ea, quae in vita hominum communi solent accidere, vitiosa, aut levia salsissime carpit, eademque politissimis facetiis, et catulliano lepore conspergit? Cui summopere non arrideat (sinite me, auditores, in ejus carminibus recensendis paulo longius immorari, cum solummodo in paucorum cognitione versentur, utpote jam diu tecta, et scriniis abdita ob auctoris modestiam) cui, inquam, summopere non arrideat hilaris descriptio magistri cujusdam, qui iracundia exardescens perstringit ac vellicat gravibus dictis et liberis objurgationibus discipulos clanculum jocantes, oscitantes, mussitantes, importunos?

» Verberabo ego vos, et amovebo,
» Mali discipuli, atque negligentes.
» Quae impudentia! quam insolens! videte.
» Hic secum male mussat, atque prave
» Distorquens oculos, manus et ora,
» Vel atro inficiens colore vultum
» Gaudet omnibus excitare risum.
» Ille, quem prope cernis, impudenter
» Tussit, exspuit, exscreat; nec umquam
» Tussire, exspuere, exscreare cessat;
» Ipsam quem precor exscreare linguam,
» Ne mihi nimia loquacitate
» Tam crebro miseras fatiget aures.
» Alter perlepide hiscit, oscitatur;
» Tum saepe in gremium caput reclinans
» Vafer crustula blanda vel mariscas,
» Et poma, et pira clanculum, nucesque

» Mandit, et cerasa; et suos repente
» Explosis ferit ossibus sodales.
» At quem sollicite videtis illic
» Se se multiplici movere flexu,
»(Bono hercle aucupio atque diligenti)
» Venatur culicesque pulicesque.
» Venare impropria, atque barbarismos,
» Erroresque alios, stribliginesque,
» Quibus saepe tuae perelegantes
» Scatent undique lucubrationes.
» Pingit hic phaleras, equos, quadrigas,
»(Pol belle satis et satis polite!)
» Avesque et nemora, atque praeliantes
» Secum ridiculos homunciones.
» Huic tergum tumet eminente gibba;
» Illi, ceu cucumis, tumescit alvus:
» Hic brevis pede claudicat, vel uno
» Captus est oculo; atque me insciente,
» Tam pulcra effigies et hac et illac
» Per totum errat identidem sedile.
» Interim schola personat cachinnis
» Tota, et immodico ruit tumultu.
» Rumorum satis: ilicet silete:
» Ohe, inquam, cito, garruli, silete.
» Tu primus recitato lectiones.
» Audistin? recitato lectiones.
» Fit statim Harpocrates, mihi referre
» Nec unum valet, alterumve verbum;
» Aut illas lacerat, malusque truncat
» Instar Deiphobi maroniani;
» Alvaros miseros Soariosque!

» Censores, asinum notate. Ridet.
» Rides? Flecte genu. Negas? Abibis
» Donatus ferula. Explica: tibi, inquam,
» Tibi qui sequeris. Resistis audax?
» Accede huc, male pertinax; vides hanc?
» Si mihi hoc iterum negare pergas,
» Tax, tax, huic tuo erit repente tergo.
» Quae impudentia! quam insolens! at illi
» Impudentius efferunt cachinnos.
» Abite hinc subito, quot estis, omnes
» Mali discipuli atque negligentes;
» Malo ego assidue vehesque passim,
» Et scrofas agere, et molas rotare,
» Fameque et rabida siti perire,
» Quam vos, o probra, litteras docere.
» Abite hinc, repeto, quot estis, omnes,
» Hinc omnes properate, abite pestes,
» Saecli dedecus atque litterarum.

Ad hoc ipsum festivae poeseos laetum genus et jucundum a natura factus quam belle ac lepide quemdam increpat Apicium, hominem voracem, qui metu esuritionis se interficit! Heluonem corripit nescio quem, edacitatis monstrum, avide properantem in Africae regiones ad ventrem marinis cancris exsaturandum! Fabullum exstimulat stipitem ac tigillum! Pungit ac defricat sale multo litteratos omnia perlegendi cupidos! Stoicos mordet ac sophistas! Exsuccos ac frigidos scriptores exagitat, attica urbanitate ex omni genere facetiarum conquisita!

Quid vero de ejus loquar acribus iambis? Quod metri genus propter summam, facilemque solertiam,

qua eminebat, non ei communé cum ceteris, sed omnino proprium appellaveris. Annon ars et peritia expingendi inconsultos mores et insanias hominum cum crebra et arguta incusatione, ( erat enim ingenii aliquantum effervescentis, sed religione molliti ac subacti ) amoenitas imaginum, utilium praeceptorum ubertas condita sapore quodam purioris latinitatis ejusmodi sunt, ut lepidam Plauti et Horatii venustatem proxime attingant?

» Ite hinc

( sic ille urget ac vulnerat ridicule malos typographos )

» Ite hinc, quot estis, pessumi typographi,
» Quot estis, inquam, vos abecedarii,
» Qui dormitantes, vel studentes unice
» Parare victum, perditis volumina.
» Videte tamdem, quos in vulgus proferant,
» Qualesque libros! perpusillae litterae,
» Se seque scandunt, pura nempe putaque
» Formicarum agmina: implicatae lineae;
» Nec verba spatiis separant vacantibus,
» Nec parte ab ulla continentur margine;
» Exleges errant; puncta nulla et commata,
» Nullique accentus: hac et illac insuper
» Sparguntur atrae guttulae fuliginis.
» Sursum deorsum, quaqua versus pessumi
» Trahunt insontes, distrahuntque litteras.
» Pronas supinas faciunt, et longas breves;
» Hanc illa mutant: hinc novo miraculo
» Fit *servus cervus*; nunc eamdem duplicant;
» *Ager* fit *agger;* alteram nunc inserunt,
» *Aser* fit *anser;* hanc vel illam subtrahunt,

» Truncantque nomen; derepente hinc *Hircius*
» Evadit *Hircus;* aut priorem detrahunt,
» *Paries* stupescit, nec se agnovit illico
» Jam factus *aries*; aut invertunt ordinem,
» *Porcus* pro *corpus*, pro *poeta* saepius
» Ab his *peota* redditur; tamdem omnia
» Torquent, distorquent, foede immutant, veraque
» Vix ulla linquunt nominis vestigia
» Tortores isti litterarum: en *angelum*
» Vertunt in *agnum;* fitque *matrimonium*
» Quod *matutinum*. Proh perenne dedecus!
» Cavete vobis, pessumi typographi,
» Ne irati *Manes* tot virorum, turpiter
» Quorum foedastis opera, in omnes irruant
» Vos tam supinae vindices ignaviae;
» Vestraeque fronti singulas ferventibus
» Typis inurant, quas vexastis, litteras.

Magna haec quidem, et praeclara. Verum minora ne sunt, quae de humani corporis imbecillitate tot malis oppressi atque divexati, de ira turbulenta et calamitatum feracissima, de vitio multorum capitum monstro sane horribili ac pertimescendo tetris coloribus describit? Non video, quid proferri possit argutius in doctorum hominum fastum; quid in falsitatis amatores venustius; quid in malos patronos litium satores, in interpretes *plana explicantes*, *negligentes ardua* urbanitate conditius; quid acutius in pseudologos, in grammatistas et Aristarchos, in litteratos judices superciliosos, vel blandientes amicis auribus; quid in eos, qui absurdis figuris utuntur; quid in impudentissimos homines religionis osores elegantius at-

que subtilius; quid aptius ad corripiendum Thrasonem quemdam terrificum insolentissimis verbis se se efferentem; quid de aemulatione pulcrius atque splendidius; de casta et incontaminata poesi, de flexanima eloquentia, de pace populis optatissima, deque aliis permultis, quae, ubi publice recitabantur, tantam excitabant admirationem, ut invaluerit apud viros litteratissimos vox haec: *Ferrarii iambos;* eo ferme modo, quo Nioben Praxitelis, Helenam Zeuxis, Canovae Psychen dicere solemus ad singularem operis praelicationem.

Neque vero praetermittenda est ejus simplicitas et gratia Phaedri elegantiae aemula ac paene par, morum fictrix, blanda vitae magistra, sincera vitiorum emendatrix, qua bestiis, volucribus, vel agrestibus, aut domesticis, etsi lingua ac ratione expertibus, loquendi, monendi, arguendi hominum more facultatem tribuit. In quo scribendi genere, quod eo magis difficile, quo plus familiare, ut perbelle jocatur et utiliter ficte inductis, et in conspectu positis animantibus, quae dum inter se amicissime colloquuntur vel ad fontium ac fluminum oras, vel in agris aut in saltibus, gaudent hilaritate quadam et joco, velut ludibundi actores, vividam scenam patefacere ad mores corrigendos accommodatam, varias personas induere, humanas actiones et cupiditates imitari, qua referre hominum temeritatem et imprudentiam, qua malitiam vel audaciam exprimere; nunc continentiae, mansuetudinis, nunc constantiae, prudentiae, moderationis exempla et documenta proponere! Sentio vos, auditores, jam intelligere me loqui de iis apologis, quos

Ferrarius conscripsit adeo distinctos et candidos, nihil ut iis humanius, nihil delectabilius. Ut enim unam ex pluribus eligam, fabellam audite de Luscinia, et Ansere; cujus judicium vobis relinquo:

» Luscinia et Anser contendebant invicem,
» Quis praeferendus alteri cantu foret.
» Ego, inquit illa, quaeror in silvis latens,
» Et empta magni subeo divitum domos,
» Meumque cunctos detinet gratum melos,
» Somnos reducit, asperas curas levat.
» Quid horum simile mihi tu jactes, rustice?
» Huic Anser: Pudeat, misera, te vocis tuae,
» Cui nil canori: quanto mihi gravior tuba?
» Ego aures omnium impleo, et magnum sono.
» Haec ambo secum: forte non valde procul
» Pascebat Asinus: hunc appellant judicem.
» Repente auritus coepit intumescere
» Honore insolito; seque componens, gravis
» Consedit medius. Interim alterni canunt.
» Tum captus Asinus stridula voce Anseris,
» Hanc delicatis praefert Lusciniae modis.
» *Vae litteratis sub asinino judice.*

Ex hac una reliquarum etiam, quae plurimae sunt, venustatem, pulcritudinemque cognoscite.

Quod si ex fictis animantium colloquiis ad elegantes hominum coetus libeat animum traducere, numquid verius aliquid potest esse ac simplicius Ferrarii versibus in disputatione et dialogo scriptis? Hos ego legens ita afficior voluptate, ut mihi videar (tamquam a praesentibus coram habeatur sermo) in aliquo eruditorum conventu jucunde versari, oculis prope usurpare

eorum ora ac vultus, ortis repente quaestionibus interesse, audire homines indolis discordiosae, et lepidissimae multa inter se argute dicere, multa ingeniose vitae erudiendae causa; hos quaerere, utrum nos ea magis moveant, quae menti, an ea, quae sensibus objiciuntur; illos sciscitari, num plus ex philosophia, an ex poetica facultate emolumenti in hominum vitam dimanet; hunc ferventer contendere, altero adversante, rem esse valde noxiam societati ac moribus, ejus artis inventionem, qua posteris typorum usu expedito mandantur cogitata et gesta majorum; quemdam bonorum ad vitae commoda pertinentium desiderio juveniliter exsultare; alterum angi et excruciari metu malorum, quibus eadem vita conflictatur. Sed et illa mihi fuit perjucunda contentio duorum juvenum, quorum unus secunda re gestit ac laetatur, alter adversa moeret insolabiliter; pergrata ea concertatio inter garrulum nescio quem ac pertinacem ignorantiae patronum figentem infestis aculeis viros litteratos, ac inter acerrimum scientiae propugnatorem stomachantem, et persalse irridentem molesti ac submorosi adversarii dicteria, postquam illum fatuitatis convicit atque damnavit. Quam lepida vero ea dissensio duos inter vehementer pugnaces, et ad rixam concitos, quos habet sollicitos quaestio et dubitatio de causis dolendi ac laetandi? Ut videre est in dialogo inter Charmidem et Achontem, in quo uno consistam; sunt enim in eodem genere reliqui omnes:

» *Ch.* Quanta voluptatum seges est, ubicumque lo-
» corum
» Vivimus!

» *Ach.* Infelix! nimirum ubicumque locorum
» Vivimus, assidui nihil est nisi causa doloris.
» *Ch.* Quid contra mussas portendens tristia vultu?
» Nulla tot in rebus solatia, nulla voluptas?
» *Ach.* Sic est: jam repeto; nihil est nisi causa do-
» loris.
» *Ch.* Oh morosum! Oh lippum hominem! sic ille
» cavillans
» Cuncta sibi in luctum vertit. Sed nunc age,
» mecum
» Singula percurras animo: quid gratius illis
» Temporis alternis vicibus, quas exigit annus?
» *Ach.* Nil magis est nocuum, nihil est infestius illis,
» Perpetuo inconstans quibus est et noxius aer.
» *Ch.* Erras: nam variis se tempestatibus aptant
» Corporis humores varii.
» *Ach.* Sic frigida semper
» Pugnant cum calidis: hinc omnia ῥεύματα, tus-
» ses,
» Tum mala pleuritis, tum mille incommoda vi-
» tae.
» *Ch.* Tempora quaeque fluunt mihi grata.
» *Ach.* At quaelibet anni
» Tempestas ingrata mihi.
» *Ch.* Quam dulce sedere
» Ante focum, cum frigus adest: ubi messis, in
» umbra!
» *Ach.* Frigore torpet iners corpus.
» *Ch.* Sed vincitur igne
» Frigoris asperitas.
» *Ach.* Largum sudoris in imbrem

» Solvitur, immodico cum fervet corpus ab aestu.
» *Ch.* Balnea cur quaeras, nihil est; sic pellitur ultro
» Quidquid inest vitii, refluitque superfluus hu-
» mor.
» *Ach.* Haud equidem invideo tibi talia. Num tibi,
» sodes,
» Ulla alia humanae superant solatia vitae?
» *Ch.* Plurima.
» *Ach.* Perge, precor, narra.
» *Ch.* Circumspice terram:
» Quas tibi fundit opes, quantos dat provida fru-
» ctus?
» *Ach.* An gratis tibi fundit opes et munera tellus?
» Jampridem fuit illa, iterum nec venerit, aetas
» Aurea, qua fruges tellus inarata ferebat:
» At nunc saepe gravi subigenda est vomere, ra-
» stris
» Aequanda, et duris versanda ligonibus, atque
» Assiduis renovanda laboribus: et tamen ipsa,
» Tristis adhuc lolium, et steriles producit ave-
» nas.
» *Ch.* Sudandum certe: sed jam labor omnia vincit.
» Quam juvat undantes fecundis messibus agros
» Cernere, et incurvos pomorum pondere ramos!
» *Ach.* At si rubigo, vel si malus ingruat imber,
» Quo tantus labor ille tuus? sudate coloni,
» Ite, agite, et nullis, miseri, nunc parcite cu-
» ris:
» Una dies pleni spem totam devorat anni.
» *Ch.* Numquam laetus eris? lepidum caput! hic,
» ubi desunt,

» Adversa, ut se se excruciet, sibi tristia fingit.
» Ecce tibi ante oculos animalia plurima; quan-
» tum
» Utilitatis habent!
» *Ach.* Quanti tamen esse laboris
» Haec aluisse putas?
» *Ch.* Pensant quoscumque labores,
» Cum tibi tot vestes, tam multa alimenta mini-
» strant.
» Sic hominem sic illa juvant.
» *Ach.* Et plurima laedunt,
» Atque ipsum interimunt hominem.
» *Ch.* Medicamina serpens
» Porrigit.
» *Ach.* Infligit letalia vulnera serpens.
» *Ch.* Taurus humum vertit,
» *Ach.* Sed saepe et taurus acuto
» Foenum habet in cornu; procul hinc, ferit ille,
» caveto.
» *Ch.* Fertur equus quocumque libet; generosus in
» hostes
» Irruit.
» *Ach.* Atque tibi properat per vulnera mor-
» tem . . . . . .
» *Ch.* Plura quid exterius tibi nunc solatia quaeram?
» Contemplare hominem: tibi quanta repente vo-
» luptas!
» *Ach.* Imo hinc assidui fons est et causa doloris.
» *Ch.* Una homines coeunt, studiis communibus
» omnes
» In commune bonum contenta mente feruntur.

» *Ach.* Non commune bonum studiis communibus ar-
» dent;
» Sed sua quisquis amat privataque commoda cu-
» rat.
» *Ch.* Unde igitur leges? An non formidine poenae
» Deterrent sontes, ne in publica commoda pec-
» cent?
» Hinc communis amor; non te vicinia vexat,
» Non fur aggreditur, non te malus appetit ho-
» stis,
» Certa quies, et summa simul concordia regnat.
» *Ach.* Temporibus nostris rara est concordia fratrum.
» Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
» Nunc quidquid repetunt, aliena invadere, opi-
» mas
» Convectare juvat praedas, et vivere rapto.
» Ter felix! quicumque hominum consortia vi-
» tans
» Gaudet in ignotis cum brutis vivere silvis.
» *Ch.* Censorem affectas: mihi crede, haud vivimus
» isto,
» Quo tu rere, modo,
» *Ach.* Cur tot nunc ergo triremes,
» Vincula, lictores? an sunt haec praemia laudi?
» *Ch.* Sunt sontes, fateor; sed non tibi desit amicus,
» Qui tua sollicitus curet, qui sorte fruatur
» Prospera, in adversis qui te soletur, et aere
» Sustentans miseras depellat pectore curas.
» *Ach.* Istud amicitiae vanum est et inutile nomen.
» Quisque sibi inservit: facilis si flaverit aura,
» Multus amicorum numerus: cum saeviet atra

» Tempestas, tumidis jactabere solus in undis.
» *Ch.* Quid tibi nos inter referam commercia rerum?
» Scilicet externis repetens compendia terris
» Mercator nostras ditavit mercibus oras.
» *Ach.* Scilicet hinc luxus, convivia lauta, superbae
» Vestes, et centum famuli: tum femina pri-
» mum
» Tum didicit male cauta novos exposcere cultus;
» Tum gemmae, et rutili micuere in fronte py-
» ropi,
» Coepit et intexto vestis splendescere acantho,
» Et late undoso vestigia pandere gyro.
» *Ch.* Quantus opum numerus, quam magna hinc or-
» ta supellex!
» *Ach.* Accumulantur opes irritamenta malorum.
» *Ch.* Omnia, si nescis, regina pecunia donat.
» Illa voluptates.
» *Ach.* Vitiorum causa voluptas.
» *Ch.* Illa genus, proavos;
» *Ach.* *Sed quae non fecimus ipsi,*
» *Vix ea nostra voco* . . . . . .

Omitto reliqua litigiosae hujus et perfacetae disputationis. Ad aliud enim me invitat contracta fronte et severo supercilio philosophus verae religionis servantissimus, qui mente et cogitatione altius assurgens esse Deum probat, ejusque in res humanas moderationem ac dominatum, graviter docteque demostrat sicut ex firma ac libera omnium gentium religione et consensu, ex ingenitis animi motibus supremum judicem pertimescentis, ex mundi fabricatione et materia, ita ex miro et spectabili ordine atque constantia hu-

jus universi non temere nec casu effecti, sed sapientia consilioque divino, videlicet ut hominem nefarium et absurda opinionum monstra perverse ac turpiter proferentem omnium rationum vi refellat, ac pudore suffundat. Quantum vero delector eorum sermonibus, qui de humano animo disputantes explicant liberaliter, ac molliunt numerorum suavitate, quidquid disserunt philosophi tum veteres tum recentes de natura ejus simplici, et praedita facultate cogitandi, quidquid spectat ejus libertatem nulla adstrictam necessitate, quidquid demum illam immortalem, dissoluto corpore, pervincit!

» Non omnia morte
» Cessant, sed superant animi; tum debita tamdem
» Supplicia, aut nostris reddentur praemia factis(1).

Quibus in rebus per se asperis et explicatu difficillimis excellere, easque non modo explanare, verum etiam poeticis quasi luminibus colorare ac distinguere, haec demum vera laus est, et facilis vividique ingenii maxima commendatio. Atque hac quidem laude et commendatione dignissima sunt ejus carmina; quibus nihil meo judicio videtur deesse, si latinis musis antiquus honor habeatur, praeter publicae lucis celebritatem. His et aliis plurimis, quae vatem ingenuum probant, tantam sibi existimationem apud singulos et universos comparavit, ut dignus habitus fuerit, qui ab

(1) Ceteris praestant dialogi duo, alter de Deo, ejusque providentia, alter de natura animorum, qui simul volumen haud exiguum legentibus exhibent.

instituendae munere juventutis ad altiorem gradum evectus studiis nostris regendis ac moderandis praeficeretur (1). Jam eo deveni, ubi laeta exsultat oratio, et latius sua vela pandere gestiens properat vastos eloquentiae tractus peragrare, et ingenui oratoris laudes expromere.

## II.

Eloquentiae est non solum apte dicere ad oblectandum, verum etiam accommodate ad erudiendum et permovendum. Sit igitur orator (ut ingenuus dici possit) sit orator, inquam cum Quintiliano, vir bonus, dicendi peritus (2); ingenio videlicet valeat experrecto, facili natura, ut audientium animos voluptate devinciat; in primis autem virtutem colat altricem eloquii et magistram; nemo enim potest persuadere dicendo, nisi ea, quae dicit, vitae probet auctoritate et innocentia: hinc domitas habeat cupiditates, neminem laedat, non efferat se, non insolescat popularis aurae desiderio; nihil enim magis auditores offendit, et fastidio quodam abalienat, quam fastus loquentis et superbia; cogitet etiam aliorum curam et defensionem sibi esse commissam, de nulla alia re

(1) Coepit praeesse studiis ann. 1771. Quo in munere Cajetano Cognolato successit. Vide hujus vitam pag. 429.

(2) Orator esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. *Quintil. lib. 1. prooem. c. 2.*

magis sollicitus, quam de illorum bono et incolumitate. Quae quidem omnia summa fuerunt in hoc viro, maximeque praestantia. In eo enim vis et solertia mentis valde promptae; semper adhibita latine scribendi consuetudo atque exercitatio; insignis pietas et splendide culta ad exemplum; moderatio animi tanta, ut laudes suas non aequis auribus audiret, et prope pudore quodam exciperet; tanta caritas in omnes, ut nihil umquam ab eo dictum fuerit, quod alteri obesset; mira sedulitas et vigilantia in suscepta procuratione studiorum; amor et benevolentia singularis in alumnos, tamquam clientes sibi concreditos, quibus numquam deerat hortando, suadendo, urgendo; antiqui moris et patriae disciplinae custodia severissima, conversis curis omnibus ad loci hujus utilitatem atque etiam dignitatem.

Ex his duobus quasi fontibus, ingenio scilicet et virtute, sponte profluebat et uberrime manabat sermo ille ingenuus, quem integrum, facilem, perspicuum, simplicem appello, quo ipse solebat quotannis publice studiis nostris proludere, et ad amorem litterarum juvenum animos vehementer inflammare. Quanta in primis ejus sermonis integritas, quae prima laus est ac virtus ingenuae facundiae! Ut enim ea praetermittam, quae tantum scripsit, non publice recitavit, latinas orationes, quibus augustae Virginis Dei matris dignitatem extollit, et illam de divo Joanne Baptista, cujus nomine ornatus moribus etiam studuit exornari; alias in laudem effusas viri integerrimi ac caelestis divi Philippi Nerii, quas haud facile dixerim, num magis ingenii vis, an caritatis et

religionis ardor expresserit; ut haec, inquam, quae meminerimus semper, modo obliviscar, nihil probis hominibus acceptius esse judico, nihil ad virtutem alendam accommodatius iis luculentis orationibus, quas habuit solemni pompa et apparatu in magna hominum doctissimorum frequentia, ut adolescentibus hujusce loci alumnis ostenderet tenerum pueritiae florem bonis esse moribus prius, quam bonis artibus imbuendum; sacra et profana studia litterato viro jungenda; nihil esse magis noxium ac pestiferum vana et inani scientiae opinione; gravissimum sacri oratoris munus magnam poscere eloquentiae vim et copiam; hanc vero ex divinis Litteris tamquam ex fonte hauriendam esse. In quibus oratorie exponendis eruditeque tractandis voluptate simul aures perfundebat, et vitae praeceptis valde frugiferis animos informabat. Iisdem fere laudibus exornanda facilitas illa paene incredibilis, qua prompte soluteque evolvit atque explanat argumenta quaelibet vel difficillima et subtilissima. Nam sive de artium omnium ac disciplinarum vinculo et cognatione loquitur, sive de investigandae atque imitandae naturae legibus, sive de scientiae naturalis finibus propagandis indagatione et inventione rerum novarum, sive de certis et constantissimis apud omnes populos imitationis principiis, quid iis orationibus facilius inveniri potest? Quis eo promptior ad dicendum? Nihil aut durum in verbis, aut in sententiis violentum; omnia sua quasi sponte e naturae sinu erumpentia; sermo expedite currens; vena ita dives, ut numquam minuatur, ita fluens libere, ut nusquam insistat. Hinc illa perspicuitas seu

dicendi ratio, quae ipsius propria omnino fuit, adeo nitida et aperta, ut nihil liquidius, non aliqua ambiguitate sermonis, non multis temere coacervatis, non nimio ingenio et acumine obscura et adstricta, sed ample diffusa et quasi circumfluens uberi rerum amplificatione, apta exemplorum et similitudinum copia, verbis plane obviis, ut propterea nullus intelligendi labor iis fuerit, qui illum audiebant. Quam planae enimvero sunt et dilucidae ejus orationes (quas libenter commemoro) de utili et necessaria multarum rerum perceptione, de litteris ac scientiis mutua ope et auxilio indigentibus, de iis, quae in poetis laudanda sunt, vel vituperanda, de politioribus artibus, quae ad hominis felicitatem plurimum conferunt! Clarius ne poterat et apertius ostendi, quis ordo adolescentibus tenendus sit in scientiis addiscendis? Quibus de causis eloquentiae vis corrumpatur? Cur intra fines disciplinae sibi propositae debeat unusquisque se continere? Neque vero vos arbitror oblitos esse, qua evidentia docuerit optimam instituendae juventutis rationem sitam esse in apta omnium mentis facultatum eruditione atque cultura, poeticam artem ingenium summe excultum ac perpolitum requirere; oratoris esse efficere, ut res in sensus eorum qui audiunt quam maxime influant, et illabantur; humaniora studia ad graviora iter patefacere et viam facilius explanare. Sed omnium laudum suarum maxima et praestantissima est eloquendi simplicitas, quam eximia quamque jucunda! Cujus enim non implevit aures illa vox, incorrupta Latii imitatrix, ille delectus elegans optimorum verborum res proprie apteque de-

monstrantium, eorumque rotunda et negligenter accurata ad numerum constructio quasique concentus, quem frequens ac maximus totius concionis plausus consequebatur, illae imagines decenter venustae, figurae latenter vividae ac prope verecundae, ornamenta sine fuco et insolentia, quibus conspersae ejus orationes ac nobilitatae exsplendescunt? Ac ne quis haec forte a me exaggerata atque amplificata esse arbitretur, exemplum aliquod afferre liceat, et rem argumento certissimo confirmare. Quodnam vero potius vobis proponam, quam illud ex oratione desumptum paulo ante commemorata adversus vitiosos poetas eorumque immodicam libidinem adhibendi in suis carminibus profana Deorum nomina cum maximo dedecore, et contemptu verae religionis?

» Ita ne vero? (sic enim ille) quod nusquam est, quod prorsus vanum, futile, commentitium, poterit et majestatem rebus afflare, et audientibus, vel legentibus delectationem afferre? Ecquid magis ridiculum et absurdum, quam in Deos, ut ita dicam, erigere, quos fatemur esse larvas inanes penitus et vacuas, et ab hujusmodi larvis in periculis opem petere? ab his implorare ubertatem frugum, et felicitatem nuptiarum? ab his securitatem itineris, prosperos bellorum exitus, commodas tempestates? larvas has venerari et colere? his ventos et elementa subjicere? his in res omnes summum imperium tradere et dominatum? Ferendum hoc in antiquis utpote quod cum illorum religione cohaerens. Pudeat vero nunc tenebras comminisci, cum omnia in tantam evidentiae lucem evaserint; pudeat, cum vera re-

ligio late dominans ac triumphans inanium Deorum lucos succenderit, templa prostraverit, altaria everterit, simulacra contriverit; pudeat, inquam, nos nunc eosdem exsuscitare rursus ex his cineribus ac ruinis, et in aris, paene dixerim, ut antea, collocare; pudeat sacrilega et impia nomina, Deoque maxime invisa inserere rebus sacris; quae in intima religionis adyta intrudere non puduit christianos quosdam poetas, prae ceteris Sannazarium, ausum non minus temere quam praepostere, comparare quodammodo Christi incunabula cum incunabulis Jovis, Cretam cum Bethlehem, cum Prophetis Proteum, eumque fingere vaticinatum esse Jordano divini Servatoris nostri miracula; Plutonem adhuc regem inferorum constituere, eique socios adjungere Cerberum, Gorgonas et Harpyias, atque ita deformare turpiter veritatem; comminiscere fabulas cum scripturis, cum oraculis somnia, cum caelicolis musas, et ab his illum ipsum divinum Virginis partum, mysterium scilicet maximum et sanctissimum, auspicari ».

Nec minus pulcrum illud, quo ostendit, oratoris proprium esse, res sensibus propiores facere, et quasi gerantur, sub adspectum subjicere: „ Cai Caesar, quid illa in audiendo Tullio repentina animi corporisque commotio? Quid insolens ille pallor ac trepidatio? Ubi tuus ille obfirmatus animus in Ligarium? Ubi tua in damnanda praejudicata causa constantia? Oratio scilicet derepente in Tuberonem conversa, pharsalicae pugnae mentio, ab eodem Tuberone districtus in illa gladius, oculi, manus, ardor animi objectus Caesari libellos extorsit ipsi de manibus,

eumque de sella, ut mente captum, et quo esset in loco ignarum, proripuit. Magnum inauditumque spectaculum! Cajum Caesarem, qui plurimas causas egerat, qui omnes oratorum praestigias noverat, qui se contra cujusvis impetum satis munitum ac roboratum putabat, sensilibus imaginibus percussum cedere: his, inquam, vehementer actum victorem gentium, reipublicae moderatorem, summum orbis terrarum principem impallescere, contremiscere, de sede sua praecipitem exsilire»! Num his quidpiam afferri potest facilius ac planius, aut dici simplicius? Alia plura aliis in locis commemorabilia proferrem, nisi intelligerem me apud multos loqui, qui toties illum publice dicentem sua praesentia honestarunt, ac licet ejus voci disertae et facundae aures atque animum assueverint, nihilo tamen minus rudem meam et imperitam, quod est indicium singularis humanitatis et patientiae, non aspernantur.

Quamquam quid ego ea, quae adhuc latent, pluribus verbis commemoro? Illa illa potius proferantur, quae manifesta et aperta, quae perspicua et nota omnibus sunt; illa prodeant in medium eloquentiae suae monumenta omnium sermone celebrata, vulgata typis in posteritatis memoriam; ejus, inquam, pulcherrimae laudationes habitae in funere virorum praestantium, qui vel gravissimis Ecclesiae muneribus perfuncti sunt, vel de litteraria republica praeclarissime meriti fuerunt.

Qua enim pietate, quo ingenio in populi conspectum veniens deflevit casum atque orbitatem Ecclesiae universae ob interitum Clementis XIII Pontificis Ma-

ximi (1)! Doluit exanimem ac jacentem Antonium Marinum Cardinalem Priolum, spectatissimum vicetinae et patavinae dioecesis moderatorem (2)! Mortuo parentavit Alexandro Papafava episcopo famaugustano (3)! ( Cujus rei meminit honorifice auctor insignis operis de fastis ecclesiae patavinae, quem nominis celebritate jampridem notum, non est, cur praesentem laudibus exornem (4) ). Sensit ingenuam ejus facundiam interpretem ac nunciam publici moeroris magna et illustris anima viri clarissimi Antonini Valsechii, quem summa habuit consuetudine et familiaritate conjunctum (5); sensere exuviae ac cineres optimi antistitis gregis patavini, amantissimi aegrorum patris Nicolai Antonii Justiniani (6); sensisset etiam elatus feretro vir piissimus Joannes Ba-

(1) Haec funebris laudatio habita in aede cathedrali patav. typis Seminarii edita est ann. 1769 in 4., quam ipse postea emendavit atque auxit, utpote nimis propere prius elucubratam et e manibus prope ereptam; ut videre est in ejus Mss. quae in nostra bibliotheca servantur.

(2) Hanc publice tantum pronunciavit, nec emisit in lucem.

(3) Haec oratio habita in aede cathedrali patav. X Cal. Mart. ann. 1770, una cum vita ejusdem episcopi vulgata fuit Patavii typis Seminarii ann. 1792 in 4.

(4) Vide Serie Cronologico-istorica dei Canonici di Padova pag. 175.

(5) Haec oratio impressa typis Seminarii patavini ann. 1791 in 4.

(6) Prodiit haec oratio ex eadem typographia ann. 1798 in 4.

***

ptista Santonini, Famaugustae praesul, si eam, quam nobis scriptam reliquit, plenam doloris orationem publice recitasset in ejus funere, aut in lucem edidisset. Haec in animo mecum dum reputo tributa hominibus eximiis vita functis praeconia nobilissima, et solemnia supremi honoris testimonia, non possum quin admirer junctam elegantiae gravitatem, integras sententias exquisitissimis verbis, eloquentiae sapientiam; ut ipse non tam laudare viros praestantissimos videatur, quam auditorum animos commemoratione virtutum ad honestatem allicere, et ad morum innocentiam cohortari. Erit ne igitur quispiam, qui dubitet, an Ferrario ingenui nomen oratoris concedendum sit?

Neque his tamen omnis ejus dexteritas et gloria continetur. Tot enim perfunctus rebus amplissimis, cum ejus aetas valde defatigata, et prope consenescens tamquam in portu requiescere debuisset, et justi atque honesti otii fructus percipere, tunc contulit se, licet maximis et assiduis officii sui occupationibus distentus, ad litterarios rerum domesticarum quasi fastos conscribendos, non modo ingenuus exornator, ut illum hactenus admirati estis, sed etiam narrator fidelis et candidus; quod dum breviter expono, quaeso vos, ut, quemadmodum adhuc fecistis, vestra me humanitate et benevolentia prosequamini.

## III.

Cum historiae sit non modo erudire propositis ad imitandum clarorum virorum exemplis (1), sed voluptate etiam perfundere pura et simplici rerum expositione (2), non ille historicus ingenuus dicendus est qui moribus incertis, aut rudi ingenio fidei minus integrae in scribendo suspicionem affert, vel caret illustri nitore, sed ille, qui probitate plurimum, ac solertia se se commendans res, ut gestae sunt, fideliter politeque complectitur. Quae singula, et quaedam alia scriptori ingenuo maxime necessaria simul splendide conjuncta fuisse in immortali viro Joanne Baptista Ferrario fusius ostenderem, nisi hujusce rei tot prope testes adessent, quot auditores (3).

His igitur instructus ingenii dotibus, animique vir-

(1) Historia lux veritatis, magistra vitae. *Cic. de orat. lib.* 2. *c.* 9.

(2) Huic generi historia finitima est, in qua narratur ornate. *Cic. orator c.* 20.

Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia, non modo voluptatem. *Cic. de fin. lib.* 5.

(3) Satis scio notum esse omnibus illud ingenuum morum ac vitae lumen, quod in ejus non modo dictis et factis, sed in ipso prope vultu eminebat, nulla assentatione aut malevolentia inobscuratum: amorem veritatis adeo religiosum, ut numquam vel joco mentiretur; genus denique dicendi ita rectum ac simplex, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videretur.

tutibus in hujusce loci initia mentem cogitationemque delixit, et dolens plures viros commemoratione dignos, qui hic alti et educati ad hujus domicilii celebritatem plurimum contulerunt, jampridem carere historiae luce, flagravit studio ac desiderio persequendi latinis litteris eorum nomina, proponendique ante oculos nostrorum adolescentium, tamquam in tabula egregie picta, totidem spectanda domesticae laudis monumenta, quae ipsi assidue cernerent et imitarentur: quod opus tanta aggressus est cura et industria, ut exspectationi plenissime satisfecerit, quam antea de se concitaverat editis praesertim vitis Alexandri Papafava episcopi (1), et Pii VI Pontificis summi (2), sicut ad normam ceterarum, quas deinceps vulgaret. Undenam vero tanti operis potius exordia sumeret, quam ab eo, quem semper in animo, frequenter in ore habebat, cui referebat acceptum non solum stabilimen hujusce loci, et amplificationem, verum etiam constantiam, atque adeo perpetuitatem ob eas leges, quas sapientissime sanxit, tamquam bases immoti aedificii, a viro, inquam, doctissimo, pastore vigilantissimo, patre amantissimo, Beato Gregorio Barbadico (3), a cujus obitu ad haec usque

(1) Vide Serie cronologico-istorica dei Canonici di Padova pag. 173.

(2) Vita hujus Pontificis emissa fuit Patavii typis Seminarii ann. 1802 in 4., de qua multa honorifice nel *Giornale dell' italiana letteratura Tom. I pag.* 216.

(3) Vide opusculum de singulari B. Gregorii Barbadici

témpora, videlicet unius tantum saeculi spatio, multi exstiterunt, in quibus commemorandis, et in quorum dotibus animique qualitatibus exponendis Ferrarii studium et industria splendescer et? Ex quo autem de institutore meritissimo, et parente optimo magnifice praedicavit, continuo sui muneris esse judicavit de ejusdem alumnis, et prope filiis commentarios perscribere, eorumque non ingenium modo ac doctrinam, verum etiam mores et praesertim religionem ad legentium utilitatem notando observare.

Michaelem itaque Verium in primis nobis exhibet eruditarum linguarum peritissimum acutissimumque philosophum; Marcum Antonium Ferratium multis effert laudibus non oratorum modo, sed poetarum etiam latinorum interpretem eximium; ornat atque illustrat Franciscum Canalem magna instructum linguarum scientia; Jacobum Jacobettum in graecis litteris mirifice excultum; Jacobum Facciolatum aurea praesertim latinitate tota Europa celeberrimum; Sebastianum Franzonum oratorem plenum roboris ac dignitatis. His adjungit Josephum Pasinum, et Antonium Zanolinum, utrosque orientalium praecipue linguarum exquisita eruditione conspicuos; Marcum Antonium Trivellatum, et Antonium Sandinum, duo

---

studio et amore in Seminarium patavinum, editum typis ejusdem Seminarii ann. 1798 in 8., et cum aliqua emendatione huic editioni praemissum pag. 1.; quod valde laudatur a scriptoribus *delle Memorie per servire alla storia letteraria e civile ann. 1798 semestre I. P. II. pag. 93.*

illa hujus loci maxima decora, alterum in theologica disciplina, alterum in ecclesiastica historia longe doctissimum; Josephum Rinaldum facilem in dicendo et concinnum; Clementem Sibiliatum pervagata latinae poeseos non minus, quam italae gloria florentem; Aegidium Forcellinum praeclari operis auctorem, de quo nulla umquam aetas conticesceat; aliosque quam plures, quorum cum Vitae jamdudum typis consignatae oculis obversentur (1), supervacanea esset modo eorum enumeratio.

Huic splendidae majorum nostrorum quasi coronae alii plurimi, de quibus idem Ferrarius scripsit, quorumque nomina hactenus inter domesticos nostros parietes latuerunt (2), accretionem addere quodammodo

(1) Vitae hominum illustrium, quas modo recensui, ab ipso auctore, cum viveret, editae fuerunt, patrono et auspice illustr. atque reverend. marchione Francisco Scipione de Dondis ab Horologio, tunc in episcopatu patavino, sede episcopali vacante, vicario gener. capit., typis Seminarii patavini ann. 1799 in 8. Nunc vero eodem nomine longe splendidissimo exornatae rursus in vulgus emendatiores exeunt; quibus addere placuit etiam ineditas, quae sequuntur; ut in hoc uno volumine habeat lector ante oculos opus integrum suisque numeris absolutum. Illae, quae primum in lucem prodierunt, laudem praedicationemque promeruere scriptorum *delle Memorie per servire alla storia letteraria e civile ann.* 1799 *semestre I. P. I. pag.* 124. *e P. III. pag.* 122.

(2) Lectorem hoc loco admonendum puto, me inter opera inedita annumerasse duas orationes, unam videlicet in lau-

gaudent, et publicam lucem subire. In eorum numero est in primis omnis doctrinae et virtutum genere spectabilis Joannes Franciscus Cardinalis Barbadicus, dignus Gregorii nepos, noster olim alumnus, quem episcopum Verona primum, deinde Brixia, postremo ecclesia patavina suspexit; Joannes Bassus non tam consilii pondere, et regendae juventutis experientia, quam pietate et religione vitae valde praestans; Hubertus Forcellinus, et Antonius Judici, quorum uterque dubium facit, num plus doctrina et litteris, an sollicita animarum cura tamquam veri pastores valuerint. Sua quoque laude decoratur Joannes Oliva nominis famam Romae adeptus studio acerrimo antiquitatis; Vincentius Rota illustribus litterarum monumentis insignis; Angelus Sclavettus philosophus summe perspicax; Jacobus Bellogradus mathematicus et physicus magnus in primis; Natalis Lastesius, cujus semper feretur et praedicabitur digna Augusti saeculo eloquentia; Petrus Facciolus Livii, Cornelii, Ovidii, Virgilii diligens explanator. Celebratur etiam Joseph Toaldus astrorum scientia immortalis; Cajetanus Cognolatus eminens doctrina multiplici et praecipue inscribendorum lapidum peritia; Franciscus Scar-

---

dem divi Philippi Nerii, alteram de eloquentia sacris praesertim oratoribus necessaria, et nonnullas praeterea Vitas virorum illustrium; quae diversis temporibus, oblata modo hujus, modo illius rei fausta occasione, vulgatae fuerunt: annumeravi autem, quod arbitratus sum eas separatim, et a privatis editas non nisi ad paucorum manus pervenire potuisse.

dona in re medica probatissimus; Franciscus Boarettus experrecta indole, mente vivida ac prompta cum ad omnes artes amoeniores, tum ad graviores disciplinas; Joseph denique Bartholus, Marcus Antonius Forcellinus, Joannes Brunatius, alii aliis studiis et insignibus valde eximii, omnes ingenio nobili, omnes digni hominum memoria. Equidem existimo hos omnes felices ac fortunatos fuisse, tum ob praeclara ipsorum merita, tum etiam quod historicum tam ingenuum suarum virtutum praeconem habuerunt, tamdiu propterea deinceps apud alios victuri, quamdiu stabit scientiis ac litteris honos.

Utinam, auditores, vita illi diutius suppeditasset! Aliorum enim complurium, qui ex hac nostra studiorum disciplina prodierunt, honori ac famae consultum fuisset (1). Quamquam satis alienae gloriae vixit,

(1) Nostris adderent Fastis novum decus immortalia nomina, Bartholomaeus Piazza primus sedis hujus rector ac moderator, qui multa prodidit memoriae valde laudabilia; Joannes Antonius Verdanius vir doctus et litteratus cum primis aetatis suae; Franciscus Corradinus dall' Aglio scriptor sane bonus et probandus non satyrarum modo, verum etiam latinorum epigrammatum, et lexici critici, aliarumque rerum plurimarum; Felix Palesius veterum auctorum sagax interpres et acutus; Hieronymus Vianellus, qui dilucide ac solerter seriem episcoporum ecclesiae Methamauci et Fossae Claudiae in ordines aetatesque descripsit; Joannes Baptista Lovisellus, qui metaphysicis et mathematicis rebus valde claruit; Jo. Baptista Bilesimus in omni litteraturae genere expolitus et gravis; Ubaldus Bregolinus, qui multis editis vo-

tamdem vivat suae, dignus prorsus qui sicut aliorum laudator meritorum fuit, ita aliquem habeat, qui ejus eximias animi et ingenii dotes longe majore et uberiore oratione, quam ego feci alieno jussu et imperio, complectatur. Etenim nova, dum viveret, ad extremum meditanti impedimento fuit aegra corporis valetudo; qua sensim ingravescente, cum annos circiter triginta regendorum studiorum muneri praefuisset, de Seminarii nomine eximie meritus, quatuor et septuaginta annos natus, magna animi pietate et constantia in Deum erectus, discessu fausto quidem sibi et felici ob mores innocentissimos, nobis autem gravi et acerbo ob ingens tanti viri desiderium, vitam com-

luminibus jus romanum perite ac scienter illustravit; Albertus Fortis in naturae pervestigatione ingeniosus atque acer; Petrus Zulianus rerum physicarum scientissimus; Antonius Cardinus, cujus interitu non leve damnum fecerunt artes ingenuae, ac potissimum itala poesis; Joannes Baptista Sartori in studiis politioris humanitatis et in severioribus disciplinis, ac praecipue theologica praeditus ingenio maxime prompto, facili, perspicaci; Matthaeus Franzoja in scientia juris naturalis et gentium, atque in bonis artibus eximie versatus; Joannes Baptista Baroni, qui praestitit plurimum historia ecclesiastica, latinisque litteris et poesi jocosa, atque etiam arte lapidaria; Joannes Politius, qui plures orationes scripsit erudite, atque etiam opus de jurisprudentia ecclesiastica universa; ac praesertim (ut missos faciam ceteros) vir maximus, et ante omnes alios commemorandus Melchior Cesarottus, ex quo, sicuti in universam Italiam, ita in domum hanc nostram, ubi nata et alta primum est ejus gloria, tantum ornamenti et dignitatis redundat.

plevit (1). Luctuosissimo casu commotae indicem grati animi dolorem expromere studuerunt humaniores disciplinae; poesis, moestis editis carminibus (2); eloquentia, habita ad ejus funeris pompam honestandam in nostra aede sacra, ubi conditus fuit, ornatissima laudatione (3); historia demum, nunciato interitu per omnes urbes ab ephemeridum rei litterariae scriptoribus cum mentione ejus operum perhonorifica (4).

O virum optimum, et omnium praedicatione condecorandum! Quid reliqui modo est, nisi ut adolescentes, qui ad patriae spem et religionis in hoc domicilio educantur, erecto animo sint atque magno, et ad triplicem praeclarum cursum, Ferrario duce, pernobili ardore et aemulatione se comparent? Arduum sane tam diversa conjungere; alacriter tamen audeant; faciant, sibi avitae gloriae saepius veniat in mentem; cogitent, quo loco sint, quid dare Maecenati et patrono amantissimo, quid reddere majoribus debeant. Sed illud in primis et ante omnia animo reputent, verum et ingenuum liberalium artium decus non

(1) XVIII Cal. Maj. ann. 1806.

(2) Illas intelligi volo poeticas lucubrationes, quibus tanti viri mors est defleta ab adolescentibus nostris in privatis scholarum ludis ac palaestris.

(3) A Joanne Antonio Braus tunc graecae et latinae litteraturae in Seminario patavino professore.

(4) Vide praesertim *Giornale dell' italiana letteratura T. XIII pag.* 185.

in ingenio solum, sed praecipue in virtute positum; qua praefulgente, clara aeternaque futura sunt studia nostra; eadem vero neglecta desertaque, sterilescerent, atque adeo misere evanescerent, turpes tantum dedecoris et infamiae notas relictura.

DE SINGULARI

# B. GREGORII BARBADICI

STUDIO ET AMORE

IN SEMINARIUM PATAVINUM

# OPUSCULUM

# JO. BAPTISTÆ FERRARI

## EPISTOLA

### AD LECTOREM

*Dicturo mihi de quibusdam Viris, qui Seminarium patavinum cum doctrina, tum moribus illustrarunt, necessarium videtur aliqua de eo praefari, a quo Seminarium ipsum si minus initium, certe incrementum cepit longe maximum. Quidquid enim in illis virtutis fuit, de hoc uberrimo quasi quodam ex fonte rivulus emanavit. Is est B. Gregorius Barbadicus, olim Episcopus patavinus, christianae et litterariae Reipublicae magnum decus. De ipso primum, de illis postea. Atque hujus quidem vitam accurate scripsere duo praesertim insignes viri, Thomas scilicet Au-*

*gustinus Ricchinius, et Julius Caesar Cordara. Eamdem scripsit etiam Josephus Musocus presbyter vicetinus, in beatissimi Cardinalis gremio a prima juventute educatus: sed haec nondum per typos edita. Ego de singulari tantum ipsius studio et amore in Seminarium patavinum pauca, grati animi significatione, adjiciam. Meum te latere consilium nolui, amice Lector; tum ne me accuses, perinde ac si temere et inscienter alia ejusdem gesta praeclara omiserim: tum ut intelligas, Seminarium patavinum, quantum quantum est, totum se debere B. Gregorio.*

# CAPUT I.

## *B. Gregorius ad Sedem patavinam translatus, novum instituit Seminarium.*

Beatus Gregorius Barbadicus patricius venetus cum septennium bergomensi Ecclesiae praefuisset, ad patavinam anno 1664. VIII Cal. Apr. Alexandri VII auctoritate translatus est, a quo jam antea romana purpura ornatus fuerat (1). Vix novam hanc provin-

(1) Pauca quaedam praefari opportunum puto, ex quibus facile unusquisque intelligat, quis et quantus fuerit Barbadicus. Erat ille vel adolescens cum eximia vitae innocentia et sanctitate, tum amplissima eruditione et ingenio. Politioribus litteris et gravioribus disciplinis excultus, multiplici exoticarum etiam linguarum cognitione auctus, litteratissimorum virorum existimatione et consuetudine floruit. Undevicesimum annum agens ad monasteriensem in Westphalia conventum se contulit, ibique insigni ejus prudentia cognita, ad interiora consilia admissus est. Dein peragratis superioris et inferioris Germaniae regionibus, Parisios pervenit, ibique christianissimum Regem in se convertit splendore virtutis. Revertitur mox in patriam, ubi egregie gessit magistratus: post clericali militiae adscriptus et sacerdotio initiatus, Romam accersitur a Pontifice, cui erat plane cognitus. Transtiberinae regioni luo laboranti praeficitur. Gravissimum munus sustinuit constantia pari Gregorius. In maximo terrarum orbis theatro reddi-

etiam ingressus nihil potius habuit, quam ut necessarios sibi adjutores ad tanti operis ministerium pararet (1). Jam vero quod reperit Seminarium, unde eos libenter sibi adscivisset, erat ejus votis omnino impar (2). Sive enim id ex aedium angustiis fieret, sive ex tenuitate redituum, adeo ipsum exiguum fuisse

---

dit se spectabilem pietate, dexteritate, consilio. Sic ille dissimiles populorum mores edoctus, variis officiis praeclare functus, multa et magna expertus, ad grandia natus, assiduo praeterea studio et exercitatione conflaverat sibi omnigenam paene dixerim scientiam: tenebat divinam et humanam, civilem et ecclesiasticam, profanam et sacram, non leviter et confuse, sed funditus et perspicue. Poterat singillatim praescribere quem alii in earum qualibet sequi debeant ordinem, modum, viam; ac revera patavino Seminario praescripsit sapientissimis Institutionibus, ejusdem Seminarii typis non semel editis ad communem utilitatem.

(1) Ricchinius in vita ejusdem Beati l. 1. c. 12.

(2) » Seminarium Clericorum institutum est, juxta decre» tum sacri Concilii tridentini, a Nicolao Ormanetto epi» scopo patavino an. 1571. Aliquandiu stetit in conductitiis » domibus, et denique Fridericus Cornelius episcopus cura» vit, ut perpetuo illi addicerentur aedes, quae sunt apud » episcopatum veterem. Earum aedium in janua majore ha» betur haec inscriptio:

FEDERICUS CORNELIUS ECCLESIAE PAT. EPISC. NON MINORI PIETATIS QUAM MUNIFICENTIAE STUDIO CHRISTIANAE DISCIPLINAE SEMINARIUM PENE A FUNDAMENTIS EXTRUENDUM C. ANNO MDLXXIX.

*Salomon. Append. Inscript. Urbis Patav.* pag. 20.

constat, ut duodecim tantum alumnos aleret, partim grammaticae studio addictos, partim rhetoricae rudimentis, gravioribus disciplinis exclusis (1). Quare ampliorem locum comparandi sibi consilium cepit, quo eos transferret.

Erant Patavii conjunctae templo S. Mariae de Avantio aedes Canonicorum congregationis S. Georgii in Alga, a Clemente IX anno 1668. postridie Non. Decembr. extinctae; quae quidem videbantur opportunissimae, quod et valde capaces essent, et in quodam urbis recessu positae. Ut has Gregorius acquireret, neque curis pepercit, neque sumptibus. Necessaria pecuniae vi destitutus, argenteam supellectilem usui domestico destinatam in eas impendit (2). Novis insuper ac magnis additamentis easdem amplificavit insigniter. Tum se spoliavit Sacerdotiis, et haec, annuente summo Pontifice, Seminario perpetuo addixit. Sic censum auxit, et difficillimam rem expediit magnanimitate consilii. Anno itaque 1671 novas aedes Barbadicus aperuit, ac statim centum circiter collocavit in iis alumnos, continendis praeterea totidem aliis pares (3).

Hactenus extima Seminarii forma: nunc intima; quae vere ac proprie Seminarium ipsum constituit. Ac de hoc quidem maxime sollicitum se se exhibuit B. Gregorius, solitus affirmare, non posse episcopum suam recte dioecesim regere, cui optimum Semina-

(1) Act. Beatif. ejusd. Barbad. T. II. Summar. pag. 133.

(2) Ibid. pag. 109.

(3) Ricchin. in vita ejusd. Beati l. 1, c. 12. et Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 219.

rium non suppetat. Similem esse ajebat hunc inexperto agricolae, qui non haberet in promptu locum, unde plantas sumeret transferendas, ubi opus esset, in agrum suum (1). Ac propterea nihil intentatum ipse reliquit, quod ad id conferre posse intelligeret. At unus, tot praesertim tantisque rebus implicitus, non poterat id praestare sine aliorum opera, quorum partim in promovendis alumnorum studiis, partim in regendis illorum moribus toti essent. His enim duobus quasi vinculis contineri debet Seminarium; iisque laxatis, et ipsum solvitur non sine ingenti dioeceseos damno. Ut enim si vitiosum alicujus fabricae exemplar sit, procumbit et ipsa in vitium; si rectum, recta consurgit: sic dioeceseos ac Seminarii eadem omnino conditio est, a quo peti debent, qui eamdem regant. Quare unde unde coepit exquirere praestantes viros cum scientiae laude, tum vitae, quorum ope, quod meditabatur, perficeret. Neque enim vulgaris quaedam Seminarii forma ac species in ejus mente insidebat, sed pulcherrima, sed eximia: ad hanc ille consilia sua referebat.

Primum itaque accivit Mediolano probatissimis moribus sacerdotem, quem disciplinae alumnorum, totique Seminario praefecit. Erat is Carolus Bartholomaeus Piazza, cujus nomen erudita ab ipso jampridem edita monumenta illustrarunt, et splendida munera egregie gesta. Hic sodalitati ei nomen dederat, quam Mediolani jamdiu instituerat S. Carolus Borro-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 225.

tractus, et appellaverat Oblatorum, quod qui in eamdem adscriberentur, in omnibus suam operam episcopo sponte offerrent. Eidem plurimum tribuebat vir beatus, ac sine consilio ipsius (quippe quem experientissimum noverat) nihil statuere solebat, quod ad Seminarium pertineret (1).

## CAPUT II.

### *Ejus vigilantia, et disciplinae studium.*

Neque vero hujus, et aliorum tantum vigilantiâ contentus, omnino acquiescebat illorum fidei. Erat sane ille ingenio minime suspicioso, non tamen levi ac nimis credulo. Hinc Seminarium fere quotidie adibat, omnibus plerumque necopinantibus superveniens. Vetuerat enim dari signum adventus sui. Volebat, quin animadverteretur, errare, ut sibi lubitum, hac et illac, neque a se putabat alienum aliquando descendere vel ad infima. Volebat, inquam, suis ipsis oculis omnia cernere et explorare, num eadem composite, ordine ac rite fierent. Neque haec, ut e Seminario mox discessurus; non raro in eo pernoctabat, ac versabatur insuper plures dies. Quin videbatur huc transtulisse sedem episcopalem. Illam nimirum dignitas ipsi dederat, istam amor. Sic ille singulos penitus rimari poterat et inspicere, ac plenius nosse uniuscujusque indolem, studia, mores. Semper enim omni-

(1) Argelati Bibl. Script. Mediol. Gima Elog. Accad. pag. 60. Picinel. in Athenaeo pag. 107.

bus aderat, immo omnibus exemplo praeibat, sive orarent, sive legerent, sive alias exercitationes obirent (1).

Quamquam optime eosdem noverat, ex quo ipsos in Seminarium exceperat (2). Ubi nimirum quis excipi se postularet, antequam eum admitteret, diligenter examinabat, quo animo accederet, quo consilio: num honoris, commodi et lucri causa, an potius suae et aliorum procurandae, cum posset, salutis studio: temerario ne ac caeco impetu, an intimo Dei afflatu et impulsu; qua aetate, quo ex genere esset, qua diligentia, quo ingenio. Solitus eadem rursus et accuratius exquirere, cum idem peteret sacris ordinibus initiari. Minute de omnibus doceri ipse volebat, de omnibus certior fieri. Ob id non unum rectorem adhibebat ille in consilium, sed praeceptores etiam, quique in contubernio ipsi praeerant (3).

Ceterum talis erat quotidianae disciplinae institutio. Silentium statis horis nefas abrumpere, nefas colloqui cum externis, immo cum domesticis etiam famulis, non prius obtenta a rectore venia. Interdicta quaelibet ostentatio in vestibus (4).

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 230. Jacobettus pag. 214.

(2) Seb. Franzonus Epist. de vita et studiis Jacobi Jacobetti. Vide etiam Ricchinium in vita B. Gregorii l. 1. c. 12.

(3) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 264. Ricchin. l. 1. c. 13.

(4) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 225. et T. II. pag. 212. et Instit. ad Semin. Regim. P. IV. pag. 66. 70. 71.

Parva haec quis existimet ac levia; verum res parvae crescunt, praecipue in vitium, saepe ultra modum. Id experientia compertum iis, qui in Seminariis institutioni juvenum praesunt. Quamquam omnibus notum illud: *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enunciant de illo* (1). Unde S. Bernardus, *prima*, inquit, *cura est componere exteriorem hominem*. Hinc nescio quem ex alumnis, licet de se plurimum polliceretur, ex Seminario perpetuo exclusum fuisse invenio, quod elegantiorem, quam par est, affectaret vestium cultum, et ab ecclesiastica gravitate abhorrentem (2).

Grata tamen Gregorio fuit urbana quaedam et liberalis concinnitas in agendo, quae sibi conciliat animos, rusticis moribus plane infensa. Ad hanc ejus jussu instituebantur alumni, dummodo tamen esset ad severioris modestiae leges exacta. Hanc enim primam Gregorius fecerat curam suam, ut ad modestiam componeret mores juvenum; hanc ab iis poscebat in omnibus; hanc ubique, et in omnibus jubebat eos prae se ferre, statu, habitu, incessu, vultu. Sermonis etiam urbanitatem sollicite requirebat ab omnibus. Ac propterea ejus praecepta volebat quotidie legi, cunctis audientibus, in triclinio, et cum notari, cui verbum minus urbanum excidisset vel fortuito, ne excideret rursus postea (3). Omnes praeterea jusso-

(1) Ecclesiastic. XIX. 27.

(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 192.

(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 207, T. IV. pag. 230. Instit. ad Regim. Sem. P. IV. pag. 66. 67. 69. 71.

rat, vel cum triclinium ipsum adirent, sacris precationibus iter prosequi (1).

Quarum legum omnium (quae minimi habendae alicui fortasse nunc videri poterunt, fuerunt autem magnarum rerum exordia) erant juvenes illorum temporum servantissimi. Quod tamen etiam tunc admiratione non caruit. Certe scripsit ejus temporis vir amplissimus, Seminarii hujus alumnos tunc se gessisse tam severe et continenter, ut viderentur non jam florentes juvenes inter se aetate, indole et conditione dissimiles; sed totidem potius religiosi viri, rigidioris disciplinae claustris addicti (2). Adeo GREGORIUS fuit de recta illorum institutione sollicitus! Quod quidem clarius adhuc apparebit ex iis, quae dicam.

Adventantibus autumnalibus feriis, quibus alumnis fit e Seminario discedendi potestas, major, quam antea, erat GREGORII cura pavorque. Timebat siquidem ne sub liberiore caelo liberius viverent. Eos itaque in pervigilio Virginis assumptae in caelum cogebat in templum, enixe unumquemque obsecrans, ne a pristina disciplina deflecterent (3). „*Filioli mei*, ajebat, opinor, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (4). *Filioli, nemo vos seducat* (5). *Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos*

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 225.
(2) Ibid. T. IV. Informat. pag. 34.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 208.
(4) Ad Galatas. 4. 19.
(5) I. Joann. 3. 7.

*ambulare . . . . sic et ambuletis* (1). Non labes moribus, non studiis torpor, non languor pietati obrepat. *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare* „ (2). Qua vero discedebant die, pane reficiebantur angelico (3).

Peractis his, viam inibant, domum quisque suam regressuri. At non poterant a Gregorii corde divelli: eosdem ille prosequebatur epistolis caritatis plenissimis. His sua ipse manu subscriptis, cum sacris Pastoribus, tum ipsorum parentibus eos commendabat, dulcissima tamquam pignora. Ac dioecesanis quidem Pastoribus inculcabat, ut eorum moribus invigilarent attente, et ea ipsis vitanda praescriberent, quae clericos minus decent: otiosorum conventus, alearum ludos, publica spectacula, periculosa consortia: orationis autem studium, Sacramentorum frequentiam, sacrorum Canonum observantiam, atque alia, quibus optima paritur et alitur disciplina, apud eos promoverent impensius. Porro in eorum ad urbem reditu, qui ad Septembris exitum imminebat, de vitae genere, quam duxissent toto illo temporis spatio, fieri volebat omnino certior per epistolas Parochorum manu obsignatas, eorumque sigillo impressas, ab ipsis et a Foraneo regionis illius Vicario jurejurando confirmatas. Et ad omnem invidiam ab iis amovendam, aperte ajebat, hoc se jubere pro sua in ipsos auctori-

(1) Ad Thessal. 4. 1.
(2) III. Joann. v. 4.
(3) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 208.

tate et imperio: nec quemquam recipi patiebatur, qui hujusmodi commendatione careret (1).

Neque id ex importuna quadam acerbitate naturae, (a qua Gregorius aberat quam qui maxime) sed ab eximio, quo incendebatur, ecclesiasticae disciplinae studio manabat. Erat ille quidem benignus in clericos, non remissus; omnibus, quoad poterat, indulgebat; neminem vero unquam usque eo carum habuit, ut conniveret ad ejus vitia: acrioribus etiam (quod tamen raro et invitus) remediis utebatur, tum solum, cum frustra scilicet adhibuisset non semel antea leniora. Ceterum domi, foris, in suos, in alienos, sive benevolos, sive infensos, semper sui similis Barbadicus: mitis, benignus, humanus, vel in reos, quos suavissime corrigens solabatur (2). Si quis ex alumnis eum adiisset molesta aliqua cura affectus, jacentem erigebat, recreabat afflictum (3). *Singulis* (quod praecipit S. Gregorius Magnus) *singulis compassione proximus* (4), de se fateri poterat, quod Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (5)? A Seminario neminem volebat excludi, nisi prius experientia constaret, eumdem corrigi plane nolle. Hac ille patientia quosdam ad bonam frugem praeter omnem exspectationem traduxit (6). At si quem forte

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 225.
(2) Ibid. pag. 402. et seq.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 227.
(4) De Cura Pastor. P. II. c. 1.
(5) II. ad Corinth. 12. 29.
(6) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 233.

eo vitio laborantem comperisset, quod nominari vetat D. Paulus, eum statim longe amandabat, ne ceteros eodem contagio inficeret. Minus castigatum et verecundum in verbis juvenem cum rector vellet gravi, ut par erat, poena afficere, eumdem, re cognita, abire jussit, nulla interjecta mora, GREGORIUS (1).

Idem Seminarii legibus obstringi voluit, et iisdem obtemperare tam praeceptores, quam clericos, poenis utrisque praemiisque propositis. Utrosque, ubi opus esset, remotis arbitris, corrigebat. Summa prudentia in omnibus, in iis etiam quae praevideri non possunt, et sunt omnino fortuita.

Seminarii bono intentissimus ad ultimos etiam pueros se demittere non erubuit vir insignis, suavitate oris temperans majestatem. Detinebatur cum iis diutius eosdem interrogando, ac respondentes audiendo. Hac ille familiaritate colloquii expiscabatur plurima, et si quid esset, quod episcopi cognitione et praesenti medicina indigeret, ei non sapienter minus, quam efficaciter occurrebat (2). Non raro putabatur abesse, et ecce in Seminarii vestibulo Cardinalis. Ita aeque omnes continebat ipse in officio, tam qui suberant, quam qui praeerant: Seminarium non generali tantum et subobscura, sed perspicua ac certa omnino scientia complectens, atque adeo in singula ejusdem membra introspiciens (3).

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 384.
(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 255. et T. IV. pag. 163.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 224.

Ad hanc scientiam acquirendam plurimum contulit etiam aliud, quod ipse instituerat. Qualibet hebdomada, stata die praeceptores convenire certum in locum cum rectore ex ejus jussu oportebat. Hic illi communi consilio deliberabant, quae sibi prae ceteris videretur utilis ratio educandae juventutis in Ecclesiae spem succrescentis. Ibidem semper (nisi eumdem vocasset alio episcopalis muneris ratio) GREGORIUS aderat, et aliis praeerat, eam disciplinam constanter promovens, quae ad pietatem necessariam quamdam adhibet praecursionem, et ad eamdem animos parat (1). Utque omnibus constaret aperte, id sibi esse omnino propositum, imaginem S. Caroli Borromaei, qui magnum ecclesiasticae disciplinae et absolutum exemplar fuit, pingi Seminarii jussit in janua, et haec eidem subscribi: *Disciplina tua ipsa nos docebit* (2).

## CAPUT III.

### *Pietatem promovet modis omnibus.*

Hujus disciplinae veluti fundamento solida illa nitebatur pietas, quae in omnibus alumnis illorum temporum erat plane insignis, singulis tamquam propria.

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 264. et T. IV. pag. 274.

(2) Psalm. XVII. v. 39. Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 96.

Facile id perspiciet quicumque intelliget, quem tamdem ipsi tenerent vitae cursum. Sola ipsius expositio prolixa laudatio est. Ut id praestemus, versabimur in rebus singulis et minutis: neque nos pigebit; in his enim facile natura se prodit. Ex singulis autem coalescit historia, et hanc, quae minuta sunt, probabilem magis reddunt. Sed rem ordiamur.

Omnes itaque bene mane surgere jubebantur quotidie, et horae dimidium in earum rerum contemplationem impendere, quas post coenam praecedentis diei iisdem proposuerat Confessarius in templo, vel ipse Episcopus. Solebat enim ille in aliorum quoque partes descendere, et eorum onera sibi imponere. Debebant omnes piam hanc obire exercitationem tum clerici, tum magistri. Utrisque praebebat Cardinalis illustre exemplum, quoties pernoctasset in Seminario, licet eadem hiemali tempore duabus horis et amplius anteverteret ortum solis. Ad hanc facile et utiliter obeundam pueris certas praeceptiones ipse tradiderat, factus parvulus cum Apostolo in medio eorum (1). Vix hac peracta, recitabant statim clerici in honorem Virginis officii partem, partem vero submissa voce cum divino interessent sacrificio; quod reliquum erant persoluturi, ingruente nocte, pomeridianae scholae munere jam perfuncti (2).

Quotidie praeterea ab aliquo ex alumnis, id praescribente Gregorio, dum ceteri cibum sumerent in

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. p. 188. 189.

(2) Institut. ad Semin. Regim. p. 63.

triclinio, vel sacra concio habebatur, vel ascetici, ut ajunt, libri alicujus lectio. Haec parcam condiebant illorum mensam, praecipue vero *Acta Mediolanensis Ecclesiae* (1). Sic illi reficientes corporis vires etiam animum recreabant, negotiosi vel ipso in otio, cui GREGORIUS perpetuum bellum indixerat, ut omnium malorum maximo et juventuti perniciosissimo. Mox a prandio vel coena recens ferebatur in templum quilibet, acturus, ut par erat, gratias Deo, Christum veneraturus involucro panis obtectum (2). Tum relaxare animum a curis datum. Institui postea pomeridiano quidem tempore sacra lectio: cui semper, quoties ibidem esset, intererat BARBADICUS, modo in sacello domestico, modo in aliquo contubernio; saepe solitus interpellare anagnostem, et, tamquam pater, alloqui filios suos, quorum erat corona cinctus: *Fili* (ajebat idem unicuique *in ostensione spiritus et virtutis* (3)) *Fili, quasi a facie colubri, fuge peccata* (4). Tum divinae gratiae necessitatem, aut quid hujusmodi plerumque iis inculcabat (5). In eo autem potissimum totus erat, ut illorum animos in dominicae passionis meditatione defigeret (6). Hac, dulcissimo quasi pabulo, eosdem frequentissime recreari cupie-

(1) Act. Beatif. T. IV. pag. 60.
(2) Institut. ad Semin. Regim. pag. 63.
(3) I. ad Corinth. 2. 4.
(4) Ecclesiastic. 21. 2.
(5) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 52.
(6) Ibid. T. II. Summar. pag. 70.

bat. Hinc interdictum cujuslibet hebdomadae feria sexta Seminariensibus quovis ludo (1).

Noctu vero, prius quam cubitum irent, solebant omnes orare unanimes, introspicere singuli in mentem suam, eamque tractare diligenter, investigare et excutere, ac se se taciti percontari, quid egissent ea die, vel dixissent, vel cogitassent (2). Haec privati cujusdam quasi judicii forma in se quotidie ab iis instituta, multum corrigendis moribus, et provehendis in melius proderat. Multo vero magis Sacramentorum frequentia. Itaque sacris ordinibus initiati unaquaque hebdomada jubebantur ad altaris mysteria accedere; alii clerici bis in mense; ceteri ex inferiori familia semel. His autem postremis in hoc, aliisque rebus ad religionem spectantibus, ut plurimum, praesto erat, qui rei domesticae praeerat (3).

Ac ne unquam hic pietatis ardor frigesceret, bis quotannis, primum in nova studiorum instauratione, tum ad exitum Bacchanaliorum, spiritui exercendo vacabant aliquot dies alumni. Tunc abesse licebat omnino nemini, nisi intercederet gravis causa. Si quis abfuisset, multabatur certa pecuniae vi, et interdictione suscipiendorum sacrorum ordinum toto anno eo (4). Postrema eorumdem Bacchanaliorum die re-

(1) Instit. ad Semin. Regim. pag. 17.

(2) Ibid. pag. 63.

(3). Act. Beatif. Summar. T. II. pag. 215. et T. IV. pag. 220.

(4) Ibid. T. II. Summar. pag. 206.

ligiosa pompa ferebantur omnes ad D. Antonii, ibique mensae accumbebant angelicae. Hoc primus omnium GREGORIUS jussit ad civitatis exemplum. Ob id etiam voluit hac ipsa die eosdem agere se se huc illuc, et Eucharistiam venerari expositam in templis publice (1).

Haec his diebus: ceterum toto anno magna pietatis cura. Ad hanc fovendam apud se habere jubebantur omnes S. Francisci Salesii librum, qui dicitur *Filotea*, tum Seminarii Constitutiones, Monita S. Caroli Borromaei, et alia hujusmodi incitamenta virtutis (2). Sacram aliquam praeterea imaginem, quam orando spectarent, esse perpetuo voluit in scholis (3). Pietas praecipue erat in oculis BARBADICI. Quidquid moliretur ille, vel ageret, prae omnibus pietatem spectabat.

Clericorum Confessarium saepe admittebat, eique indicabat vel idoneos libros, quos legeret, vel quae alumnis utiliter animo recolenda proponeret, cupiens eosdem assidue progredi pietatis studio (4). Ubi vero eligendus esset aliquis in magistrum, licet optime ipse unumquemque nosset, sibi tamen diffidens ab aliis etiam solebat accurate illud in primis quaerere,

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 220. Nunc postremis tribus Bacchanaliorum diebus Eucharistiam venerantur publice domestico in templo expositam ad vesperam, et ejus cultum apud alios promovent sermone sacro.

(2) Institut. ad Seminar. Regim. pag. 31. 32.

(3) Ibid. pag. 54.

(4) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 219.

qua is probitate esset, qua indole, quibus moribus. In his enim putabat (ut revera est) momentum maximum esse positum. Nec eligebat quemquam, nisi praestaret vitae laude (1).

Non dignitate ac scientia tantum praeire discipulis praeceptores volebat, sed multo magis pietate ac religione: volebat, inquam; eos ab his erudiri *in timore Domini*. Quare in inferioribus scholis non diebus solum Dominicis sacram catechesin haberi jussit, sed cujuslibet praeterea hebdomadae certa die, litteraria institutione peracta (2). Si quid in profanis auctoribus forte occurreret, quod optime cum religione nostra concineret, id praelegi a magistris voluit et inculcari discipulis. Amoveri autem longe, ac prorsus eliminari quidquid nocere posset bonis moribus, nondum in tuto positis (3). Ac propterea singulos praeceptores pro suis auditoribus orare jubet, iisdemque se cum ad litteras, tum ad virtutem praebere duces (4). Vult ipsos in se eam pietatis formam exprimere, quam illi vita imitentur. Nunquam destitit commendare pietatis studium. Quin eamdem promovit modis omnibus, adhortationibus, monitis, legibus, institutis; maxime vero exemplo: quod omnium maxime efficax (5). *Virtutem enim et exercet et ostendit recta actio* (6).

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 29. et T. IV. pag. 28.
(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 63. T. IV. pag. 28.
(3) Instit. ad Semin. Regim. pag. 79.
(4) Ibid. pag. 83. et 103.
(5) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 222. et 225.
(6) Senec. Ep. XCIV.

Utrumque praestare nequit sola admonitio et imperium.

Explicari verbis non potest quantum id prodesset. Satis erat eum intueri, satis cum ipso colloqui, ut inde quisque pietate proficeret. *Leges, ut faciamus quod oportet, non efficiunt* (1). At unus illius aspectus vehemens erat ad pietatem impulsus. Id aperte testatus est nescio quis ex praeceptoribus ejus temporis. Ea aetate (ut antea animadvertimus) jubebantur omnes magistri mature admodum, praecipue in hieme, quotidie surgere, *Asceterium* omnes adire, ibique mentem intendere in contemplationem rerum aeternarum. Hac ille lege solutus erat, quippe qui utebatur tenui ac infirma valetudine. Idem tamen excitatus Gregorii exemplo se continere non poterat, quin curaret quovis nisu interesse cum aliis piae illi exercitationi, quamvis non sine incommodo (2). Tantum poterat unus illius aspectus! revocare ad rectum potuisset vel in prava conversos. Ajebat olim Pythagoras, *alium animum fieri intrantibus templum* (3). Sic qui Gregorium adibant, si vitiosi fuissent, repente alii propemodum evadebant. Ad modestiam nimirum et pietatem componebantur. Quin juvabat etiam ejus occursus ipse fortuitus. Ingens enim erat, et pervagata apud omnes illius sanctitatis existimatio et fama (4). Eo praesente, nemo ausus esset praevaricari.

(1) Senec. Ep. XCIV.
(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 204.
(3) Senec. loco cit.
(4) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 340, et 341.

Abhorrebat ille siquidem, cum a malo, tum etiam a qualibet specie mali. Nescio quem publice disserentem silere jussit, quod minus caute, crediderim, et circumspecte quaedam arguentis more attulisset, quae divinam laederent Providentiam (1). Nihil pati poterat Barbadicus, quod videretur aliquo modo cum pietate ac religione penitus non congruere. Atque hoc eximiae vitae innocentiae et integritati in eo tribuendum: quam quidem in omnibus requirebat, praecipue vero in alumnis, cum corporis modestia et castitate conjunctam.

Hanc ab iis exigebat in verbis, in vestibus, in capillis. Ac talarem quidem vestem extremam omnium exuere, suo quisque in lecto, jubebantur alumni, omnium primam induendam ipsis postea, antequam efferrent linteis pedem (2). Ad minima in his descendebat Cardinalis experientissimus. Potest siquidem vel in minimis periclitari innocentia. Ab exigua saepe scintilla incendium; unde incolumes evadimus tantum fuga. Ideoque illud rectori identidem commendabat summo studio, ut longe arceret quidquid posset clericorum candori officere, epistolas, socios, libros (3). Hinc licet aliquando theatrales ludi permissi (in privatis scilicet ac domesticis contuberniis, quibus intererant tantum bene morati viri, in quibus nihil non severiori trutina expensum) licet, inquam, hac ra-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 28.
(2) Ibid. pag. 383. 391.
(3) Ibid. pag. 385.

tione theatrales ludi aliquando permissi; vetitum tamen sumere muliebres vestes: vetitum referre personam feminae (1). Seminarium ingredi feminis interdictum, editis etiam ob id decretis (2). Familiaritates vero, consuetudines, amicitiae inter alumnos nimis intrinsecae, a GREGORIO semper habitae tamquam pestes (3). Ejusdem odium in vitium hoc implacabile. In ipsum coeperat aliquando clericos inflammare dicendo. Virginalis pudor impediit, quominus exprimeret ejus nomen. Usus reticentia, quae magis efficax vel diserta oratione fuit, institutum sermonem repente abrupit (4).

Sed quoniam noverat vir beatus sapientis illud: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det* (5): ad id obtinendum eos praesidiis in primis caelestibus niti voluit; ditavitque propterea parte exuviarum corporis S. Casimiri Polonorum Regis, omnium colentium castitatem patroni singularis (6): hanc enim asseruit ipse morti proximus constantia memorabili. Vitae maluit, quam castitatis jacturam facere ex medicorum consilio. At clericos illud praecipue GREGORIUS docuit, patrocinio nimirum fidere Virginis Deiparae, quae dicitur a Chrysologo *Reginæ*

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 387.
(2) Ibid. pag. 384.
(3) Instit. ad Semin. Regim. pag. 58.
(4) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 67.
(5) Sapient. VIII. 21.
(6) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 387.

*totius castitatis* (1). Eam demereri sibi unumquemque jussit modis omnibus et officiis, jejuniis, precibus, moribus plane integris.

## CAPUT IV.

*Domesticam clericorum Congregationem erigit. Hujus Instituta.*

Utque ipsos eidem arctius obstringeret, inter eos Sodalitatem instituit sub tutela Virginis sine labe conceptae. Huic addidit sanctissimos insuper viros duos, Philippum Nerium et Carolum Borromaeum, alterum juventutis eximium, peculiarem alterum Seminarii patronum. Horum praesidio suffultos in studiis progredi alumnos voluit, maxime vero Virginis, cujus proprium esse affirmabat, purgare mentes, et hebetes intelligentia donare (2). Diebus iisdem sacris, ad augendam eorum celebritatem, Seminarium adire solitus Cardinalis, ac suamet ipse manu clericos reficere sacro pane (3). Interim musici concentus, splendidus apparatus, academiae litterariae, tanti Principis praesentia et hilaritas ex vultu emicans, omnia ad religionis incitamentum conspirabant; plurimum vero sermo, quo Gregorius his omnibus solemniter peractis

(1) Serm. CXLIII.
(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 54. et 224.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 77.

quasi coronidem imponebat (1). Haec porro Sodalitatis illius instituta, quae adhuc vigent. Erat in singulis contuberniis, qui tirones condocefaceret, tum alii duo, qui moribus corrigendis instarent. Si quis obiisset ex iis, qui in eamdem adscripti fuerant, certa quaedam piaculiaria sacra habebantur ad aeternam ejus felicitatem (2). Haec omnia Episcopi auctoritate praescripta et confirmata.

## CAPUT V.

*Quam sollicitum eum habuerit studiorum cura.*

Sed satis de pietate ac disciplina, cujus quidem potissima erat (ut esse debet) ac princeps cura; non tamen unica, immo etiam doctrinae maxima. Etenim *tam doctrina, quam vita vir ecclesiasticus clarere debet: doctrina siquidem sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit* (3). Quare hanc promovit Barbadicus assiduis laboribus, consiliis, ac digna Principe litterarum amantissimo munificentia (4). Litteratissimus ipse optime sensit de litteratis, eos-

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 83.

(2) Ibid. T. IV. Summar. pag. 224.

(3) S. Isidorus l. 3. sent. 36.

(4) *Nobis semper cordi fuit, praestantissimos pietate, scientia ac eruditione clericos et sacerdotes alere.* Beatus Gregorius in libro, cui titulus: *Lettere Pastorali ec.* pag. 104.

que undique ad se invitavit, ut ita vehementius clericos ad studia incenderet. *Primus enim discendi ardor nobilitas est magistri* (1).

Non Venetia, non Liguria, non tota Italia ejus vetis par. Aderant ex ulterioribus provinciis, ex remotissimis gentibus viri insignes, ex Scotia, Hibernia, Mesopotamia, Romae ipsi, ut opinor, cogniti, in illa scilicet omnium fere nationum luce. Hos Gregorius benigne excepit, impense fovit et aluit. Qui Patavium cum primum venit, Seminarii alumnos reperit tantum duodecim, triginta praeceptoribus cito Seminarium ipsum ornavit, cum pietate praestantibus, tum doctrina (2).

Dicam de quibusdam ex iis singillatim, quorum nomina transmisit fama. Hinc enim ingens Seminario patavino honoris et existimationis accessio. Inter hos erant ex Scotia tres, Nicolsonus, Irruinus, Legle. Horum primus in mathematicis vir eximius; prius docuit, studiis postea praefuit, ad extremum cum rediisset in Scotiam, aberdonensis archiepiscopatus honore est auctus. Fuit Irruinus graecarum litterarum cognitione praecipuus. Plurimum vero Legle theologica scientia eminuit; apud Hungaros primum Vacciae, post Lubianae episcopatu potitus (3). Ex Carmelitarum etiam familia virum in primis doctum et eruditum sibi curaverat Barbadicus, Ferdinandum

(1) S. Ambrosius l. 2. de Virg. post init.
(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 219.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 26. 222, 275.

Ascolanum Romae natum. Hunc omnium primum invenio in Seminario recens exstructo professum esse scholasticam theologiam (1). Habuit idem in hoc munere successorem Dionysium Ochmanum virum celebrem ex Hibernia.

De omnibus disciplinis, earumque cultoribus optime meritus vir beatus; ab eodem ex Oriente deductae sunt antiquiores linguae, et in Seminarium exceptae. Vocati pariter ab urbe Roma, qui hebraicam traderent et arabicam, P. Aloysius Maria Benetellus, et P. Agapitus de Valle Flemmarum; ex Reformatorum hic, ille ex ordine Minimorum: clarum in litteraria republica uterque nomen (2). Ceteras vero orientales linguas in Seminario profitebatur Timotheus Agnellinus Mardini archiepiscopus, pluribus monumentis illustris (3). Eximia etiam fuit illa Gregorii laus, tum quod facultates, quae non admodum prius vigebant, utiliter propagavit et auxit: tum quod vitiatas emendavit atque restituit. Philosophiam novo splendore ornavit; theologiae reddidit D. Thomam, quem peculiari ipse studio prosequebatur; ejusque Summam optimis commentariis illustratam, nitidissimis Seminarii typis edendam curavit (4). Per illum magno in honore utraque historia sacra et ecclesiastica haberi coepta. Hanc

(1) Mazzuchell. Hist. litter.

(2) Ibid. loc. cit. Act. Beat. T. II. Summar. pag. 109. 154. et T. IV. pag. 95.

(3) Ibid. T. II. Summ. pag. 110. 112. et T. IV. pag. 95.

(4) Ricchin. in vita ejusd. Beati l. 1. c. 12.

vero et ipse coluit impense, et nonnullis praeterea clericis subsecivis horis explicuit (1). Per illum geographiae additum novum decus, tabulis scite incisis, et accurate descriptis (2). Humaniorum litterarum cultus et utilior evasit et elegantior. Ne longum faciam, graviores quaelibet disciplinae, quae prius non erant, in Seminarium sunt, auctore illo, introductae ad religionis incrementum et animorum culturam. Unus ille omnia moderabatur, omnesque jubebat (ut antea diximus) praeceptores pariter et clericos, ceterosque Seminarii ministros, iisdem omnino legibus esse obnoxios, quas olim S. Carolus Borromaeus Seminariis a se conditis constituerat. Addidit tamen ipse peculiarem quamdam studiorum methodum, quam pro sua in iis omnibus eruditione conscripserat.

At sciebat irritas leges esse, nisi iisdem homines obsequantur: utebatur propterea vigilantia et industria summa Gregorius in excitandis omnibus ad eas implendas. Numquam ab iis recedebat. Aderat praelegentibus, disputantibus, colloquentibus. Volebat omnino singulos juvenes iis addici artibus ac scientiis, quae omnium maxime eorum accommodarentur ingeniis, quo facilius possent in iisdem progredi. Nec iis indulgebat, ubi contra sentirent. Ipsi enim aetate simul et judicio infirmi, plerumque speciosa potius eligunt,

(1) Ricch. loco cit. Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 207. T. VI. pag. 323.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 207. Sebast. Melchiorius, Acad. in fun. ejusd. Beati pag. 20.

quam apta et convenientia sibi ; ex quo fit, ut haereant miseri, nec proficiant. Notabat etiam, quem docendi modum tenerent praeceptores ; ac si forte errassent, eos admonebat : clanculum tamen, ne quid illi existimationis amitterent apud suos discipulos (1). Praeterea aliquando obibat magistri vicem, tamquam hypodidascalus. Nihil sibi defugiendum putabat. Ex Seminarii instituto statis diebus quacumque hebdomada plures litterariae exercitationes domesticae haberi solent. Designati prodeunt et experiuntur suas vires. Qui scientiis student, disputationem ineunt ; qui litteris, aliquid a se confectum publicae censurae subjiciunt. Delectabatur GREGORIUS plurimum, nam his intererat, cum videret praesertim pueros in hac privata quasi palaestra insurgere, et in socios arma distringere (2). Iisdem animos dabat, quasi *aquila provocans ad volandum pullos suos* (3). Hi ejus praesentia erecti, eidem certatim singuli nitebantur industriam suam, ac se probare. Maximus erat illis laboris fructus, suas litterulas Episcopi sui aspectu judicioque honestari.

Ubi vero graviores habebantur disputationes, non solum aderat, sed argumentantis aliquando personam solebat et ipse induere, et ut certamen splendidius redderet, et ut majus discipulis ac magistris ad studia incitamentum praeberet. Quod quidem tunc vel maxime

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 189.

(2) Instit. ad Semin. Regim. pag. 84. 108. Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 220.

(3) Deut. 32. 11.

illi erat familiare, cum clericis ad examen vocatis, Seminarii censum haberet. Idque bis quoque anno fiebat. Quindecim dierum spatium absumebant hujusmodi clericorum tentamina. Ut omnes audiret vir beatus, ceteris non omissis, sed pro sua vigilantia expeditus curis, sedens praestabat diebus singulis horas decem, quinque mane, totidem post meridiem (1). Ac ne ulla ex multitudine confusio existeret, privatim singulos admittebat humaniter, de omnibus quae didicissent in scholis, eos accurate interrogari volebat; non raro et ipse eosdem interrogabat; vir altitudine mentis summa, attente admodum illorum responsa excipiens. Quod si inter haec aliquando coactus esset audire externos ad se adeuntes, parumper intermittebat examina, ne quid praeteriret inobservatum (2). Nihil eum latebat inquirentem omnia; tutius colligebat ex hoc tentamine qua quisque esset sedulitate, quo ingenio, quantum profecisset moribus ac studiis. Recognoscebat, quod antea noverat, ubique hortator, ubique judex, ubique praesens, domesticus, paene dixerim, factus et familiaris.

Et quoniam experientia compertum illud habebat, excitari vehementer omnes, tam praeceptores, quam juvenes sua praesentia; ideo semper intererat examinibus: quod quidem in illo magnum. Erat enim aliquando valetudine valde improspera, et in dies accre-

(1) Acta Beatif. T. IV. Summar. pag. 220. 223. 323. 342.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 208.

scebant incommoda, ex institutione praesertim vitae tam austerae ac laboriosae. Obriguerant ei vi frigoris manuum nervi, adeo ut vix digitis uti posset. Ad recuperandos eorum motus ei adhibenda erant graveolentia non raro animalium exta. His manus involvere solebat ipse ex medicorum praescripto. Nec tamen unquam cessit incommodis, nunquam propterea interesse abstinuit (1): usque ad exitum in incepto perstans serena fronte. Cujuslibet obliviscebatur molestiae, rei hujus utilitatem contemplans. Absolutis his examinibus, in formam judicii erigebatur tribunal. Huc ascendens qui studiis praeerat, sententiam de alumnis singulis pronunciabat. Audito suo quisque nomine, debebat statim surgere, vel laude, vel vituperatione pro suis meritis excipiendus in magna auditorum corona. Aderant enim non domestici solum, sed et externi, de industria et ipsi vocati; ut eorum consessus frequens ornaret locum, et rei gravissimae speciem exhibens, eamdem animis juvenum alte infigeret (2). Varias interim quasi partes trahebat *corda pavor pulsans*, *laudumque arrecta cupido* (3). Tum jubebatur accedere, qui eminuisset diligentia et ingenii fructu prae ceteris, relaturus vel libros, vel pecuniam, vel quid simile ab eminentissimo Principe loco praemii. Quod omnibus maximo erat incitamento ad studia.

Ne his languor vacationum tempore obreperet, as-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 323.
(2) Ibid. pag. 231.
(3) Virg. Æneid. l. 5. v. 138.

signari singulis consueverat, quod tunc conficerent. Confectum exhibere debebant dictatum sibi a magistro pensum redeuntes alumni. Cardinalis recipi volebat prorsus neminem, nisi hujusmodi quasi tesseram prius offerret (1). Actuosus ipse actuosos reddebat et alios, praecipue alumnos. Hos ne in otio quidem patiebatur otiari. Recentes a prandio jubebat vel dare operam paullisper cantui, quem *firmum* dicunt, vel eleganti scriptioni. Jubebat etiam, (diebus illis exceptis, quibus aliqua a studiis quies) dum animum relaxarent, latine emendate loqui; saepe vero ad sacras caerimonias volebat institui et sacros ritus, tum praesertim, cum vacarent a scholae munere (2). Illud enim in primis curabat, ut clericos exerceret in iis, quae et mentem erudirent, et religionem foverent. Hinc dum ceteri mensae accumberent, ab alumno (quod etiam paullo ante indicavimus) nunc italica, nunc latina oratio panegyrica, vel alia hujusmodi sacra concio habebatur ter in hebdomada. Habebatur praeterea quolibet festo die, et hoc etiam in episcopali triclinio, auditore ipso GREGORIO (3). Grandiores autem officium in honorem Virginis recitabant graece (4), ut impensius excolerent graecam linguam, cujus addiscendae nemini immunitatem dabat (5).

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. p. 108.

(2) Instit. ad Semin. Regim. pag. 71.

(3) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 312. Instit. ad Semin. Regim. pag. 8.

(4) Act. Beat. T. II. Summar. pag. 111.

(5) Instit. ad Semin. Regim. pag. 77.

His ita constitutis Seminarium maxime floruit, ejusque nomen inclaruit cum apud omnes vicinos populos, tum apud exteros tota Italia et ultra etiam ejusdem fines. Satis habebant homines ejus temporis nosce, aliquem ex Seminarii patavini disciplina profectum fuisse. Non ultra inquirendo progrediebantur. Ipsum illico virum probum et litteratum putabant. Id unum maxima commendatio. Gregorius itaque rei hujus utilitate perspecta, edixit se velle in posterum promovere ad sacros ordines, et ad ecclesiastica, ut ajunt, beneficia eos tantum, qui educati prius fuissent in Seminario, ubi plures liberaliter ipse alebat suis impensis. Non ideo tamen promiscue omnes recipiebantur sine delectu. Ii solum adscribebantur inter alumnos, qui et egregiae pietatis prae se ferrent indicia, et aliquid non vulgare pollicerentur de ingenio suo (1). Ad id confirmandum plurimum valet quod scripsit vir magni nominis; clericum scilicet nescio quem a Seminario dimissum refert, quod ad studia minime videretur idoneus, qui tamen in sua dioecesi fuit habitus non indoctior (2). Tam diligens habebatur delectus!

Ac ne unquam studiorum praefectus facilius, quam par esset, admitteret candidatos, Gregorii jussu certa quadam utebatur nota, eidem ab ipso Gregorio tradita, ac tantum utrique cognita (3). Sic ille pla-

(1) Franzonus in epist. de vita et studiis Jacobi Jacobetti. et Act. Beat. T. IV. Summar. pag. 219. 232.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 274.

(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 296.

ne, uti convenerat, aperiebat episcopo quid sentiret; nec ulli offensionis periculo obnoxius erat. Vigilabat plurimum Barbadicus, ne in negotio, quod gravissimum judicabat, laberetur imprudens. Accuratissime in clericis requirebat scientiam. Erat enim ejus animo infixum illud: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (1). Hoc ille urgebat, iisdem perpetuo instabat. Idque non Seminariensibus tantum innotescebat. Clerici ubique omnes hujus sollicitudinis testes. Haec vehemens iisdem erat tamquam stimulus ad studia. Brevi: patavina dioecesis ceterarum evaserat quasi exemplar (2). Prae ceteris dioeceseos partibus Seminarium vigebat artium bonarum cultu, a Gregorio in deliciis habitum, quod hinc sumeret, quos tamquam operarios mitteret passim in vineam suam (3). Numquam ipse Seminarii cura vacavit. Diu noctuque, sanus, aegrotus, ac cibum sumens de Seminario cogitabat, perinde ac si haec una esset episcopi procuratio. Nec tamen mirum id, ut insolitum. Erat ille quidem multarum magnarumque rerum occupatione distentus. Expedivit tamen plurima; immo ipse unus, quam multi simul episcopi, longe plura: solitus ita singillatim quaeque perficere, ut unum illud agere videretur. Semper agens, numquam cessans, loco quietis habebat alicujus novi laboris vicem. Unde ille cuidam praeceptori (im-

(1) Oseae IV. 6.
(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 300.
(3) Ibid. pag. 220. 227.

tempestive crediderim) ab eo petenti, ut sibi liceret otio paullisper frui : » Quod rogas, inquit, ne egomet quidem mihi; filii, nati ad agendum sumus (1) » .

## CAPUT VI.

### *Oblatorum Congregatio, ejusque utilitas.*

Hac agendi sollicitudine incensus investigabat quidquid posset in bonum cedere Ecclesiae suae, idque statim nitebatur perficere. Quare Societatem instituit ad ejus similitudinem, quam jamdiu instituerat Mediolani S. Carolus Borromaeus, cui potissimum adhaerere decreverat in episcopali regimine. Qui in eamdem referebantur, dicebantur *Oblati*, eo quod in omnibus ad nutum episcopo sese offerrent, eidem prorsus addicti obedientiae voto (2). Vovebant etiam ii, quibus lubitum, paupertatem. Res haec uniuscujusque permittebatur arbitrio (3). Erant hi ex Seminariensibus, moribus et ingenio ceteris praestantiores (4). Plerique initiati sacris, mensae titulo, uti ajebant, gregorianae, iisque sacerdos praeerat ascitus ex ea me-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 133. et pag. 36. Respons.

(2) T. II. Summar. pag. 208. et T. IV. pag. 221.

(3) *Institutionum ad Oblatos SS. Prosdocimi et Antonii Ecclesiae pat. pertinentium epitome*, lib. 1. c. 4. pag. 17.

(4) Ibid. l. 1. c. 2. pag. 5. 11. Act. Beat. T. IV. Summar. pag. 225.

diolanensi Sodalitate, quam paullo ante indicavimus (1). Vivebant isti communiter, communiter habitabant domum Seminario proximam, quam ipsi coemerat Barbadicus, et appellaverat gregorianam, ad excitandam etiam in aliis venerationem in S. Gregorium Magnum patronum suum (2). Hac de causa anno 1671, die 12 Martii eidem S. Gregorio sacra, certas quasdam opportunas regulas tradidit solemni ritu novae hujus Congregationis alumnis, quam patrocinio fulciri, et nomine ornari voluit S. Prosdocimi protoepiscopi patavini, et ejusdem civitatis patroni principis, tum S. Antonii Patavinorum tutoris, miraculorum gloria celebratissimi (3). Acta haec tanto pietatis studio, ut non potuerit lacrymas continere Gregorius ipse, cui novum hoc institutum permagno constitit. Multa scilicet argenteorum nummûm millia, et plures alii praeterea sacri reditus ab eodem fuere liberaliter in id collati (4).

Solebat huc ventitare identidem Cardinalis, explo-raturus num singula ex lege fierent. Jusserat ille, cum cibum sumerent, accumbentibus aliis inservire unum ex ipsis, alterum ad mensam legere, pariterque ceteros deinceps omnes eodem fungi munere per hebdomadam (5). Lectione confecta, expendendum propo-

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 213. Cordara in vita ejusd. Beati pag. 54.

(2) Inst. ad Obl. l. 1. c. 3. p. 8. Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 231.

(3) Cordara in vita ejusd. Beati P. I. c. 13.

(4) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 59.

(5) Ibib. T. IV. Summar. pag. 165.

nebatur aliquid depromptum ex sacris Litteris, tum aliqua facti species ad mores pertinens. Jubebantur aperire singuli, quid sentirent. Ad extremum qui proposuerat rem, definiebat, eamdem arcessens a suis initiis. Alias quis ex his agebat ruralem parochum, jubente et inspectante GREGORIO. Is in evangelica veritate exponenda debebat ex ejus imperio uti sententiis cuilibet obviis, naturali ac simplici constructione verborum, tum vocabulis usu tritis, cognitis, familiaribus, quasique vernaculis; perinde ac si revera praesentem haberet, et alloqueretur rusticanam plebem ac rudem. Et haec ad nutum nulla praeparatione ante adhibita. Si quando errasset concionator in eligendo vel pertractando argumento, vel pronuntiatione, vel gestu, ipsum notari ab astantibus et admoneri volebat BARBADICUS. Quin ipse omnium primus exercebat in eum censuram accuratam et gravem. Nihil vitii patiebatur impune effugere. Erat id apud illum momenti maximi. Electurus aliquem ex iis in parochum sic illi ajebat: » Audiemus te concionantem in triclinio, postea deliberabimus ». Nonnunquam vero, ut ostenderet aliquem sibi satisfecisse dicendo, eum donabat apposito sibi ferculo. Et ut optime verteret hujusmodi exercitatio, iisdem in hoc praefecit eruditissimum virum Joannem Clericatum. Quibus effecit, ut et peritissimos et exercitatissimos ministros et operarios haberet (1).

Quas hinc utilitates perceperit, assequi mente faci-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 186.

lius possumus quam paucis exponere. Hinc eligebat quos animarum pastoribus vel adhuc viventibus adjutores daret, vel subrogaret iisdem morte sublatis. Quolibet vocarentur ipsi, gratis ferebantur ex instituto, ut docerent populos avocare aliquandiu animum ab aliis curis, eumque exercere meditatione caelestium. Bis in hebdomada, et omnibus praeterea festis diebus, de more Seminarii in templo solebant pios habere sermones, et Sacramenta adeuntibus ministrare. Solebant etiam praeire episcopo dioecesim invisenti, et in paroeciis, quotiescumque ad id invitati essent, lites et dissensiones componere, corruptelas tollere, et animorum offendicula, ad pietatem omnes incendere sacris concionibus et in primis exemplo vitae laudabilis (1). Plurimum insuper adjumenti ab iisdem habuit tabularium episcopale, Seminarii gymnasia, et ejusdem typographia. Paucis: quaelibet se se offerret occasio, episcopo aderant in praesidium, ad multa pro multiplici patavinae dioecesis et Seminarii necessitate parati (2). Iidem collegiorum moderatores, divini verbi praecones, pietatis ac religionis magistri, a beato viro appellati *genus electum*, *populus acquisitionis* (3); eorumque institutum, *vinculum*, *quo solidatur totius ecclesiasticae disciplinae compago* (4).

S. Gregorius Magnus in palatio apostolico Romae

(1) Instit. ad Oblatos l. 2. c. 4. pag. 59.
(2) Ibid. l. 1. c. 4. pag. 2. et seq.
(3) I. Petri 2. 9.
(4) In epist. ad Oblatos eorum instit. praemissa pag. 5.

condidit monasterium. Joannes Diaconus (1) recenset nonnullorum nomina ex iis praestantissimis clericis, quibuscum diu noctuque Gregorius in eo versabatur. Hos sibi consiliarios familiaresque, utpote prudentissimos, delegerat idem S. Gregorius Magnus. De iisdem sic Thomassinus (2): *Florentissimum*, inquit, *istud erat omnino Seminarium et schola, cui par nulla et nulla secunda, divinarum disciplinarum et religiosarum virtutum splendore. Praepositum in ea agebat Gregorius, et moderatorem et theologum .... horum parens et doctor Gregorius*. Hactenus Thomassinus.

Quae hic de illis eximiis clericis, non temere aptari posse videntur hujus Sodalitatis alumnis. Ut ut tamen de his judicari possit ab aliis, certe postrema verba mirifice in B. Gregorium cadunt, immo idem videtur iis designari. Fuit enim horum omnium praepositus, moderator, theologus, parens, doctor beatus ipse Gregorius, non divi Caroli tantum, sed etiam S. Gregorii Magni aemulator eximius. In hujus *Sodalitii* subsidium a Clementis X beneficentia impetraverat vir beatus, (ut idem fatetur in epistola praemissa institutionibus ad Oblatos) jus transferendi ampla duo sacerdotia perpetuo eidem *Sodalitio* mansura, a quo et ipse magnum coepit suae pastoralis sollicitudinis fructum, et patavina dioecesis institutionis. Cardinalis mors superveniens consilia intercepit. Sic man-

(1) In Vita S. Gregorii Magni l. 2. c. 11. 12.
(2) De veteris et novae Ecclesiae discipl. P. I. l. 3. c. 5.

sit res infecta. Societas haec, quae quidem dioecesi toti utilissima, necessario subsidio carens evanuit. Quare, hac dimissa, ad Seminarium, unde parumper digressa est, revertatur historia.

## CAPUT VII.

### *B. Gregorii in Seminarium, ejusque alumnos propensio.*

Hunc itaque locum Gregorius habuit omnium longe carissimum, eumque appellabat sui *cordis cor* (1). Illud etiam dictitabat, ut alii delectari solent equis et hortis plurimum, sic se habere in deliciis Seminarium, ibique se a laboribus et curis refici (2). » Quoties in Seminario versor, (ajebat ille) toties meam mihi videor dioecesim invisere. Hinc me habiturum confido bene moratos pastores et doctos ad animarum salutem promovendam, et gloriam Dei (3) ». Solitus propterea verbis extollere magistri officium. Hoc jucundum praedicabat et utile: hoc se amplexurum libentissime, si cum magistri munere jungi posset opus episcopale; vel ipse ad hoc exercendum, uti decet, ineptus fieret (4). Vigilabat interim attente, ne quid detrimenti ulla ex parte Seminarium caperet. Ideoque

(1) Petrus Facciolus in Orat. I. de B. Gregorio.
(2) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 205.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 220. 222.
(4) Ibid. T. II. Summar. pag. 186.

totus in illo erat, ut omnia sciret, cupiens opportune omnibus consulere. Neque enim prodest medicina, quae paratur sero, ubi nempe malum convaluit diuturna mora. Optime institutum Seminarium, non frequens cordi erat Barbadico; hoc ille in primis pro viribus nitebatur perficere. Ad id etiam exteris utebatur, quorum ipsi erat virtus cognita (1). Eoque admittebat plures etiam juvenes angustis quidem opibus, non ingenio; partim exigua, partim sine ulla impensa, praeter eos, qui ex loci consuetudine alebantur gratis (2). Neque hujusmodi juvenes excipiebat tantum, cum ipsi accederent; eosdem ipse exquirebat undique. Ac si premebantur inopia, in omnibus iisdem aderat. Alimenta, vestes, libros ipsis suppeditabat, et alia praeterea quaelibet necessaria, ne illorum parentes ulli obnoxii essent ob id incommodo. Quin et ipsis victum praebebat munificentissimus Cardinalis, si quid jacturae coacti fuissent ex filiorum absentia pati. Uno verbo: erant omnino pauci ex alumnis, qui non aliquo saltem modo tanti Principis beneficentia fruerentur (3).

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 59. T. IV. pag. 79.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 210, 242. et T. IV. pag. 224.

(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 257. T. IV. pag. 219.

## CAPUT VIII.

*Ejusdem in Seminarium ipsum beneficentia.*

Haec in singulos Seminarii clericos: nunc de iis, quae in Seminarium ipsum ab eo collata. Maximis quotidie sumptibus opus est ad alendam tam ingentem familiam, quae ex adolescentibus praecipue constat. Ut his satisfieret, quotiescumque solvendo Seminarium non esset, ejusdem rector ad episcopalis rei administratorem confugiebat ex ipsius episcopi jussu. Is necessariam pecuniam numerabat. Quod quidem saepe ac saepius contigit (1). Olim deficiente pecunia, dilata debita merces fuit nonnullis, qui in Seminario rem typographicam exercebant. Nihil illi conquesti fuerant. Ubi tamen id Gregorius rescivit, ut statim solveret, episcopalem annulum oppignerare paratus erat (2). Famulis mercede conductis singulis mensibus dari voluit, quod iisdem tribuendum erat salarii nomine; et insuper emi quidquid numerata pecunia: quo uno et se ostendit servantissimum juris et Seminarii utilitatis studiosum (3). Ejusdem Seminarii rectori quingentos nummos argenteos ipse aliquando jusserat numerari a procuratore rerum episcopalium. Ac ne mandatum laboraret fide,

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 274.
(2) Ibid. pag. 158.
(3) Ibib. pag. 278.

suo id subscripto nomine confirmaverat. Non erat pecunia in promptu. Quid Cardinalis? Exegerat tunc ille a conductoribus vinum. Hoc Seminarii necessitatibus quamprimum providendum curavit (1). Extat adhuc in monumentis fide dignissimis, quod ingenue testatus est Seminarii rector illorum temporum. » Sive vino, inquit, nobis opus esset, sivè tritico, semper utrumque abunde Gregorius, ac vini quidem adusque ducenta quotannis dolia (2) » . Domum suam is egere, quam Seminarium, maluit.

Maxima quovis tempore ejusdem fuit in hunc locum propensio; quam ne loci quidem distantia imminuit. Seminarium aderat vel absenti. Patavium redire cupientem, triennium Romae detinuit Barbadicum venerabilis Innocentii XI auctoritas. Id temporis decem argenteorum nummûm millia ex annuis patavini episcopatus reditibus collecta, eo jubente, data fuerant censui, ut ajunt, ad normam a S. Pio V summo pontifice praescriptam. Et rem et lucrum derepente abdicavit amantissimus parens; utrumque Seminario liberaliter dono dedit (3). Ac tanta quidem ipsius in Seminarium beneficentia erat omnibus maximae admirationi. Neque enim satis intelligebant, qui tamdem posset tam largiter in omnibus Seminario consulere, qui tam profusus esset in pauperes. Erat is sane dives: sed reditibus longe majores sumptus. Hinc eum domestici hor-

(1) Act. Beatif. II. Summar. pag. 160.
(2) Ibid. T. IV. Summar. pag. 228.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 160.

tari, ut aliquem saltem modum adhibere vellet tot tantisque in Seminarium impensis. Esse scilicet Seminarium ajebant quasi quamdam voraginem episcopalis patrimonii (1). At fatebatur Gregorius ( ut scribit Jacobettus, non ab aliis accepta referens, sed a se audita sibique cognita ) fatebatur, inquam, *se penuria pecuniae nunquam praetermisisse facere, quod in animo haberet. Ex quo apparet* ( sic idem concludit ) *divinam quamdam Providentiam ei perpetuo adfuisse* (2). Certe non defuit, qui putaverit, frumentum in horreis, et in cella vinaria vinum eidem augeri divinitus et crescere (3). Quod profecto a veritate minime abhorret.

Quidquid tamen sit, tanta illius in Seminarium liberalitas non erat invidiae obnoxia. Norant enim Seminarii bonum per totam dioecesim fluere. Dioecesim Barbadicus spectabat, cum sua in ipsum beneficia profunderet: quorum certe non minimum illud est, quod mihi in praesentia occurrit. Quotannis ex episcopatus reditibus is magnam pecuniae vim seponi volebat, et occupari ad usum Seminarii (4). Illud vero majus, quod ipsum tentasse constat anno ante obitum suum. Tunc ille magnum aliquid volvebat animo. Sed non poterat, quod moliebatur, perficere, necessaria pecunia destitutus. Quapropter quaerere coepit, qui sibi daret cum honesto fenore centum

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 213.
(2) Opuscul. pag. 208.
(3) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 137.
(4) Ibid. T. II. Summar. pag. 206.

argenteorum nummûm millia. Studuit per patricium venetum rem transigere. Negotium erat hujusmodi. Non longe ab oppido Montaneanensi sunt agri fertiles, unde exiguntur decumae. Has ille acquirere meditabatur cum aliis praediis, quae olim fuerant Monachorum S. Mariae de Carceribus, ad perpetuum cum Seminarii, tum Collegii trestensis usum, quod ad institutionem nobilium adolescentium, patavinorum praecipue, stabiliendum curaverat (1). De rei hujus eventu non satis constat. Quamquam non est, quod horum singula narrando persequar. Generatim dicam atque verissime: totus Seminarii census et est, et dicitur gregorianus. Ad ejusdem Seminarii decus augendum bibliothecam instruxit, eamque ornavit comparatis undique ad quamlibet disciplinam libris plurimis, eximiis, raris et Mss. His addi voluit, suam post mortem, quotquot sibi fuerant viventi usui, quorum numerus non exiguus (2). Ibidem editum etiam locum mathematico opere construi jussit, unde facile prospici caelum posset, et instrumentis ipsum ditavit inservientibus astrorum scientiae ad Seminariensium et aliorum etiam eruditionem (3). Quacumque ingredimur, in aliquod beneficentiae illius monumentum vestigium ponimus. Qui sibi plurima patiebatur deesse, nihil deesse voluit Seminario. Immo eidem omnia vel ad ornamentum providit, *eo ipso carus* nobis *omnibus ac desiderandus, quod prospexit ne*

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 229.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 213.

(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 219. 229.

*desideraretur* (1). Semper nimirum desiderio illius afficiemur, qui in hunc locum supra fidem et exempla liberalissimus fuit, in singulos plane humanus.

## CAPUT IX.

*Idem in Seminarienses humanus, liberalis, mirificus. Eosdem consanguineis suis anteponit.*

Humanitatis hujus argumenta aliqua tantum proferam, quoniam omnia dicendo persequi difficillimum. Solebat anno quolibet dies octo se se abdere in Carmelitarum discalceatorum coenobium, quod in urbis hujus quasi angulo delitescit. Hic semotus ab aliis curis erigebat animum ad caelestia, eumque quodammodo renovabat. Tunc ipsum adire vetitum. Aditus vel epistolis interclusus. Uni tantum Seminarii rectori ad illum erat accessio: unus poterat eumdem alloqui (2). Ubi vero laborabat ex morbo, licet vix ulli eum adeundi facultas esset, eumdem Seminarii rectorem jubebat ad se vocari. Alias vero detinebatur cum ipso de scholis colloquens, de aedium constructione, de typographia, de rebus ad pietatem spectantibus, de aliis hujusmodi plures horas (3). Nec unum rectorem, magistros quoque excipiebat infirmus. » Ægro-

(1) Plin. in Paneg. Traj. c. 10. in fine.
(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 169.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 286. et T. IV. pag. 185.

tabat ( sic de Gregorio idem, de quo antea, in sua quadam epistola, Jacobettus ) » Ægrotabat ( inquit, ) » ille leviter, ita tamen ut decumberet, neque per » famulos a cubiculo pateret ingressus cuique. Accen» dentem me, jussumque introduci benigne interro» gat, ecquid se convento opus mihi esset » ? Et paul» lo post : Expectantem me, ut dimitteret, detinet ta» men : percontaturque de Seminario, de scholis, de » ingeniis pollicentibus de se aliquid, deque praeser» tim tota ratione rhetoricae provinciae meae (1) », Haec Jacobettus.

Videbatur sibi quodammodo convaleseere Barbadicus cum loqueretur de Seminario. Seminario omnino deditus erat, ejusque magistris. Horum unum docuit linguam graecam, adhuc a morbo recens (2). Eosdem serius ocius, pro suis quemque meritis, afficiebat praemio (3). Neque raro ipsos, ubi animarum cura ageretur, iis praeferebat, quibus in episcopali aede familiariter utebatur, licet essent viri eximii; ex iis qui digni, sempor eligens, qui dignissimi (4).

In omnibus iisdem aderat indigentibus. Large pecunia eos adjuvabat, modo ut sorores suas dote auctas vel addicerent sacris claustris, vel collocarent honeste, vel parvulas traderent instituendas; modo ut levarent suos parentes alieno aere. Ubi autem eorum

(1) Opusc. pag. 273.
(2) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 287.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 295.
(4) Ibid. T. II. Summar. pag. 279.

aliquis regimen animarum capesseret, in partem et ipse necessariae veniebat impensae, solitus ita loqui: » Non semel hic suam operam nobis praestitit: ne nos quidem debemus in iis, quae possumus, ei deesse (1)». Hos ille gestabat in sinu. Cum vero a Seminario discederent, aegre admodum ferebat se ab iis sejungi. *Scito, o tu qui interrogas*, ( sic Jacobettum alloquebatur Gregorius ( *vos abeuntes hinc, quasi cor mihi dividitis* (2). Aliquando donabat eosdem nummis, ut suorum laborum aliquod praemium ferrent. Interdixerat enim praeceptoribus quovis munusculo accipiendo, indicta ipsis dimissionis poena (3).

Dicam nunc quod prorsus magnum. Petente Barbadico, pro Seminariensibus *accidit quasi miraculum a Deo* (4). Derepente aliquando fulmen erumpens Seminarii alumnum perculit ac stravit. Accurrere statim coepit, ut solet, multitudo plurima, et casum miserari. Accessit et Cardinalis. Is primum tacite egit rem cum Deo, dein super jacentem adhibuit signum crucis. Revixit illico qui mortuus fuerat (5), et osculatus est venerabundus praepotentem manum (6). Tum jussit vir beatus, omnes Seminarii clericos, grati animi ergo, simul contendere ad D. Antonii (7), ne mira-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 313. 316.
(2) Opusc. ejusdem Jacobetti pag. 232.
(3) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 295.
(4) I. Reg. xiv. 15.
(5) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 418.
(6) Cordara in vita B. Gregorii pag. 121.
(7) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 215.

bilis ipse appareret, cum in hoc fuisset revera mirabilis. Tantopere amavit alumnos loci hujus GREGORIUS!

Eosdem suis etiam consanguineis et affinibus anteposuit. Is enimvero fuit suorum amantissimus: numquam tamen eorum divitias augere studuit Ecclesiae bonis. Quin in egenos liberalitatem exercuit non sine aliquo paternae domus impendio. In neminem minus largiter se se habuit, quam in propinquos. Suos excipere consueverat, ut alienos; alienos, ut suos. Hibernos, Gallos, Britannos in Seminarium exceptos alebat cum aliis plurimis aere suo. At idem non nisi patris pecunia ibidem ali voluit fratris filios. Hos neque contubernio excepit unquam, neque convictu (1).

Non exiguam olim sanctissimae Crucis partem dono dederat BARBADICO dux magnus Hetruriae Cosimus hoc nomine III, pulcherrima et pretiosissima theca inclusam. Hanc Barbadica gens expostulare coepit votis omnibus a GREGORIO. Sed frustra. Thecam unam eidem tradidit, mille ab ea persolutis argenteis nummis. Crucis vero partem cum pretio dono dedit Seminario, testatus dedecere vel maxime, insigne illud religionis monumentum cultu publico et veneratione carere (2). Singularem hanc beneficentiam, qua ille semper, dum viveret, prosequi solebat Seminarium, moriens praecipue ostendit. Supremis tabulis non aliquem e sua gente, sed Seminarium patavinum sibi in-

(1) Ricchin. in ejusd. vita l. 2. c. 8.

(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 50.

stituit ex asse heredem. Quare Seminarium ipsum adiens hereditatem, decem argenteorum nummûm millibus statim locupletatum est, et annuis triginta insuper modiis tritici, qui colliguntur ex praediis, quae in possessionem Gregorii venerant, quod solvendo non fuerant conductores (1). Qui Seminarium donavit amplissime, quoties in eo versabatur, ne eidem esset, ut ille ajebat, damno, cibos sibi afferri ab aula jubebat episcopali. Ac si quando utendum illi erat Seminarii mensa, nec lautiore cibo uti volebat, quam alumni, nec elegantiore, quam ii, supellectile (2): exemplum imitatione dignissimum!

Porro autem Gregorius gentiles suos exspectare jubebat a Deo multo potiora, quam quae ipse potuisset in eos conferre. Quod quidem non tam incitamentum ad bene sperandum existimari debet, quam vaticinium. Ex quo enim ad Superos idem abiit, Barbadica gens et opibus abundavit, et honoribus inclaruit.

(1) Act. Beatif. T. IV Summar. pag. 229.
(2) Ibid. pag. 374.

## CAPUT X.

*Suis ille in Seminarium beneficiis, Religionis et Ecclesiae catholicae utilitatem spectabat.*

Sed ne aberremus a re proposita. Quidquid in Seminario perficeret BARBADICUS, referebat ad utilitatem Ecclesiae. Ideo nimirum tam sollicitus de studiis promovendis, de recte informandis moribus fuit. Comparare sibi viros studebat, qui tam doctrina, quam vita optime de eadem Ecclesia mereri possent. Huc spectabant tot ejus labores et instituta, ac profusa in primis in hunc locum beneficentia. Quod quidem ex ejus gestis aperte. Optabat ille vehementer duo: graecae scilicet cum latina Ecclesia concordiam, et catholicae fidei propagationem per Orientis provincias. Ob id praecipue orientalium linguarum studium atque typographiam in Seminarium invexit, in hoc ingenti pecunia insumpta. Cui propterea sacra de propaganda fide Congregatio quam maximas gratias egit (1). Is enim volebat harum linguarum ope introduci evangelicam veritatem in eas regiones, in quibus antea non erat; vel si corrupta, restitui. Atque hanc ob causam plurimos imprimi libros voluit orientalibus litteris et characteribus, graecis, arabicis, hebraicis, illyricis et

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. p. 54. 207. et T. IV. pag. 82.

aliis, eosque disseminari ad catholicae Religionis praesidium et incrementum (1). Hoc eodem consilio non paucos etiam misit ad illas gentes Seminarii hujus alumnos, multiplici exoticarum linguarum cognitione eruditos (2).

Accidit per ea tempora res ad memoriam posteritatis insignis, quae beatum virum prae aliis laetitia implevit. Nimirum Jacobus II Anglorum rex catholicam religionem, exsulem et ejectam, in Angliam revocaverat. Ut eamdem promoveret ulterius, ab illa ipsa de propaganda fide Congregatione impetraverat rex piissimus, ut eodem mitteret, qui suam operam utiliter in id impenderent. Cardinalis verae religionis amore incensus, libenter obtulit quos profugos exceperat ex iis regionibus. Eo statim missus qui studiis praeerat, cum aliis sacerdotibus ex Hibernia simul et Anglia, qui in Seminarium ab illo excepti praeceptoris officio fungebantur. Hos idem necessaria pecunia et vestimentis instruxit, ne ulla premerentur impensa itineris (3).

Idem praeterea episcopalis tabularii reditus omnium primus redegit ad normam a legibus Pontificum, et ab Innocentii praecipue XI Constitutione anno 1678 praescriptam. Redundabant hi etiam ad utilitatem Seminarii. Sed ille utilitatem quamlibet negligebat, immo nullam putabat, ubi secus postularet Ecclesiae bonum (4). In lustratione dioecesis quatuor e Semina-

(1) Acta Beatif. T. II. Summar. pag. 110.

(2) Cordara in vita ejusd. Beati P. I. c. 12. et Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 106.

(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 92.

(4) Ibid. T. II. Summar. pag. 84.

rio Gregorium praecedebant, ut eidem venienti populos sacris concionibus pararent (1). Plures ex eodem Seminario passim obibant diebus festis christianae doctrinae scholas; ibique primis mysteriis fidei, ejusque praeceptis rudiorum mentes imbuebant (2).

Seminarium quasi quoddam commune asylum tutumque perfugium Gregorius aperuerat omnibus, qui persecutionem paterentur propter justitiam: Parochis injuria vexatis, exteris a patria extorribus ad evitandam Haereticorum vim et insidias. Utrosque alebat, et ut erudirent Seminarii clericos, et ut exteri reversi in patriam valido munimento essent religioni catholicae, eique latius propagandae instarent (3). Praeter hos in hunc locum excipiebantur alii etiam Ecclesiae addicti, ut praeeunte erudito viro, ea docerentur omnia, quae a sacerdotibus sciri debent. Huc etiam admissi sunt nonnulli pii sacerdotes, diutius liberaliter alti Gregorii sumptu, quod Haereticos revocassent ad sinum catholicae Ecclesiae matris (4).

Multa Gregorius egit Seminarii bono, et publico. Ubi gregem visitaret, unumquemque circumspiciebat attente. Nactus juvenem opibus destitutum, sed optimo ingenio praeditum et eruditum, ut decet, principiis nostrae religionis, eum statim describebat in

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 169.

(2) Ibid. pag. 109.

(3) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 84. T. IV. pag. 31. 83.

(4) Ibid. T. IV. Summar. pag. 83. 193.

alumnos Seminarii gratis. Id erat maximo incitamento et aliis ad percipiendam certatim eadem documenta (1). Timebat vero vehementer Cardinalis, ne nonnulli qui ex Seminarii profecti erant disciplina, sacerdotio jam insigniti domi suae viverent in otio. Quare *dioecesanum* quemlibet sacerdotem ad Seminarium invitare peramanter coepit, ibidem mansurum, dum eidem congruum offerretur munus (2). Utque omnes alliceret facilius, edixit illos exceptum iri lautiore mensa, mediocri persoluto annui convictus pretio (3). Verum intelligens, ne id quidem praestari posse ab omnibus, cuilibet hic patere voluit duo gymnasia, in quorum altero litteratura politior traderetur, in altero morum theologia (4). Ad alios etiam porrexit idem suae mentis curas. Huc semel quotannis convenire jusserat Foraneos quosque Vicarios, ut sui sibi muneris rationem redderent, et suae quisque regionis statum explicarent. Idque decreverat eo etiam consilio, ut omnes Seminarium recognoscerent quasi centrum totius dioecesis. Ea die alebat singulos suis impensis (5). Locum tamdem in Seminario statuerat (*Asceterium* hunc appellabant), quo tamquam in solitudinem se reciperent sacerdotes, quos invitare solebat ad audiendam vocem Domini loquentis ad cor (6).

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 107.

(2) Vide Librum, cujus titulus est: *Lettere pastorali del Card. Gregorio Barbarigo* pag. 55. et 103.

(3) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 300.

(4) Cordara in vita ejusd. Beati P. I. c. 14.

(5) Ibid.

(6) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 197.

## CAPUT XI.

*Typographia ab ipso in Seminario instituitur. Hujus fructus.*

De his satis. Ad alia nunc, si placet. Anno itaque 1680. typographiam Barbadicus in Seminario fundavit amplissimam, in eam profundens octoginta aureorum millia (1). Munificentia, quae propemodum ultra fidem! Etiam ob id locus hic in magnam celebritatem repente evasit. Nulla tunc erat in his regionibus, cui haec invideret, typographia, quippe quae nulli Italicarum secunda (2). Pluribus vero ipsa erat admirationi. Exteros quoque nominis fama impleverat. Fere nemo ex dissitis provinciis in Italiam veniens, et Patavio transiens abibat, quin eam inviseret. Nemo, ubi eam vidisset, non afficiebatur plurimum illius adspectu, ut egregii operis et pulcherrimi. Hanc invisere prae ceteris eruditissimi viri duo, Joannes Mabillonius, et Bernardus Montfauconius, eamque scriptis suis celebrarunt, recensentes ipsam inter praecipua Italiae ornamenta (3).

Ea graecorum et latinorum omnis generis characte-

(1) Sebast. Melchior. in Acad. habita in funere ejusd. Beati p. 21.

(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 229.

(3) Mabillon. Musei Ital. Par. I. pag. 205. et Montfauc. Diar. Ital. pag. 79.

tum ad abundantiam dives. Horum praeterea matrices et formae plurimae, quibus iidem fundi et excudi solent. Sunt etiam aliae plures orientalium characterum matrices a peritissimis artificibus elaboratae et excusae. Hos Cardinalis a remotis gentibus arcessiverat summo impendio, cupiens omnia ad perfectionem exigere (1). Hinc Romam ad sacram illam Congregationem de propaganda fide, tum Mediolanum misit impensis maximis, qui necessaria ad id instrumenta sibi compararent. Borromaeus ambrosianae bibliothecae praeses tria circiter matricum millia dono misit Barbadico, cujus absentis erat admirator maximus (2).

Quis vero fructus ex hac typographia tam largiter ac liberaliter a Gregorio instructa? Non pauca statim prodiere volumina, dissimilibus linguis conscripta, unde plurimum Seminario existimationis (ut antea diximus), religioni autem catholicae praesidii accessit, quod in primis optabat vir beatus. Prae aliis memorandus Alcorani textus editus arabicis characteribus, iisque pulcherrimis, in latinam linguam translatus ex arabica a Ludovico Maraccio, adjectis unicuique capiti annotationibus et refutatione (3).

Huic typographiae praeerat ille idem Timotheus Agnellinus archiepiscopus Mardini, qui alumnos Seminarii erudiendos curabat multiplici orientalium linguarum scientia. Praeerat, inquam, in omnibus iis,

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 96.
(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 113. et T. IV. pag. 96.
(3) Ibid. T. II. Summar. pag. 109.

quae ad easdem linguas pertinebant. Quod quidem praestitisse constat quosdam etiam alios episcopos extraneos, quos propterea, quamdiu morati sunt Patavii, splendide GREGORIUS habuit atque munifice (1). Ceterum praeter insignem illam cujusque generis characterum atque formarum copiam, reliqua omnia prodebant virum principem, cujus animi sensa dignitati paria (2). Urgebant opus circiter triginta. Assidue octo premebantur praela. Hoc unum dicam, Ubi GREGORIUS obiit, erat rei typographicae summa centum mille argenteorum nummûm (3).

## CAPUT XII.

*De iis, qui in hac eadem typographia exercebantur; quemque ipsi vivendi modum tenerent.*

Pauca nunc de iis, qui huic typographiae operam navabant. Plures ex his passim collegerat BARBADICUS, eosque institui benigne jusserat, aere suo iisdem porrigens tum alimenta, tum vestes. Solebat etiam ipsos non raro invisere, et hortari humaniter, ut suum quisque munus accurate impleret. Ajebat illis: » Liber excusus ut decet, magis incendit ad studia «. Neque vero dolebat, si quis eorum aliquan-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 97.
(2) Vide Academ. in ipsius Beati funere pag. 22. et seqq.
(3) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 206.

do discederet, arte cognita; laetabatur potius, quod id tradendum ei curasset, quo posset non incommodam vitam agere.

Sacerdos illis praeerat, eosdemque christiana institutione ad pietatem informabat. Die dominica cujuslibet mensis prima, tum etiam diebus festis solemnibus, Seminarii in templo accumbebant mystico convivio. Domo exeuntibus semper aderat, qui praefectus iisdem fuerat, tamquam custos. Videbantur collegii alumni. Modestia ipsis praescripta in omnibus, et recta morum disciplina. Qui secus se gessisset, dimittebatur. Nulla illi reliqua veniae spes (1).

Qui tam accuratam vivendi normam vel his praescripsit, quanto magis ad eam exigi voluerit illorum mores, qui ad religionem instituuntur? De hoc jam antea diximus, cum de alumnorum Seminarii pietate ac disciplina ageremus. Nihil addam, ne videar acta agere, quod veteri prohibemur proverbio. Id solum animadverto, Seminarium scilicet patavinum, et moribus et studiis floruisse vel maxime a suis initiis; et unam hanc ob causam tantam consecutum esse celebritatem nominis ac famam, quod mox ostendam. Nec ideo tubicinis aut tympanotribae nomen timeo. Quidquid enim praedicari potest de Seminario, auctori ipsius laudi vertitur. Sed rem aggrediamur.

(1) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 110. et T. IV. pag. 222. 223.

## CAPUT XIII.

### *Seminarii patavini celebritas.*

Ut in artibus nihil est simul et inventum et perfectum ; sic magna quaelibet sensim crevere. Urbes etiam celebres, et imperia ab exiguis exstitere pleraumque initiis. Opportune Ovidius :

*Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,*
*Tantaque res paucis pascua bubus erat* (1).

Quare antiquitas aliquando miscuit veris falsa, ut augustiora urbium primordia faceret. Ego fabulis non indigeo, ut primam Seminarii hujus a BARBADICO instituti originem claram reddam. Ipsum enim, cum primum esse coepit, magnum fuit. Vere hoc de illo affirmari potest, quod olim poetae de majestate, sua quadam licentia, commenti sunt. At ne quis id forsitan a me dictum magnificentius, quam verius putet, is animadvertat, qui tandem, et quales viri constituerent coetum principem Seminarii tunc ineuntis.

Carolus Bartholomaeus Piazza Mediolano accitus a beato viro, primus omnium (ut supra vidimus) ad regimen Seminarii hujus accessit. Is cum pietate plurimum excelleret ac doctrina, et alios regendi arte, ma-

(1) Fastor. l. 1. v. 242.

gnam a pluribus Episcopis et Cardinalibus, quin a summis etiam maximisque Pontificibus gratiam iniit, gravissimis ideo muneribus horum jussu et auctoritate perfunctus, ut constat ex bibliotheca Argelati (1), ex ejus ipsius elogio, cujus auctor Hyacinthus Gimma (2), ex Picinelli Athenaeo (3), qui omnes de illo fusius.

Nec unus rector, et praeceptores singuli viri eximii. Abiturus erat a Seminario, ubi primis illis temporibus studiis praeerat, Nicolsonus, quem archiepiscopatu aberdonensi post honestatum diximus. Statim cogitare Gregorius, quem subrogaret tanto viro. Hac de re scribit Magliabecchio, celeberrimo id temporis litterato, quicum exercebat ipse mutuum epistolarum commercium (4). Eum rogat, ut curet sibi virum, qui abeuntis implere possit non solum locum, quod multo facilius, sed etiam nomen: qui valeat cum dignitate praeesse magistrorum coetui, quibus familiare erat

(1) Biblioth. Script. Mediol.

(2) Edit. Neapol. 1703 Tom. I pag. 53.

(3) Pag. 106.

(4) Non cum uno solum Magliabecchio, cum aliis etiam viris litteratis exercebat mutuum hoc epistolarum commercium. Hos omnibus complectebatur officiis, ad se invitabat, excipiebat hospitio, fovebat, magnis principibus commendabat, et ipse a litteratis omnibus magni factus. Si quid novi operis prodibat, ad eum mittebatur, ut ad Maecenatem amplissimum. Multa etiam praeferebant ejusdem nomen. Vide Orat. Sebast. Melchiorii in funere B. Gregorii. Vide etiam XXV epistolas ejusdem Beati ad Magliabecchium in II volumine Epistolarum clarorum venet.

graece non solum scribere, sed etiam loqui. Rem totam ejusdem fidei et intelligentiae committit. Cui Magliabecchius, se credere, Nicolaum scilicet Averanium, virum inter litteratos illius aetatis eximium, esse eum, quem ipse quaereret: certe se nosse illum ad id idoneum. Hic recusavit oblatum munus, quod M. Antonio Ferratio commendatum fuit viro de litteraria republica bene merenti (1).

Quales vero fuerint PP. Benetellus et Ascolanus, ille quidem hebraicae linguae, hic sacrae theologiae in Seminario professor, luculenter ostendit utriusque fama et alterius opera. Erat inter illorum temporum praeceptores, qui postea electus est in episcopum, et qui in archiepiscopum et qui magistrum ageret, cum esset jam archiepiscopus (2). Quare Seminarii nomen magis in dies clarere. Ejusdem fama permotus Cardinalis de Camus gratianopolitanus episcopus, eum ipsum, qui in tota dioecesi gerebat vices sui, ex Gallia Patavium misit hoc uno tantum consilio, ut is animadverteret, qua ratione Seminarium regeret Barbadicus, eadem certus ipse et suum regere (3). Quod postremis hisce temporibus renovatum est a Cardinali Migaccio.

Cardinalis Vincentius Maria Ursinus archiepiscopus beneventanus, qui postea Benedictus XIII, quemdam

(1) Vide Claror. Venetorum Epist. ad Magliabecchium T. II pag. 15. 28. 30. et seqq. Vide Mazzuchell. Vol. I P. II pag. 1240. Vide ejusdem Ferratii vitam pag. 84.

(2) Act. Beatif. T. IV Summar. pag. 26. 95.

(3) Ibid. pag. 167.

suo Seminario praefecit, qui fuerat in patavino educatus, sperans propterea quidquid eidem posthac cessurum prospere (1). Alios etiam plures Italiae episcopos hinc opportunos viros ad se invitasse comperio, ut his adjuvantibus in sua quisque dioecesi Seminarium recte instituerent. Horum alios adiisse Vicetiam video, Veronam alios, alios Concordiam, Feltriam, Ariminum, Montem Faliscorum, horum partim disciplinis tradendis operam daturos, partim regendis moribus. Mihi haec narranti occurrunt Taurinum, Roma et alia loca plurima, ubi non pauci, qui quondam Seminarii hujus alumni, magna in luce versati sunt.

Cardinali Nigronio volenti Romae collegium condere ex sacerdotibus constans, promissus fuerat nescio quis Seminarii patavini disciplina institutus. Ob id ille laetitia gestiens ingenue testatus est in epistola, se de hoc, tamquam de re felicissima, gratulari plurimum sibi, eum se exspectare avidissime, tamquam Angelum de caelo missum (2). Ipse etiam Senatus venetus de Seminario patavino admodum honorifice. Hoc enim Seminariis aliis proponit quasi exemplar. In decreto, quo Concordiensibus facultatem praebet Seminarii erigendi, illud jubet erigi *ad normam patavini* (3). Postremo Hieronymus Gradonicus archiepiscopus utinensis Seminarium illud amplificatum magnopere ipsius pecunia, non solum legibus iis instituit,

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 221.
(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 209. et T. IV. pag. 221.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 226.

quibus suum constituerat BARBADICUS, sed ipsum praeterea elegit in ejusdem Seminarii patronum. Seminarium patavinum et ejus conditor magno in honore haberi. Omnes exteri transeuntes Patavio Seminarium adire: mirari rerum ordinem, varietatemque scholarum; mox in BARBADICI laudes effundi, de illius doctrina et sanctitate praedicare magnifice (1).

Non domus dominum, ajebat antiquitas, sed dominus ornet domum. Hic tamen et Seminarium ornabat plurimum BARBADICUS, et ex Seminario nonnihil honoris redundabat in BARBADICUM ipsum ejusdem dominum. At ille aversabatur vel maxime quidquid verteret in honorem sui, inscriptiones, elogia, titulos, monumenta. Nihil hujusmodi pati poterat, suarum laudum non tam inimicus, quam acerrimus hostis. Gentilitium familiae insigne, subjecto in ejus commendationem disticho, parietibus Seminarii appositum amoveri jussit, ne exstaret ullum apud posteros sui praeconium (2). Irrito tamen nisu. Ipsius nimirum sunt totidem quasi elogia ii omnes numero non exigui, qui olim Seminarii patavini institutione eruditi adeo utiles praebuere se religioni, litteris, societati.

In eo aliquandiu instituti sunt non pauci ex venetis senatoribus, et ex conspicuis familiis gentium etiam exterarum. In eo Episcopi, viri principes, Cardinales. Difficilem exitum inveniret historia, singulos nomina-

(1) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 419.

(2) Ibid. T. II. Summar. pag. 150. T. IV. pag. 119. et 150.

re si vellet, qui ex Seminario patavino profecti litteris praestitere, et nominis fama. Ii tantum, qui mihi veniunt in mentem ultro, possent loci hujus, in quo alti, nomen propagare: exempli gratia, Verius, Ferratius, Melchiorius, Jacobettus, Facciolatus, Franzonus, Ægidius Forcellinus, Zanolinus, Trivellatus, Sandinus, Pasinus, Brigentius, Oliva, Brunatius, Rinaldus, Lastesius, Toaldus, Sibiliatus, Canalis, Joannes Franciscus Card. Barbadicus, Sclavettus, Bellogradus, Facciolus, M. Antonius Forcellinus, Bartholus, Scardona, Boarettus, Cognolatus, aliique, omnes illustria nomina. Quibus additi qui vivunt adhuc, et publicum hoc gymnasium ornant, numerum conflant plane ingentem.

Celeber litterariarum ephemeridum scriptor Lamius ait, ex Seminario patavino, tamquam ex equo trojano, praestantes viros singulis temporibus exiisse (1). Undique in tota patavina dioecesi occurrunt monumenta Seminariensium, qui plurimum claruere moribus et doctrina. Resonant adhuc pluribus in paroeciis tot sacrorum pastorum nomina, quibus vel pascendas suas oves tradidit vir beatus, vel quos idem in Seminarium exceptos aluit in spem Ecclesiae. Coetus quilibet vel societas spectabiles viros jactat, Patavii saltem a pueris in Seminario eruditos.

(1) Ad ann. 1755. pag. 319.

## CAPUT XIV.

*Trestensis Collegii institutio et ejusdem fama.*

Liceat mihi nunc de Collegio trestensi breviter dicere; quod quidem faciens et videbor gratus in patriam, nec errabo longius a re proposita. Magna enim affinitas intercessit inter trestense Collegium et Seminarium patavinum, cum huc ex illo multos translatos fuisse ex consuetudine constet, et utrumque iisdem ferme legibus uteretur.

Est itaque Collegium istud prope colles Euganeos amoena in planitie ad occasum oppidi atestini situm. Trestense dicitur, eo quod conjunctum sit cum templo S. Mariae de Tresto, ejusdem prodigiosa imagine ornato. Vetus ibi erat ac celebre monasterium antea pertinens ad congregationem S. Hieronymi de Fesulis, a Clemente IX die 6 Decembris anno 1668 extinctam. Hujus aedes B. Gregorius Barbadicus magna sibi pecuniae vi comparavit anno 1670, et in ampliorem et elegantiorem formam ad alumnorum usum restituit. Collegium hoc praeclaris legibus et institutis munivit. Plures ex iis, quos traducendos postea in Seminarium statuerat, jubebat hic quasi quoddam tirocinium ponere. Sed ad nobilium adolescentum, patavinorum praesertim, institutionem hoc ille aperuerat. Hic optimis moribus et amoenioribus ac severioribus disciplinis eos informandos curabat, et iis etiam artibus, quibus instrui solent adolescentes nobili

loco nati. Ac ne quis forte impediretur tenuitate domestici patrimonii, quominus bonas artes acquireret, suis ipse sumptibus eos et praeceptores alebat, munificentia quae exemplo caret (1). Idem urbanitatis amator jusserat, par juvenum ex quolibet contubernio se sibi sistere, quoties ipse se eo contulisset, et officiosis verbis adventum gratulari: solitus eosdem benigne excipere, iisque humaniter respondere. Utque arctius sibi eos devinciret, quamdiu ibi detinebatur, quotidie, iis praesentibus, mysterium celebrabat (2).

Ibidem habebantur publicae Academiae litterariae: nonnullae etiam ad majus illarum decus habitae sunt atestino in oppido, quod tria millia passuum circiter Tresto distat, eo convenientibus audiendi gratia nobilissimis viris Patavio pariter et Vicetia. Ac Vicetini quidem, pro ingenio patrio, in admirationem abrepti illud a rectore aliquando precati sunt, ut sibi liceret Academicos Vicetiam secum traducere suis impensis, quo suas ibi lucubrationes iterum recitarent. Hinc plurimi fama exciti ex remotis etiam regionibus eo mittere filios suos, ut ad pietatem et cultum bonarum artium instruerentur. Sic Collegium in magnam brevi celebritatem evasit; et ejus auctor non minus Ecclesiam juvit, quam Rempublicam, ut optabat (3).

Sed quae humanarum rerum conditio est ut finem habeant, eadem et hujus Collegii fuit. Anno itaque

(1) Ricchin. in vita ejusd. Beati l. 1. c. 12.
(2) Act. Beatif. T. II. Summar. pag. 210.
(3) Ibid. T. IV. Summar. pag. 226. 252.

hujus saeculi XV a Georgio Cardinali Cornelio, qui in episcopatum patavinum statim successerat Barbadico, sublatum est. Ejus loco Cardinalis idem scholas exteriores in urbe, Seminario proximas, publico bono aperuit, optimosque magistros docere jussit sine ulla juventutis impensa (1).

## CAPUT XV

### *Beati Gregorii mors,*

Verum ne diutius extra Seminarium, cujus gratia Gregorius gessit, quae hactenus exposui breviter, Moliebatur alia: quominus ea perficeret, mors impediit (2). Contigit haec XIV Cal. Jul. ann. 1697. Cum quatriduum circiter aegrotasset, e vivis abiit *sanctitate et sapientia magnus, prope sub ipsum funus rite habitus appellatusque Venerabilis* (3). Ille quidem reliquit omnibus, sed Seminario in primis inexplebile desiderium sui. Qui proxime in ejus locum suffectus est, ejus immortalitati consuluit accurata et luculenta inscriptione, quam hic subjicio. Eadem publica prostat, et ingredientibus Seminarium patet.

(1) Facciolatus in Ep. praemiss. Orat. in fun. Georg. Card. Cornelii.

(2) Act. Beatif. T. IV. Summar. pag. 114.

(3) Jo. Gratianus T. II. l. 23. Historiar. Venet. ad annum 1697.

GREGORIO CARD. BARBADICO
EPISCOPO PATAVINO
MAIORVM EXEMPLA ET POSTERORVM FIDEM
PIETATIS AC LITTERARVM CVRA PRAEGRESSO
QVOD SEMINARIVM
INSIGNI MVNIFICENTIA AMPLIFICAVIT
LINGVARVM SCIENTIARVMQ. STVDIIS EXCOLVIT
TYPOGRAPHIA ET BIBLIOTHECA INSTRVXIT
HEREDEM EX ASSE SCRIPSIT
GEORGIVS CARD. CORNELIVS
EPISCOPVS PATAVINVS
DECESSORI BENE MERENTI
P. I.

## CAPUT XVI.

*Brevis conclusio.*

Sit haec tamquam gratiarum actio eidem a nobis debita, semper vivens, semper loquens, nos semper admonens de grati animi in eum officio. Nihil vero ei accidere gratius potest, quam intueri unumquemque nostrum suis legibus plane addictum. Mihi illum audire videor ita nos ex beatis illis sedibus compellantem: » Filii, audite me: beati qui custodiunt vias » meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et

» nolite abjicere eam (1) ». *Age* itaque, *pater*, (*te* enim *tamquam praesentem alloquor, dum eum vides, qui praesens ubique adest* (2)) » respice de caelo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam, quam » plantavit dextera tua (3) ». Illum in primis respice, qui Seminario huic, et Ecclesiae praeest loco tui. Nos filios tuos, referentes eos, quos » in ter» ris degens assiduo fovisti praesidio, vigilantia cu» stodisti, consilio gubernasti, patientia tolerasti, vi» vens in caelis, fortioribus protege patrociniis (4)». Praesertim nunc, cum primo tuo ab obitu evoluto saeculo, te ampliore honore prosequitur (5). Fac, quemadmodum rerum tuarum sumus, sic etiam simus tuae caritatis heredes. Fac tuam imaginem exprimamus, ut de nobis pariter dici possit, quod olim de Arcadio et Honorio magni Theodosii filiis Ambrosius: » Re» liquit liberos suos, in quibus eum debemus agno» scere, in quibus eum et cernimus et tenemus (6). Mihi vero tuorum filiorum minimo hoc saltem praesta, » ut, quod reliquum est labilis hujus curriculi senectu» tis, inoffenso pede percurram (7) ».

(1) Proverb. VIII. v. 32. 33.

(2) Baronius in grat. actione B. patri Philippo Nerio pro Annalib. ecclesiasticis T. VIII.

(3) Psalm. 79. v. 15. 16.

(4) Baronius loco cit.

(5) Vide annotationem pag. 8.

(6) In Orat. de obitu Theodosii num. 6.

(7) Baronius loco cit.

# VITÆ

# ILLUSTRIUM VIRORUM

## SEMINARII PATAVINI

# JO: BAPTISTA FERRARI

## AD LECTOREM

*Obstrictam publice jamdiu fidem exsolvo. Habes hic, Lector, quorumdam Virorum acta, qui Seminarii patavini nomen ornarunt. Non omnes iisdem artibus delectati sunt: excelluit tamen quilibet in ea, quam exercuit, facultate. Ac si minus pari, certe digni sunt omnes laude consimili.*

*Non deerant sane, quos aliunde mihi sumerem, Viri illustres, et nostris adolescentibus ad imitandum proponerem; sed propius nos isti afficiunt: excitare autem multo vehementius solent exempla domestica, quam externa. Haec porro ab iis tantummodo mihi adsciscenda putavi, qui desierunt inter nos agere vita functi. Invidiosum enim esset de*

*illis scribere, qui vivunt adhuc; nec absolutam possemus habere historiam. Adde, quod rebus gestis longe majorem auctoritatem nescio quomodo mors conciliat.*

Majus ab exsequiis nomen in ora venit.

*Propert. l. III. eleg. 1. v. 24.*

*Erit fortasse qui doleat praeteritum fuisse quempiam ex his, qui potiore, quam quidam alii, de quibus narro, et ampliore laude floruerit. De illis scripsi, quorum facta mihi explorata sunt et cognita; de aliis etiam paratus dicere, ubi plenius mihi illorum mores ac studia innotescent, et necessarium tempus et otium suppetet. De quibus vero pauca tantum contigit mihi colligere, de his non sileo: quae comperi, in annotatione subjicio, ne et illa pereant. Interim oro, ut haec, quae tibi exhibeo, admittas humaniter et benevole: sic enim ad inceptum libentius persequendum mihi incitamentum praebebis. Vale.*

# VITA
# MICHAELIS VERII

In vicetinis montibus non longe ab oppido marosticensi Planetiae occurrunt, rusticus quidem, sed tamen illustris locus, quod eximios professores duos ediderit publico patavino gymnasio, Michaelem Verium, et Josephum Toaldum, utrumque antea in Seminario patavino educatum, utrumque ibidem praeceptoris officio functum. Pauca nunc de Verio: cujus familia eo se recepisse jam pridem dicitur ex florentina republica turbulentis motibus et dissensionibus acta.

Hic ortum habuit Michael III. idus Octobris anno quarto et quinquagesimo saeculi XVII.; qui postea in Seminarium exceptus, primo scilicet ac septuagesimo ejusdem saeculi cal. Januarii, a rhetoricae primordiis studiorum cursum est orsus. Eo anno ingressus est Seminarium Verius, quo Seminarium ipsum in ampliorem locum a B. Gregorio Barbadico translatum est, eo scilicet ubi idem in praesens cernitur; ut propterea recensendus sit inter Seminarii hujus primitias Verius.

Quod ad ejus institutionem pertinet, nihil praeterea

habeo, quod dicam. Neque enim exstant monumenta. Quis tamen fuerit jam tum, possumus ex ejus ipsius praestantia non temere divinando conjicere. Non exigua ille a natura sortitus fuerat ad litteras adjumenta. Erat illi subtile ingenium, acutum, vehemens, amplissima vis memoriae ac tenacissima, praefervida imaginandi facultas, tum ardor sciendi plurimus, robusta praeterea corporis habitudo, et ferendo labori par, qui necessario impendi debet in studia. Quibus praesidiis is evasisset multo illustrior, nisi incidisset in tempora scientiis ac litteris non valde prospera. Neque enim exigua sunt ad res hujusmodi momenta temporum; in utramque partem non minimum eadem conferunt.

Ea itaque aetate scholas publicas privatasque tenebat scholastica philosophia, quae licet in multis solida, neque tenebris tamen caret, neque nodis. Erat haec in deliciis Verio, quippe qui in disserendo acutus, habebat hinc, quo ingenium suum exerceret: XVII tantum ineunte saeculo excepta Patavium est recentior philosophia, cum Verius annum ageret circiter quinquagesimum. Difficile autem omnino erat, eum opiniones repente exuere, quas jamdiu imbiberat, et aliis jamdiu inculcaverat. Turpe homines putant *quae*

*Imberbes didicere, senes perdenda fateri* (1).

Sed quidquid fuerit, adhuc tamen plurimum Ve-

(1) Horat. Lib. II. Epistol. 1. v. 65.

rius claruit, scholasticis in primis disputationibus, Tanta enim erat disserentis vis et ἐνέργεια, ut nemo posset stare contra. Se nosse ajebat prorsus neminem eruditissimus Antonius de Comitibus, qui, solidius quam is, teneret principia logicae aristotelicae, et interius pervaderet illius recessus.

Aliarum quoque scientiarum sibi praesidia Michael adscivit. Studio se dederat geometriae, cum exquirere modum coepit redigendi circuli aream ad dimensionem quadrati. Atque id revera sibi admirabili plane modo patefactum putabat, quod invenire potuit nemo adhuc ex mathematicis. Enimvero labuntur aliquando et homines magni, ubi praecipue indulgent ingenio suo. Facile siquidem credimus, quod optamus. Astrorum etiam scientiae studiosus Verius plures brumales noctes evigilavit sub dio, notandi cupidus maximas *polaris* sideris digressiones ad verum meridiani temporis punctum constituendum.

Idem se dicavit insuper studiis chimicis, et anno 1726 duas edidit dissertationes, alteram quidem logicam, alteram vero chimicam (1). Illud enim sermone hominum percrebuerat, cathedram iis temporibus erectum iri in publico patavino Lyceo, unde chimica docerentur. Hoc ille munus se assecuturum sperabat. Irrita spes evanuit. Paucis enim tantum abhinc annis institutum est, quod is cupiebat.

Non tamen propterea destitit ab artis chimicae studio. Totus in illo erat. In ejus cubiculis ubique cliba-

(1) Facciolatus, Fasti Gymnasii patavini Tom. II. p. 299.

ni. In ipsam posteriorum analyticorum interpretationem, quod erat (ut mox videbimus) publicae scholae pensum in hoc patavino Gymnasio, talia quaedam inserebat. Et quoniam a chimicis brevis et facilis transitus ad *alchimiam*, in hanc non suam tantum impendit operam et pecuniam, sed et domesticam supellectilem.

Magnum aliquid moliebatur, nec dubitabat, quin id esset sibi cessurum prospere. Haec in ejus animo spes insederat, quam physica scholasticorum, cui vel maxime addictus Verius, quodammodo alebat et corroborabat suis doctrinis, iis praesertim, quae de intima elementorum transmutatione. Nec recentiores physicos pati poterat, quorum contraria dogmata. Gassendus atque Cartesius nomina minus grata. Hos appellabat *Titanas philosophiae*, sed haec temporis potius vitia, quam hominis; quae licet obfuerint non parum Verio, adhuc tamen floruit, ut antea diximus, et inter alios sui ordinis valde eminuit.

Certe Seminarii alumnos multa cum laude docuit plures annos cum philosophiam atque mathesim, tum sacram theologiam. Collegii primum theologici, post etiam medici jus obtinuit; atque illud quidem implevit suis discipulis, quod antea tenebant soli propemodum Coenobitae. Optime versatus erat in doctrina Patrum. Aristotelis autem opera et S. Thomae et funditus noverat, et accurate didicerat.

Exstat praeterea systema physicum ab eo ex principiis quidem veterum, sed nova temperatione conflatum. Illud autem pro certo habebat, terram moveri, et habitari planetas. Quod vero ad theologica spectat,

Angelos nescio quo subtili corpore donatos esse affirmabat. Nitebatur id cum sacrarum Scripturarum, tum veterum Patrum auctoritate fulcire.

Quae hactenus enarravi, contulere plurimum ad ejus nomen augendum. Ipsum vero latius adhuc propagarunt, quae mox dicam. Anno itaque 1718 a Seminario traductus est in publicum patavinum Gymnasium. Ibi logicam professus est conductus trecentorum florenorum stipendio, quibus post annos tredecim additi sunt centum viginti (1).

Publico bono intentus *scholasticam juventutem ad organum scientiarum omnium instituit* (2): appellatus a Papadopolo *professor clarissimus, philosophus acutissimus* (3): a Facciolato *professor longe celeberrimus* (4). Utque erat eruditarum linguarum peritissimus, quaelibet vel difficilia explicabat facile, perspicue, concinne. Erat contorta et acris illius oratio, et ad persuadendum idonea. Quid ejus facundia posset in veritate tuenda, patuit ex eo vel maxime, quod anno 1722 scripsit sacri theologorum collegii jussu.

Quaerebatur tunc in romana Curia de virtutibus Sebastiani fratris ab Apparitio ex Minoritis, cognomento Pyraustae. »In quo (ita rem narrat Facciolatus (5))

(1) Facciolatus, Fast. Gymn. pat. Tom. II. pag. 299.

(2) Papadopolus in historia Gymnas. patav. T. I. ad an. 1718 pag. 187.

(3) Ibidem.

(4) Loco cit. pag. 299.

(5) Syntagmate IX pag. 116.

»cum aliquid incidisset non satis planum atque expli»catum, adhibita est in consilium, praeter sorbonicam »et salmaticensem, universitas patavina.

»Vixerat Pyrausta usque ad annum sexagesimum »summa vitae integritate atque innocentia. Id aetatis »cum esset, puellam uxorem duxit, sed ita tamen, »ut servato, si fieri posset, virginalis continentiae pro»posito, custos potius et pater, quam maritus, vitae »sociam atque adjutricem haberet; eaque intra annum »defuncta, alteram statim eadem conditione sibi ad»junxit. Cum utraque continentissime egit, et cum »secundam quoque cito amisisset, religioni se addi»xit, obiitque sanctitatis fama, et miraculis clarus.

»In dubium vocabatur, num duo haec connubia ex »christianae prudentiae legibus inita dici possent ad »virtutem heroicam exercendam.

»Rem (1) scriptis examinarunt professores tres, fra»ter Hyacinthus Serry, frater Nicolaus Buico, et Mi»chael Verius; sed cum in diversa abiissent, colle»gium in Verii verba, qui factum probaverat, et ad »summae virtutis fastigium evexerat, sententiam tu»lit ».

Haec Facciolatus: ex quibus insignis laus redundat in Verium. Gravissimam etenim rem expediit, et dificilem prorsus dijudicatu. Magnum fuisset, eumdem rem tantam vincere, si solus sine comparatione scripsisset. Etiam »Catulus (ut animadvertit Tullius (2) )

(1) Fasti Gymnasii patav. Tom. II. ad an. 1722 p. 245.
(2) De Claris Orator. c. XXXV.

»talis erat, ut cum ipsum tantum audires, non modo »contentus esses, sed melius non quaereres: cum vero »quosdam audires, qui tum erant praestantes, videre»tur inferior ». Neque mirum. Difficultatem auget comparatio.

Jam vero scripsit Verius cum viris doctrina, ingenio, eruditione praestantibus. Cum his illi in hac causa quasi quaedam contentio fuit, et evasit illis superior. Quanti tamdem istud habendum est? Praevaluit sententia Verii, tum quidem theologorum suffragiis, novissime autem Ecclesiae ipsius, quae falli nequit, oraculo comprobata (1). Erat eadem et antea quidem firmissima, utpote quae solidis fundamentis innixa; vocari tamen adhuc in dubium poterat: nunc omnem sustulit lata sententia tumultum (2).

Si hoc unum de tanto viro, nec aliud praeterea quidquam cognitum haberemus, esset id ad excitandam in eum admirationem satis, et ad commendandum vel ultimae posteritati ejus nomen. Sed non desunt et aliae laudes.

Praeter systema physicum, de quo antea, scripsit quoque alia latino sermone et italo, cum ligata numeris, tum soluta; ea deleetatus poesi, quae plurimas prae se ferret imagines, aliquando non sine audacia, ex saeculi scilicet superioris ingenio.

(1) Est enim Sebastianus beatorum Fastis adscriptus.

(2) Pulcherrimam dissertationem suam Verius edidit. Ejus exemplum in Seminarii patavini bibliotheca servatur cum aliis ejusdem scriptis.

Inter academicos Recuperatos allectus fuit. Synodalis etiam *Examinatoris* munus sustinuit, et B. Gregorii Barbadici sanctitatem rite testatus est in judicio Patavii Ecclesiae jussu instituto.

Ubi scholarum census patavini Seminarii more haberetur, ex officio examinabat alumnos gravioribus disciplinis addictos. Fruebatur simplici, ut ajunt, *beneficio*, et sacerdotio auctus fuit in cathedrali aede patavina, quod postea dimisit, ut paroeciae S. Martini regimen Patavii iniret, ad id electus XV. cal. Dec. an. 1686 quo post abdicato, in Seminarium regressus est.

Musico instrumento delectabatur hilari ingenio vir, ut se reficeret a gravioribus curis. Erat pulcra canitie decorus, studiosus munditiae non odiosae, non exquisitae nimis, modico vestis cultu, et gravi incessu verendus, statura ac forma ad dignitatem apposita.

Ad octavum ac septuagesimum aetatis annum pervenerat, usus semper admodum prospera valetudine inter tot litterarios labores. Maluit tamen desinere, quam deficere. Quare cum honestam missionem obtinuisset an. 1732, reliquum vitae tempus privatus egit. Venditis aliis libris, sibi retinuit tantum quosdam et quidem optimos, de re chimica.

Quae scripsi, fere omnia debere me ingenue fateor celeberrimo professori Toaldo, qui haec jampridem memoriae prodidit (1). Nihil mihi suppetit, quod pe-

(1) Vid. *Saggio Meteorologico ec. Part. II. art.* 16 *p.* 156. patavinae edition. an. 1770.

culiariter narrem de Verii moribus. Quamquam ex his, quae fuerit ejus indoles, satis constat. Triennio post defecit VI. Idus Februarias, unum et octoginta circiter annos natus. Sepultus Patavii jacet in Sacello S. Antonii patavini ad ecclesiam S. Mariae de Columbinis. In sepulcri titulo dicebatur et florentinus, et patricius, et comes. At hic evanuit, renovato Sacelli illius pavimento. Sed de hoc satis; reliquos ordiamur.

# VITA

# M. ANTONII FERRATII

XII. cal. Martias an. 1661 natus est M. Antonius Ferratius Vastagnae, patavinae dioecesis pago, in agro vicetino, sub montibus ad ripam Medoaci sito. Primam habuit institutionem in collegio trestensi (1), unde pridie cal. Novemb. an. 1674 in Seminarium translatus est a B. Gregorio Barbadico tunc episcopo patavino. Ac primis statim rhetoricae rudimentis imbuitur, gradatim postea promovendus ad alia, de quibus audiamus, quid ipse narret. Exstat enim adhuc ipsius oratio ad hebraicam linguam, in qua commemorat de suis studiis. Ejus verba transcribam.

»In medio (inquit ille) studiorum meorum cursu, »aetatis anno vigesimo secundo, cum jam mihi in lit»teris scientiisque satis profecisse videbar, quod pro»ficere cuperem; abstrahor, nescio qua mente, a dul»cissima praeceptorum consuetudine, et a quotidianis »hujus sacrae palaestrae exercitationibus divellor. Vi-

(1) Vide Caput XIV. Opusculi *De singulari B. Gregorii Barbadici studio et amore in Seminarium patavinum*.

»sum enim est Eminentissimo nostro, cujus voluntati »par est ut meam ipse conformem, me, vix posito »tirocinio, primipilum facere, et verae sapientiae tan»tum non plane ignorantem ad ea praecipue studia »destinare, quae porro qui profitentur, divinae sophiae »professores dici solent». Haetenus Ferratius.

In dissertatione vero, quam typis edidit anno 1691, ita loquitur: »Assertiones jussus exponere, quo faci»lius palam omnibus fierent, quos in sacra lingua pro»gressus fecissem (1); quamvis tribus abhinc annis ad »longe diversa studia animum applicuissem» etc. Quibus verbis indicat (ut opinor) se ad studiorum Seminarii patavini regimen fuisse eveotum: quod sane accidit circa annum 1688, ut constat etiam ex epistola B. Gregorii Barbadici ad Magliabecchium (2).

Ex hoc uno apparet, quantus Ferratius fuerit. Adhuc enim adolescens visus est eidem B. Gregorio dignus, qui Nicolsono viro doctissimo subrogaretur; quo tempore vel maxime Seminarii studia florebant. Ejus doctrinae et ingenii majus proferri nequit testimonium.

(1) De eo libro magnifice cardinalis Hieronymus Casanata veterum linguarum notitia insignis. Id colligimus ex quadam B. Gregorii Barbadici epistola manu scripta, et ab eodem Roma III. cal. Octobris an. 1691 ad M. Ferratium missa. En ejus verba. *Dovete avere obbligazione all' eminentissimo Casanata per la stima, che ha mostrata del libro, e la diligenza, con cui l'ha letto, facendomene un lungo discorso sopra le materie contenute in esso.*

(2) Claror. venetor. ad Ant. Magliab. epist. Tom. II. pag. 15, 28, 30 et sequentibus.

Quamquam et hoc amplissimum. Adolescens exercuit cum laude munus, quod antea oblatum fuerat Nicolao Averanio, viro et multae doctrinae, et magni nominis. Quam quidem provinciam brevi M. Antonius tenuit. Eumdem enim anno 1692 electum fuisse in canonicum Montissilicis ex eo conjicio, quod ad exitum hujus anni studiis publice in Seminario proluserit Sebastianus Melchiorius (1) rhetoricae tunc prae-

(1) Sebastianus Melchiorius eloquentiae laude clarissimus. Ortum habuit ex honesta gente Crispani, loco haud ignobili, in agro tarvisiano, prope montes, bassanensis civitatis ad orientem sito. Anno 1671, aetatis 14 a B. Gregorio Barbadico in Seminarium admissus est, ubi institutus, amoeniores litteras postea docuit ejusdem Seminarii alumnos, inter hos celeberrimum Facciolatum, ut ipse affirmat in *Fastis* (*Tom. I. Part. I. pag.* 61); tum studiis praefuit. Mox accitus in publicum patavinum Gymnasium tradidit graecam et latinam humanitatem. »Duabus recitatis atque editis pul»cherrimis orationibus, sponte sua se abdicavit, valetudinem »causatus. Exstant orationes aliae ab eo scriptae cum Semi»narii studiis praeesset, in quibus ad exquisitam latini ser»monis lautitiam vix quippiam desideratur« (*Facciolat. ibid.*). Exstant editae et aliae duae, altera quidem in funere B. Gregorii Barbadici; altera vero Sebastiano Venerio ex patavina praefectura abeunte. Natalis Lastesius multae celebritatis orator (et ipse jamdiu inter Seminarii patavini alumnos et praeceptores) in Epistola, quam praemittit suis gratulationibus editis ejusdem Seminarii typis anno 1767, Melchiorium *principem omnium* vocat, qui in Seminario floruere eloquentia. Idem Melchiorius dicitur collegisse aliquot praeceptiones de contexenda periodo, quae discendae nostris proponuntur

ceptor: quem biennio post ejusdem Seminarii studiis praefuisse intelligo ex quadam ejus ipsius oratione per typos edita. Interim ad superos abiit Barbadicus; cum hoc repente falso percrebuit, rediturum in Seminarium Ferratium.

»Hinc rumor (sic ille in quibusdam suis litteris mss.) »hinc rumor, et falsa etiam amicorum opinio de meo »in Seminarium reditu. Quid enim ego me negotiis »immiscerem? An honos, gratia, auctoritas allicerent? »horum omnium satietas me tenet, quorum, dum ado»lescentia vigeret, non mediocris erat cupiditas. An »ex rebus bene gerendis gloriam quaererem? et illud »nomen inane: incertus praeterea exitus deterrebat. »An utilitatem, quae magnam apud nostrum ordinem »habere vim solet, sectarer? nullam esse constabat. »Talia vero, cum studiis praeessem, ac tanta feci obti»nuique, quanta et qualia sperare vix possum». Huc

---

in scholis. Quaedam praeterea ab eodem scripta, non tamen edita, Seminarii continet bibliotheca.

Quod spectat ad ejus mores, hoc unum dicam, quod instar est elogii cujuslibet disertissimi; cum nimirum B. Gregorio fuisse maxime acceptum. Cum Patavio se recepisset, in patriam *sibi uni vixit sine cura ulla gloriae suae, et sine obtrectatione alienae* (Facciolat. loc. cit.) usque ad annum 1728. Moritur cal. Januarii. Qua die annus initium sumpsit, Sebastianus finem vivendi fecit. Nepotem habuit sui cognominem, et similem laude vitae, qui patavino in Seminario institutus ibidem docuit. In collectione quadam epistolarum, anno 1796. Venetiis edita, sunt quaedam sermone italico in eo conscriptae.

usque M. Antonius, qui cum plura reliquerit eruditionis suae monumenta, in multam celebritatem evasit apud viros etiam in primis litteratos. Recensebo eadem post exitum hujus vitae, ne intercipiatur historia.

Lipsienses academici, quibus an. 1735. oblatae fuerunt M. Tullii Ciceronis orationes cum argumentis, animadversionibus et analysi M. Antonii Ferratii, eidem gratiam habendam judicant, quod hujusmodi laborem ad juventutis oratoriae artis studiosae utilitatem susceperit (1). Ad id illi auctor fuerat, ut ipse fatetur in praefatione, B. Gregorius Barbadicus, princeps ad optima quaeque natus.

Res erat ardua, et molestiae plena, quam alii quidam attigerant, sed leviter admodum (ut ei videbatur), et exitu non satis prospero. Ad audendum tamen ipsi fuerunt incitamento tum primi labores ab ipso insumpti in explicandas Titi Livii conciones, non sine aliqua (ut ipse modeste affirmat) approbatione; tum facilius obtinendae, utpote in re difficili, veniae spes. Sic itaque rem orditur.

Totius orationis ordinem singillatim exhibet in Synopsi, unde expeditior fit cujuslibet quoque partis intelligentia. Tum oratoris aperit artificium, quod saepius latet, certe non tam facile se se prodit, praesertim adolescentibus, quorum gratia Ferratius scribit. Quae sit optima narrandi ratio ac refellendi; quae argumentorum sedes, efficacitas ac vis; quae cum

(1) In supplem. ad nova acta eruditor. Tom. I. sect. VI. pag. 247. an. 1735.

singulis usurpanda demonstrat Ciceronis exemplo. Ita explicat demum omnia, evolvit, illustrat, ut orationem cognoscere vel discipuli funditus possint.

Quoniam vero apud auctores obscuriora quaedam occurrunt, annotationes adjecit ad eorum illustrationem. Haec autem sunt, quae ceteri *commentatores* aut incerti quid sentirent, omiserant; aut non assecuti oratoris sententiam, perperam fuerant interpretati. Quam brevissime vero attigit in annotationibus, quae fusius explanaverat in epistolis criticis, ne, quod est in proverbio, cantata recineret.

His porro epistolis, quibus continentur selectae de romana Republica quaestiones, tam multa et utilia complexus est, ut nihil propemodum quaeri possit ad absolutam tullianarum orationum, et ad non exiguam etiam romanae Reipublicae, et eorum temporum cognitionem.

Non alienis ille vestigiis haeret serviliter, ut pedisequus; non aliis temere suffragatur. Interpretes etiam eruditissimos carpit, ubi opus sit; ipsos quoque veteris historiae auctores ingenua libertate castigat amantissimus veritatis.

Neque oratorum tantum, poetarum quoque latinorum principem illustravit, suo tamen suppresso nomine. »Singulos ejusdem libros in capita cum eorum »summa divisit, idem institutum tenens in omnibus, »ut interrupta identidem lectio animos reficiat ac re»creet. Celebres quasque Æneidos conciones expen»dit, easque rhetoricis exercitationibus illustravit. »Tres denique addidit uberrimos indices, quorum pri»mus descriptiones continet; secundus comparationes;

»tertius dicta omnia memorabilia, quibus quasi quibusdam gemmis Maro opus suum illustrat (1). Adeo ille alienae utilitatis studiosus.

Idem laudis et gloriae, ut ipse de se fatetur, appetentissimus; sed ejus, quam neque extorserit ambitus, neque fucus corruperit. Non asper justis monitoribus, sed amicus; laboris patiens, ingenio sagax, solida litteratura ornatus, multiplici rerum cognitione conspicuus, reconditae in primis antiquitatis notitia.

Ac licet ille tam multa legerit, tam dissimilia, tam varia, non propterea multiplex, ut ita dicam, ejus stilus est, non varius atque dissimilis; sed unus, constans, aequabilis: quod enimvero difficile. Hunc enim in diversa trahit dissimilium scriptorum lectio. Neque latine tantum et plane loquitur; sed etiam, ubi postulat res, ornate; ut patet ex laudatione in funere B. Gregorii Barbadici episcopi patavini (2).

Ad ipsum non solum ut ad amicum, sed etiam ut ad censorem omnino idoneum, antequam prodiret, misit Juvenalem (3) a se itala veste ornatum, et

(1) Vide epistolam ad lectorem, praepositam Op. Virgilii edit. patav. an. 1695.

(2) Vide Academiam habitam in funere eminentissimi et reverendissimi Gregorii cardinalis Barbadici episcopi patavini ab alumnis Seminarii anno 1697, et ejusdem Seminarii typis excusam in 4.

(3) Id refert Comes Hieronymus canonicus de Silvestris, Camilli nepos, vir et ipse admodum eruditus, in annotatione ad epistolam quamdam italam Jacobi Facciolati, cui, ut

asinigena eruditione Comes Camillus de Silvestris, litterarum amatoribus carum nomen, M. Antonio studiorum affinitate conjunctus.

Venio nunc ad mores, de quibus ea dicam, quorum pleraque ipsum testem omnino integrum de se affirmasse video in judicio de B. Gregorii sanctitate Patavii ab Ecclesia indicto. Erat ille natura difficilis, iracundus, biliosus; solitus multa conqueri de cibo, de potu, de quotidiano convictu. Dictitabat Seminario opus esse novis regulis, novo studiorum ordine, nova methodo; et haec, ipso etiam B. Gregorio audiente, cujus sententiis, opinionibus, decretis solebat audacter contraire de industria, fere semper ab eo dissentiens. Majorem sibi sapientiam arrogabat.

Eum aliquando M. Antonius adortus est in cubiculo, vehementi et concitato sermone. Se plurimum laborasse tot annos doluit, testatus se nihil acturum posthac. Cui vir beatus: »Nunc me orare sinito». Ita a moleste interpellatore se expediit. Discedentem mox revocavit Cardinalis, nescio quid illi praecipiens. Tunc ille: »Adhuc mihi quaelibet detrectanti jubes? Nolo »quidquam». — » Vade (inquit Barbadicus): habeo »tibi neganti majorem fidem, quam alii cuilibet mihi »omnia pollicenti». Noverat enim is ingenium hominis ex impetu magis, quam considerate loquentis, suo tamen egregie fungentis munere.

Ac propterea in ipsum contulit aliquando simplex,

---

Ferratio, idem Camillus expendendam miserat nondum editam suam illam Juvenalis versionem.

uti ajunt, *beneficium*, et hoc pingue; gravatum tamen tenuis cujusdam, ita loquuntur, *pensionis* onere. Hac ille cupiebat munerari bene merentis cujusdam magistri industriam. Tum M. Antonius: »Si mihi non vis »ipsum tradere omnino immune, tibi illud habeas, »eminentissime«.--- »Uti vis, (respondit episcopus) »quale illud postulas, tale damus«; et insolentiam hominis beneficio rependit, quod illi erat familiare.

Quin perhumaniter (ut M. Antonius ipse testatur) eidem Gregorius sic: »duo tibi dicam, spero, non in»jucunda: et diu vives, et opibus abundabis«. His auditis (Ferratius ait) ridere coepi. Quod enim ad vitam longiorem spectat, non affinium tantum et amicorum, sed medicorum quoque erat contraria opinio. Et tamen (addit ipse) quod illi mihi jamdiu portendit, impletum est. Ego scilicet aetate provectus utor valetudine valde prospera, et ditesco prae multis aliis ejusdem atque ego sortis (1). Sic ille, jam senior et melior factus, de Barbadico, cui antea fuerat multo molestissimus.

Fuerunt enim, qui tunc putarent, Gregorium eo praecipue detinere in Seminario Ferratium, ut esset sibi assidua exercendae patientiae occasio. Is enim eum appetebat quotidiano prope convicio, dictus propterea ejus malleus. Quoties vero idem in se reversus adibat Cardinalem, ut aliquam sui excusationem afferret, ab eodem semper benignissime excipiebatur.

(1) Acta Beatificationis Gregorii card. Barbadici Tom. IV. Summar. pag. 408. Vide etiam pag. 347 et seqq.

Ex praeceptoribus nescio quis quadam die Cardinalem ipsum convenit de Ferratio multa conquestus: (suis enim hic praeterea sociis molestiam exhibebat) cui Cardinalis: »perfer, inquit: hunc et ego patienter »perfero. Deus ipsum esse nobiscum jubet, ut per il»lum exerceamur. Ingenio valet, emendabitur». Probavit exitus vaticinium. Adeo scilicet eundem postea poenituit suae hujus juvenilis audaciae, ut eam damnaverit publicis monumentis, et ea narraverit, quae essent omnino ignota, nisi eadem ipse dixisset, quippe quae uni illi cognita.

Quid alii sentiant de hoc, ignoro. Mihi certe id unum tanti est, ut exclamem:

*Scire piget post tale decus, quid fecerit ante* (1).

Semetipsum traducere apud ultimos etiam posteros non erubuit, ut B. Gregorii laudi inserviret; quamquam id non miror. *Justus* enim *est accusator sui* (2). Tum quaecumque eidem se se offerret occasio, de Barbadico magnifice. Eum virum praedicat *de caelo delapsum* (3), *divinitus concessum* (4). Eum nominare non poterat, nec intueri illius imaginem sine animi motu. Hanc amplexari, hanc osculari solebat magno pietatis sensu.

Non exiguum praeterea in illo paratum fuit aliorum egestati praesidium. Mos illi erat numerare pecuniam

(1) Martialis lib. 8. epigram. 30.

(2) Proverb. 18. v. 17.

(3) In epist. ad eminentissimum cardin. M. Ant. Barbadicum priori epistolarum parti praemissa.

(4) In funebri laudatione.

nepoti suo, ut pauperibus aegrotantibus mederetur gratis. Nonnihil etiam contulit ad decus archipresbyteralis ecclesiae collegiatae, quae in Montesilico, quam sacra auxit supellectile. Praeibat omnibus eximio pietatis studio. In suo canonicali obeundo munere plane diligens, assiduus in confessionibus excipiendis, promovendae pietati intentus. Auctor idem fuisse creditur cujusdam libelli jampridem editi, cujus hic est titulus: *lettere di spirito*. Neque enim suum in illo nomen inscripsit prae modestia.

Vitam quidem egit et aliis utilem, sed remotam a conventu hominum et frequentia; probam, integram, incorruptam, communi judicio et consensione probatam. Laudari quilibet putabatur abunde, si diceretur uti is conscientiae suae moderatore Ferratio. Tanta erat illius virtutis opinio!

Qua cum diu omnibus praeluxisset, III. cal. Majas an. 1748 exitum vitae habuit, octavum et octogesimum aetatis annum ingressus. Latent forsitan alia multa ejusdem praeclara gesta, diuturnitate temporis obruta. Quae tamen diximus, multum conferunt ad illustrandam illius memoriam. Nec esse debet, eo quod juveniliter is erraverit, minus grata. Errare enim est hominis; sed quae imprudenter erraveris emendare, sapientis.

## M. ANTONII FERRATII OPERA EDITA

Dissertationes criticae in linguam hebraicam. Patavii typis Seminarii an. 1691 in 8.

Exercitationes rhetoricae in orationes Titi Livii, saepius editae iisdem typis in 12.

M. Tullii Ciceronis orationes cum argumentis, animadversionibus, et analysi M. Ant. Ferratii, tom. 4. iisdem typis an. 1729 in 8.

Eaedem cum synopsi et analysi M. Ant. Ferratii, iisdem typis an. 1773 in 8.

Laudatio, et epigrammata duo latina, in libro qui inscribitur, Academia habita in funere eminentiss. et reverendiss. Gregorii cardinalis Barbadici episcopi patavini ab alumnis Seminarii an. 1697, iisdem typis in 4.

Epistolarum pars prior, sive de romana Rep. selectae quaestiones M. Ant. cardinali Barbadico dicatae. Patavii per Joan. Baptistam Caesarum an. 1699 in 8.

Epistolarum libri sex, in quibus omnia fere, quae in orationibus M. Tullii dubia occurrunt, illustrantur: quibus etiam pars illa prior continetur. Venetiis per Jo: Baptistam Albritium an. 1738 in 4.

Quaestio de provinciis Romanorum, an. 1693.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Multae latinae epistolae, dissertationes, plura epigrammata latina et itala, et alia graeca, latina, itala lingua scripta, quae praeferunt hunc titulum:

*Ex plurimis tum ineuntis, tum jam vigentis juventutis lucubrationibus M. Antonii Ferratii paucae quaedam, quae supersunt.*

Haec in Seminarii patavini bibliotheca servantur.

# VITA

# FRANCISCI CANALIS

Quod antea optabam, nunc aggredior dicere pauca quaedam, quae mihi comperta sunt, de studiis ac moribus Francisci Canalis. In agro vicetino septentrionem versus occurrit Marostica, oppidum non ignobile, ad montium radices positum. Ibi ex ingenua stirpe Canalis prodiit an. 1663 die quarta Octobris D. Francisco sacra, unde forsitan ejus nomen.

Primis litterarum rudimentis imbutus est in collegio trestensi (1); translatus postea in Seminarium patavinum die 26 Maji anni 1680. Ad septimum supra decimum aetatis annum pervenerat, cum esset adhuc grammaticae studio implicitus. Verum quo serius coepit, eo gloriosius studiorum cursum absolvit. Amoenioribus enim et severioribus disciplinis excultus, inter praeceptores Seminarii hujus excipitur a B. Gregorio Barbadico verae virtutis acerrimo aestimatore ac judice.

Enimvero multa Franciscus novit, sed excelluit in

(1) Vide Cap. XIV. Opusculi *De singulari B. Gregorii Barbadici studio et amore in Seminarium patavinum*.

primis multiplici cognitione linguarum. Praeter italam et latinam, graecam etiam callebat, hispanam, gallicam: tenebat insuper antiquissimas Orientis linguas, hebraicam, syriacam, chaldaicam, arabicam, quas idem postea Seminarii alumnis tradidit plures annos. Ad easdem sibi acquirendas optimo in primis duce usus fuerat Timotheo Agnellino Mardini archiepiscopo (1), quem B. Gregorius jusserat Seminarii clericos hujusmodi eruditione instituere (2).

Neque solum tot linguarum, tamque inter se dissimilium, notitia Franciscus valuit, sed multa quoque librorum scientia. Eidem plurimum debet Seminarii bibliotheca, cui praefuit, aucta ejus cura multis praecipue codicibus mss., aliisque non paucis voluminibus iisdemque exquisitis, antiquissimis, rarissimis, quae *incredibili animi ardore et ingenti sumptu collegerat* optimarum litterarum vir studiosissimus comes Alphonsus Alvarottus (3). Quamquam in hoc ( ut verum fatear ) praecipua laus Faeciolati (4). Aliquot praeterea

(1) Vid. Opusc. cit. Cap. V.

(2) Eumdem etiam praefecerat Barbadicus typographiae in iis, quae ad orientales linguas spectabant, ob eximiam ejus in illis peritiam, quam testantur ab ipso editi plures libri, uti constat ex XI Opusculi ejusdem capite.

(3) Jo. Ant. Vulpius in libris Carminum et Opusculorum editis anno 1725 pag. 243. 244. Hoc idem refert in admonitione, quam praemittit carmini lyrico Hieronymi Fracastorii, edit. secundae, pag. 169.

(4) Is enim qua auctoritate valebat apud Card. Cornelium episcopum patavinum, facile ab illo obtinuit, ut posset eos

de suis etiam libris in eamdem bibliothecam Canalis contulit.

Cui illud valde honorificum, quod eum litterati viri saepius adierint, quod magni fecerint, quod se plurimum profecisse ex ejus consuetudine fassi fuerint. Hoc certe de se, ac de Alvarotto candide testatur Cajetanus Vulpius celeberrimi professoris Joannis Antonii frater, ipsum Franciscum alloquens in epistola praemissa dialogo venerabilis Cacciaguerrae, quem cum Scardeonii quodam opusculo eidem dicavit anno hujus saeculi quadragesimo: unde multa ad illustrandam tanti viri memoriam sumpsi. De eodem cum laude meminit eruditissimus Zenus in libro, qui inscribitur *Dissertazioni Vossiane* (1), et alibi, ubi nimirum de viris litteratis Italiae (2). Neque sine aliquo admirationis sensu Forcellinus eum nominabat.

Nec artium pulcherrimarum gustu, ut dicitur, Franciscus caruit. Quod ostendunt tabulae Seminario ab eodem liberaliter dono datae.

Plures discipulos idem habuit, qui in proximis dis-

---

libros acquirere Seminarii bono et publico. De re hac sic in sua quadam epistola clarissimus Zenus (*Tom. III. epist. pag.* 186. *edit. Ven.* 1785.): *Ho inteso il bell' acquisto, che ha fatto il Seminario della libreria del fu conte Alvarotti, e mille volte ho benedetta e lodata la grand' anima di cotesto eminentissimo vescovo Cornaro, al quale non ha sofferto il cuore di lasciar uscire un sì fatto tesoro dalla nostra Italia.* Similia habet pag. 169. editionis ejusdem.

(1) Tom. II. pag. 129.

(2) Giornale dei Letterati d'Ital. tom. XVIII pag. 413.

sitisque regionibus, qua editis libris, qua virorum principum benignitate fruentes, praeclara in luce versati sunt; omnium praeconio digni, quod aliis cum doctrina, tum pietate ac religione praefulserint.

Poetica quaedam exstant, scripta non una lingua, quae Canalis nomen praeportant. Exstant, inquam, in Academia habita in funere Gregorii Cardinalis Barbadici ab alumnis Seminarii patavini, et typis ejusdem edita anno 1697. In cathedrali aede hujus urbis anno 1704 Franciscus obtinuit sacerdotium, dimissum a Joanne Baptista fratre (1) electo in canonicum.

(1) Natus hic est Molvenae, non longe ab oppido Marosticensi, anno 1658, III Cal. Majas. A Collegio trestensi, ubi fuerat grammatica institutione praecultus, in Seminarium patavinum transfertur Non. Novemb. anni 1672, humanioribus litteris imbuendus. Postea a B. Gregorio Barbadico in Oblatorum Congregationem adscribitur, quod illi verti debet magnae laudi. In hanc enim admittebantur tantummodo qui aliis praestarent non minus litteris et ingenio, quam verae pietatis studio. Quin ipsum aliquandiu esse voluit vir beatus inter suos aulicos ac domesticos, qui viri eximii; sacris reditibus non semel auxit, inter magistros Seminarii hujus excepit, eique tradendae ecclesiasticae Historiae munus commisit, geographiae peritissimo. Debemus ipsi tum generalem mundi totius, tum singularum quatuor ejusdem partium seorsum exhibitam descriptionem per typos Seminarii patavini an. 1691 et 1692: tum alias tabulas ad veterem geographiam pertinentes, et insertas libro ita inscripto: *Tabulae geographicae, quibus universa geographia vetus continetur a multis auctoribus collectae, typis editae Seminarii pat. an.* 1699 *in fol.*

archipresbyteralis ecclesiae collegiatae, quae in Montesilice. Fuit idem pietate insignis: ob hanc in deliciis habitus a B. Gregorio Barbadico, unde eam didicerat. Neque majus illius probitatis argumentum ullum afferri potest, neque pulcrius. Haberet hinc in quo se jactaret ac triumpharet oratio. Id leviter indicasse satis habet historia, simplici rerum narratione contenta.

Delectabatur Canalis frequenti sacrarum Scripturarum lectione et operum SS. Patrum ac recentiorum etiam sanctorum hominum, S. Teresiae, Aloysii Granatae, S. Francisci Salesii. Haec ille legebat nativa lingua conscripta. Legebat etiam saepe sanctorum hominum vitas, ex quibus facile omnino hauriebat solidae virtutis decus ac religionis, se totum ad eorum exempla instituens. Quae enim in his legebat, non referebat ad inanem eruditionem, sed putabat legem vitae. Hinc illud cujuslibet virtutis studium, praesertim vero modestiae, quae in illo prorsus eminuit.

Franciscus doctrina, quae in paucissimis est, excellens, cum paucissimis gloriam dividens, viris litteratis cognitus, a viris litteratis ornatus, celari studet et ignorari. In monialium confessionibus excipiendis, in iis regendis et instituendis postremum transigit suae vitae tempus.

Eum interim nervorum morbus aggreditur cum sin-

---

Electus tamdem hic, ut diximus, in canonicum archipresbyteralis ecclesiae, quae in Montesilice, se abdicavit sacerdotio, quo in cathedrali aede patavina potitus fuerat. Ubi et quando obierit, mihi nondum compertum est.

gultu, gravissimeque afflictatum paucis diebus e vivis eripit. XII Cal. Augusti anno 1742 (1) undeoctoginta circiter annos natus decessit, eruditionis et morum laude conspicuus.

(1) Superiore anno decessit Ferdinandus Porrettus patavinus. Inter Seminarii hujus alumnos descriptus fuit adhuc puer, ibique aliquandiu postea magistri munus exercuit. Hinc evocatus, professus est in schola patavinae urbis publica, unde tot exiere illustria in bonis artibus civium nomina. Primam partem institutionis grammaticae a se confectae his edidit, post et alteram cum latina prosodia ad meliorem intelligentiam redacta. Utraque cum laude excepta. Ephemeridum rei litterariae scriptores. de duabus ejus orationibus commemorant, quarum una Josephi Bottari episcopi polensis, altera Ferdinandi de Obizzis vulgata in funere. Aliam quoque orationem protulit Ferdinandus, quam habuerat in honorem S. Francisci Salesii; tum duas latinas epistolas et alia quaedam poetica, cum B. Gregorii Barbadici corpus erutum ex sepulcro, decreto almae Curiae romanae, in decentiorem locum translatum est. Multa reliquit inedita, partim soluta numeris, partim nexa. Nec aliis ornamentis caruit. Theologica laurea insignitus, cooptatus fuit in Theologorum collegium, et in eorum coetum, quos *Recuperatos* vocabant. Vir de suis civibus egregie meritus erat in oculis omnium civium. Sepultus jacet in templo Virginis dolentis, vulgo *il Torrestno*, cum hac inscriptione:

HIC IACET
FERDINANDUS PORRETTI PAT.
SAC. TH. DOCT. COL.
ET CIVIT. PVB. PRÆC.
OB. A. C. M. DCC. XLI. IV. KAL. MART.

# VITA

# JACOBI JACOBETTI

Venio nunc ad Jacobum Jacobettum, virum eximio ingenio et eruditione multiplici; graecae vero linguae notitia insignem. Natus is est Patavii anno 1663, et sexto decimo aetatis in Seminarii alumnorum coetum adscriptus est a B. Gregorio Barbadico tum Patavinorum episcopo. Vel a pueritia pietatem praetulit Jacobettus, et incensum animum ad studia litterarum. Quantum in his profecerit inter tot earum praesidia, illud indicio est, quod ab eodem B. Gregorio, ingeniorum judice sagacissimo, in praeceptorem electus fuerit vix absoluto litterariae institutionis curriculo.

Itaque humaniores artes profiteri coepit ex ejus jussu, easque docuit plures annos cum in patavino Seminario, tum in Collegio trestensi (1). Haec autem erat illius vitae ratio. Cum graecis latinisque Scriptoribus, quorum erat copia septus, vivebat assidue zotheca inclusus, horum consuetudine fruebatur a quolibet impedimento remotus. Hos adolescens et senex,

(1) Vide supra annotationem (1) pag. 96.

hos coluit plurimum tota vita. Ingens porro exstitit ex tanta familiaritate cognitio. Nihil fere in iis occurrebat, quod ille non expendisset solertissime. Hinc alii, si quid obscuri invenissent in graecis praecipue auctoribus, ad eum, certum quasi ad interpretem, convolabant; viri etiam multum docti ac litterati, inter quos Dominicus Lazzarinus, politioris humanitatis professor in publico patavino Gymnasio, et graecae linguae in primis peritus. Atque hic quidem olim in viam se dederat, ut eum consuleret. Offenderat enim locum in oratione quadam Demosthenis valde implicitum. Cum Jacobettus derepente fit illi obvius. Salutant invicem, uti mos; tum Lazzarinus: » Quam opportunus » mihi occurris, inquit, Jacobette! Te scilicet nunc adibam «; eique sui itineris causam aperit. Cui Jacobettus stans, ut dicitur, pede in uno, illico rem expediit. Non praetermittam alterum, qui mihi occurrit, Hieronymum scilicet Ascanium Justinianum. Hic nonnullas Demosthenis orationes, quas in italum sermonem verterat, subjecit Jacobetti judicio, ut refert Antonius de Comitibus (1). Primas deferebant omnes in graecis litteris Jacobetto; in quibus ille, ut scribit Facciolatus, *sine controversia praestabat* (2).

Earum usum ut expeditum et aliis redderet, grae-

(1 *L'abate Giacometti, che nella perizia della lingua greca nulla cedeva ai più famosi del XVI secolo, le approvò non solo, ma le ammirò*. Opere di Ant. Conti T. I. pag. 41.

(2) Fasti Gymn. pat. T. II. pag. 519.

cam grammaticam ad meliorem formam redegit, alia recidens, ubi opus erat, et alia adjiciens. Tum emendavit et auxit oratoriam, uti ajunt, calligraphiam (1), allatis plurimis et selectis dicendi modis ex Aristotele, Xenophonte, Thucydide, aliisque permultis, quos probe noverat, optimae notae auctoribus. Quaque ipsi ratione usurpari debeant, exemplo docet, et varias nominum ac verborum significationes ostendit. Sic etiam ab adolescente parari potest elegantia et copia sermonis hujus, qui eidem familiarissimus.

Quoties enim ipsi lubitum, loquebatur graece; quodque mirum, tam expedita ac profluens erat loquendi celeritas, tam expolita concinnitas, ut meditate, non ex tempore videretur loqui, stupentibus Graecis ipsis. Ex hoc praecipue fonte profluxit ad famam, ut animadvertit etiam Cesarottus in patavino Gymnasio professor linguae hujus experientissimus, in epistola ad Deninam, ubi commemorat de civibus patavinis litterarum laude praestantibus, quos inter recenset Jacobettum. Sed de celebritate illius paulo post: nunc alia de ejusdem eruditione.

» Quidquid (inquit Babolinus in epistola ad illustris-
» simum ac reverendissimum Jo. Minottum episcopum
» patavinum, praemissa opusculis Jacobetti) quid-
» quid eruditionis, quidquid humanitatis Seminarium
» patavinum in alumnos vere industrios, et propinan-

(1) Edita fuit ann. 1692 typis Seminarii patavini, et dicata a Jacobo, Nicolao Calliachio cretensi in patavino Gymnasio humaniorum litterarum professori.

» dae latinitatis avidissimos diffudit, ille hausit a pri» mis unguiculis ».

Livium prae ceteris latinis scriptoribus in deliciis habuit, solitus ipsum assidue legere diu noctuque. Hunc scribendo exprimere studuit intenta cura; quem praeterea illustrandum suscepit cum Ferratio, ut facilius et alii possent ad eum accedere.

Plurimum quoque Jacobus valuit inscribendorum lapidum scientia (1). Quae quidem laus non exigua, nec omnibus iis communis, quibus commune est latine scire et scribere.

Verum diutius latere non poterat vir splendidis moneribus jam maturus. Georgius itaque Cardinalis Cornelius, qui in B. Gregorii Barbadici locum suffectus fuerat, ad studiorum Seminarii regimen Jacobettum evexit (2). Talem vero ille se praebuit in amplo mu-

(1) Constat id ex gravi et accurata censura, qua non unam ex latinis inscriptionibus notat. Censura non est edita, sed tantum scripta.

(2) Immatura enim morte praereptus fuerat Petrus Antonius Coppo, qui studiis iisdem praeerat. Hic Patavii natus Seminarium ingressus est ann. 1685. Suae institutionis cursu confecto, ibidem docuit sacras litteras, et veteres orientis linguas. Poetica etiam in arte valuit, et oratoria. Multiplici laude florens non pauca reliquit monumenta, pleraque inedita, quae in Seminarii bibliotheca servantur, partim ad graviores, partim ad politiores litteras pertinentia. Tam multa ac dissimilia studia admodum vigente aetate complexus, magnam sui exspectationem commoverat. Salomonium audire praestat, qui eum nobis exhibet, paucis quidem, sed solidis lineamentis expressum (*Append. inscript. pat. pag.* 268.)

nere, ut et litterarum bonum promoverit, et honorificum sapientissimi Cardinalis de se judicium probaverit.

Per haec tempora Romam perrexit una cum Vaira, qui electus fuerat in episcopum adriensem. Mox adiit summum maximumque pontificem Clementem XI, sibi ad eumdem aditum aperiente legato veneto Laurentio Theupolo. Benigne exceptus et interrogatus a doctissimo pontifice Jacobettus de intima Seminarii patavini forma, de ratione studiorum, praecipue de linguis, de typographia, ita respondit, ut aliquam ipsi injecerit admirationem sui. Ultra dimidium horae pontifex eum detinuit, tum dimisit donatum largiter *indulgentiis*, quas tantum is postulaverat et sibi, et aliis. Tum perlustrare urbem coepit studio videndi quaeque pulcherrima. Antiquitatis praecipue monumenta et exquirebat accuratissime et avidissime contemplabatur Jacobus. Errabat passim solus, cogitabundus, in sese abditus. » Ibi (sic ille de se) ibi peregrinantes, nihil » fere fuit in operibus manu factis, nulla tabula, nul» lum simulacrum, nulla supellex, quam non invise» remus (1) ». Mox haec addit: » Publicas ac pri-

» Petrum (inquit) Antonium Coppo hujus Seminarii alu» mnum, illustri ac celeri ingenio virum, oratoriae facultatis, poeseos, linguarum latinae, graecae, hebraicae, chaldaeae, arabicae, syriacae, sacrarumque Scripturarum ac » theologiae peritissimum; a quo multa et cum magna spe » exspectabamus; sed, proh dolor! tot virtutum germina mors » immature amputavit ann. 1705, die sexta Maji, aetatis » suae 31 ».

(1) Opuscolor. pag. 30.

» vatas domos, custodita et incustodita loca peragra-
» bamus. Per plana, per colles, saxeta, dumos, per-
» via, impervia venantium more conquirebamus ».
Nullum prae amore harum rerum sentiebat incommodum. » Quin ipsa semesa marmora, fragmina ipsa ac
» rudera, illius quondam florentissimae urbis reliquiae (1) », magna cum voluptate eum detinebant.

Locorum illorum maxime, ut opinor, commovebatur adspectu. Eorum enim ipsi veniebat in mentem, quae in historicis antea legerat. Audire quodammodo videbatur sibi et adspicere claros viros, quos ibi quondam vixisse acceperat. Acrius aliquanto et attentius de his locorum admonitu cogitabat. *Magna enim vis admonitionis inest in locis* (2).

Nec ea tantum invisit, quae patent omnibus, et oculis sunt exposita. Ei ad interiora quaelibet, ut supra vidimus, patuit aditus, veneti praecipue legati studio et auctoritate, qui noverat ipsum a Cardinali Cornelio avunculo suo magni fieri. De illius beneficentia et humanitate sic in sua quadam epistola Jacobettus:
» Ejus, inquit, benignitate fruor incredibili: saepe
» cum illo, remotis arbitris, mensae etiam splendidis-
» simae adhibitus, conquisitus, si qua dies praeter-
» eat, qua non adsim (3) ».

Interim Roma Patavium rediit, ubi, Seminarii cura dimissa, tranquillam vitam agebat honesto in otio.

(1) Opusculor. pag. 30.
(2) Cic. l. 5. de Finibus c. 1.
(3) Opusculor. pag. 170.

Accidit non multo post, ut aetatis missionem obtinuerit canonicus Carlottus vir optimus, et in publico patavino Gymnasio ethices professor. Ad hanc tradendam vocatus est a litterariis triumviris Jacobettus ann. 1718 XV Cal. Septemb. Recusat hic honorem tantum sibi ultro oblatum (1), qui a plerisque expetitur votis omnibus, et omnibus etiam officiis quaeritur. Non quod laboriosum munus effugeret, cum inter labores extinctus sit; sed quod eidem sustinendo, uti decet, tunc imparem se putaret. Fortasse quod deditus aliis studiis fuisset semper antea.

Detrectanti occurrunt doctissimi, eidemque amicissimi viri duo hujus ipsius publici patavini Gymnasii professores, Parmesanus a Curtivo de Sanctis, et Joannes Gratianus, quorum utrique perspecta erat Jacobetti solertia et plane cognita. Honesta qualibet ratione instans uterque nititur dimovere hominem de sententia. His auctoribus tamdem cessit, et magistratus optime de se sentientis judicio acquievit.

Post biennium coepit aperire adyta gravissimae disciplinae. Utque erat graecae linguae scientissimus, Aristotelem dedit summa fide et elegantia expositum. Ex ipso enim, tamquam ex fonte, purius hauriebat vel abdita quaelibet ejus sensa, et exhibebat suis auditoribus eadem integra, defaecata, sincera: unde Aristoteli novus splendor, illi novae laudis accessio.

Hinc, licet cathedram ex instituto conscenderet ho-

(1) Hoc narrat Sebastianus Franzonus in epistola ad amicum de vita et studiis Jacobi Jacobetti.

ra pomeridiana, quae molesta esse solet, fieri tamen frequens ad eum concursus, non tantum juvenum, sed virorum quoque praestantium, quos ille sibi devinxerat cum opinione doctrinae, tum facilitate et humanitate. Aderat enim omnibus ad se adeuntibus non modo publice, sed etiam domi privatim ex consuetudine; omnibus praesto erat, notis, ignotis, civibus, exteris, *consilio*, *voce*, *scripto* (1). Neque unquam protulit, quae aliis rogatus scripserat, vel dictaverat; nec eorum nomina, ne imminueret illorum famam.

Tot ille distentus curis, ubi desiderata est ejus opera, non defuit Seminario: cui praefectus a Cardinali Joanne Francisco Barbadico, qui Cardinali Cornelio proxime in episcopatum successerat, *strenue* (ut scribit Babolinus) *gravissima praesidis exequebatur officia* (2).

Pernumiensi canonicatu auctus est, ut ostendit sepulcralis inscriptio; sed a quo, vel quo anno, mihi non constat.

Multa latine et graece scripsit, cum ligata numeris, tum soluta. Lectiora continentur volumine, quod ita inscribitur; *Opuscula politioris litteraturae*. Venetiis illud excusum est anno post ejus mortem, scilicet 1738, et archiepiscopo Joanni Minotto-Ottobono episcopo patavino a Babolino dicatum.

Anno vero 1762, quo Patavii Gregorii Barbadici recens beatorum fastis adscripti solemnia celebraban-

(1) Idem Franzonus loco cit.

(2) In epistola praemissa Opusculis, de qua supra.

tur, in italum sermonem versa prodiit oratio, quam latine Jacobettus scripserat in ejus funere.

Ephemerides litterariae Venetiis editae ann. 1738 de alio ejusdem libro mentionem faciunt, cujus hic titulus: *Elementi di rettorica*.

Alia praeterea non pauca ejus scripta, graeca, latina et itala, quae numquam edita, servantur in Seminario, una cum tabula, quae eumdem exprimit.

Quae typis prodita, arrisere plurimum litteratis viris. Lipsienses eruditi, quorum censuram subiere opuscula politioris litteraturae anno 1741, in Jacobetti laudes effusi *doctorem celeberrimum* illum praedicant, *virum facundissimum, latinae et graecae linguae perquam gnarum: eruditionem ejus eximiam* dicunt, ejusque *orationes prae se ferre* testantur *acutam et brevem elegantiam, ac propemodum aliquam formam atticam* (1).

Papadopolus in sua patavini Gymnasii historia eumdem vocat *oratorem clarissimum*, tum haec addit: *Musas atticas et ausonias publicae utilitati servire cogit, hisque mitigat ethices superciliosius ingenium* (2).

Jacobettum Facciolatus appellat *virum acri quadam ingenii vi* (3).

Franzonus in epistola *De vita et studiis Jacobi Jacobetti*, ejusdem opusculis praemissa ita scribit: *Jam*

(1) Acta Erudit. ann. 1741. pag. 476. 477.
(2) Lib. II. c. 43. pag. 182.
(3) Fast. Gymnas. pat. Tom. II. pag. 319.

*stilus ejus pressus fuit et concisus, plenus acuminis, plenus succi, et quem paucis contigit imitari* (1).

Illud vero prorsus eximium elogium est, quod Jacobetto jampridem texuit Joannes Antonius Vulpius in hoc eodem patavino Gymnasio professor celeberrimus. Is itaque in praefatione *in libros Severini Boethii de consolatione philosophiae*, quos eidem dicat, multus est in ejus eruditione extollenda. Fere neminem fuisse affirmat ex studiosis adolescentibus ejus temporis, qui non profecerit eo magistro. Neminem exuisse barbariem, et coluisse amoeniora studia, cui ille ad id hortator non fuerit, adjutor, auctor: dignus propterea, ut addit, cui (si tempora paterentur) excitandum curarent homines insigne monumentum in celeberrimo aliquo loco urbis hujus eruditissimae, ut olim Delphi leontino Gorgiae (2).

Alios praeterea multos ex doctis habuit Jacobettus addictos sibi ac deditos, ut ex ejus epistolis clare patet. Prae ceteris Vincentium Vicarium, poetam vicetinum, virum ornatissimum. Fuit hic admirator maximus Jacobetti. Hanc in eum admirationem jam tum imbiberat, cum eumdem Patavii audiret. Mutuis uterque epistolis post solebat sese prosequi. Jacobettum viventem honesto quovis officio Vicarius coluit, mortuum suaviter deflevit ecloga, quam cum aliis eclogis et aliis latinis versibus postea edidit. Habebat

(1) Pag. 16.

(2) In libris carminum et opusculor. Patavii editis apud Joseph. Cominum, anno 1725 pag. 247.

etiam in suo cubiculo parietibus appensam tabulam referentem Jacobetti imaginem. Ibidem hanc voluit, quoad vixit, uti narrat qui de vita ac studiis illustris hujus poetae breviter et eleganter scripsit (1). Tanta doctrinae Jacobetti laus fuit! Non minor vitae.

*Erat in hoc viro comitate condita gravitas, nec senectus mores* mutavit (2). Quare omnibus carus fuit; omnes optabant illi evenire prospera. Invidiae inimicus alienam industriam fovit, illud saepe repetens, *neminem alterius, qui suae confideret, virtuti invidere* (3). Sua sorte contentus tranquille vixit. Cultus simplicitas, victus frugalitas, vocis auctoritas eum commendabant.

Suis laudibus non admodum delectabatur. *Frontem contraxi* ( ita respondit amico, qui sibi scripserat ), *nec degustavi in illo uno, ubi large effuseque de me* (4). Humili loco natus numquam fastidiit suae obscuritatem familiae; quin ultro eam prae se ferebat, et commemorabat vel ignotis. In eo non artificium, non simulatio, non fucus; vir erat omnino probi et antiqui moris, hanc praecipue ob causam adeo carus B. Gregorio Barbadico. Eum ille benigne admittebat ac paene familiariter vel aegrotus, libenter cum eo loquebatur de ipsius discipulis, de ratione scholasticae in-

(1) In epistola, quam praemisit Vicarii versibus Patavii editis anno 1750, typis Seminarii.

(2) Cic. de Senect. c. 3.

(3) Id. Philipp. X. c. 1.

(4) Opusculor. pag. 221.

stitutionis, de aliis ad Seminarium spectantibus (1). Hunc aliquando itineris socium voluit et rusticationis; et eodem usus est anagnoste (2). De quo identidem Jacobettus in suis epistolis. Idem rite postea in judicio de Gregorii sanctitate religiose testimonium dixit; quod admodum sane locuples. Is enim optime Cardinalem norat, et ejus religionem, studiosus, quam qui maxime, et ipse religionis.

Nihil ferre poterat, quod eamdem laederet vel levissime. *Divina*, (sic ille nescio cui jocanti minus opportune) *divina, et quae divinis adhaerent, numquam tangito, nisi sancte* (3). Amicis omnia condonabat praeter vitia; immo eos admonebat, verae hoc et ingenuae amicitiae officium putans. *Id nisi monerem*, eidem ait, *non te diligerem* (4).

Graecas litteras promovendi, et alios juvandi studio numquam laboribus pepercit. Quare viribus corporis languere coepit; vigebat tamen animo, virebatque integris sensibus. Domi posthac se continuit, quem solebant multi invisere, partim civilis tantum officii, partim etiam discendi gratia. Mortem oppetiit IV Idus Majas anno 1737, aetatis 74 sui desiderium relinquens omnibus, praecipue egenis in quos eximie munifious. Sepultus jacet in cathedrali aede patavina non procul ab ara Virginis Deiparae cum hoc titulo, cujus auctor Sebastianus Franzonus:

(1) Opusculor. pag. 273.
(2) Ibid. pag. 198.
(3) Ibid. pag. 222.
(4) Ibidem.

HIC IACET
IACOBVS IACOBETTI PATAVINVS
CANONIC. PERNVM.
IN PATRIO GYMNASIO PVBL.
ETHICES PROFESSOR
LATINAE LINGVAE MAIESTATE
GRAECAE ERVDITIONE
VTRISQVE STRENVE PROPAGATIS
EXIMIVS
VITAE INNOCENTIA ANIMI CANDORE
COMITATE LIBERALITATE
IN EGENOS SINGVLARI
OBIIT
BONORVM VBIQVE OMNIVM
MOERORE INGENTI
ANNO SALVTIS M. DCC. XXXVII.
QVARTO IDVS MAII
AETATIS LXXIIII.
ANN. COLLEG. CANONICORVM.

Sed cum templi aream novissime straverint marmoreo lapide, sublatus est titulus.

# VITA

# JACOBI FACCIOLATI

Narranti mihi de patavini Seminarii viris illustribus, nefas praeterire silentio Jacobum Facciolatum, qui plurimum sui nominis fama contulit ad ejusdem Seminarii celebritatem. Licet itaque et alii antea de illo scripserint (1), et novissime clarissimus vir Fabronius vitam ipsius ediderit; pauca quaedam et ego dicam, ne videantur nostrarum rerum studiosi magis exteri, quam nos ipsi.

Jacobus Facciolatus ineunte anno secundo post octogesimum saeculi XVII, pridie scilicet Nonas Januarias natus est Tauriliae, rure non inamoeno, colles inter euganeos sito. Liberali ejus indole captus B. Gregorius Barbadicus ea tempestate episcopus patavinus, eumdem ad trestense (2) Collegium misit primis litteris erudiendum.

Duodecimum tunc ille agebat aetatis annum, quo completo, ab eodem beato viro in Seminarium transla-

(1) Vide Brucker. *Pinacoth. Scriptor. nostra aetate litteris illustrium, Decad. VI.* Christ. Sax. *Onom. Tom. VI. pag.* 215. et *Annal. pag.* 661.

(2) Vide Opusculum *De singulari B. Gregorii Barbadici studio et amore in Seminarium patavinum* cap. 14.

tus est, ubi se assidue postea, tamquam in ampliore palaestra, exercuit. Utque erat eximio ingenio et industria, facile ad se magistrorum studia convertit. Rhetoricae ludo egressus rursus tractare coepit litteras politiores, ad quas potissimum videbatur a natura factus, et earum cultum cum gravioribus disciplinis conjunxit. Philosophos biennio audivit, triennio vero ad theologica incubuit; publicum etiam de iisdem certamen iniit, dein centumvirale theologorum judicium subiit, eorumque suffragiis probatus in eorum coetum adscriptus est; tum se recepit in patriam.

Hinc eodem anno 1704 a Cardinali Cornelio, qui in episcopatum successerat Barbadico, revocatur in Seminarium, ut theologiae professori subsidio sit. Quare is fungi coepit repetitoris officio. Mox philosophiam profiteri jussus, Seminarii alumnos instituendos suscepit ea disciplina, qua vix percursa, ejusdem Cardinalis auctoritate transfertur ad Academiam (1), quae ad ea usque tempora non alium, quam studiorum praefectum magistrum noverat; idemque praeterea publice jubetur studiis proludere novo exemplo. Hoc enim Cardinalis levavit onere Jacobum Jacobettum, qui iisdem praeerat, licet is esset vir multarum magnarumque rerum, graecae praesertim linguae notitia excellens. Hic non multo post ethicam tradidit in publico patavino Gymnasio.

Sic Facciolatus ex alia in aliam provinciam tradu-

(1) Hoc est, coetum eorum adolescentum, qui ingenio ad ea studia, quae ab humanitate sibi nomen vindicant, apto supra ceteros excellunt.

ctus celeriter ad eam pervenit, quae plurimum solertiae postulat et laboris. Promovenda enim sunt studiorum praefecto tot artium atque scientiarum genera, tot excitanda ingenia, tot adhibenda praesidia. Hoc ille alacriter suscepit, rei magnitudine non deterritus. Ac primum quidem eruditarum linguarum, quae magnis rebus atque doctrinis quasi solum parant, studium et exercitationem promovit; quod nisi suscipiatur mature, suscipitur numquam postea. Sunt enim sua cuilibet aetati studia, ejus omnino propria, nec in aliam cadunt. In addiscendis linguis occupari juvenes nolunt grandiores facti. Dedignantur haec ad graviora progressi, nec ad eadem se revocari patiuntur, quemadmodum homines ad crepundia.

Ut hoc perficeret Facciolatus, expurgandum et amplificandum curavit Calepini Lexicon (1), quod editum post saepissime. Id aggressus est adhibita Forcellini industria, viri admodum intelligentis et navi, quem ipse a juventute instruxerat, et huic studiorum generi assuefecerat. At cum vidisset illud emendari prorsus non posse, statuit novum condere, quod latinas voces omnes, variosque earum usus complecteretur. Quod optime Facciolatus excogitavit, unus idem praestitit Forcellinus, ordinem ac modum tenens ab eo praescriptum. Quem praeterea ille adjutorem habuit in aliis, in contexenda praesertim itala Orthographia (2).

(1) Anno 1708 auctum hoc ipsum fuerat a Jacobo Sartori philosophiae et matheseos in Seminario patavino lectore.

(2) Vid. Epist. Forcellini praemissam ipsius Lexico.

Pluribus in locis refecit Facciolatus Nizolii apparatum, grammaticam etiam graecam, et graecum pariter Schrevelii lexicon retractavit et auctius reddidit. Edidit latinas Tursellini particulas castigatas, auctas, et ad Seminarii usum accommodatas, et alia id genus egit numquam cessans (1). Praecipue vero pueros ad multam aetatem versari volebat in unius Ciceronis scriptis (2), unde et ipse valde profecerat; cujus propterea vitam litterariam breviter scripsit. Bis insuper quaque hebdomada instituebat eos ad graeca, qui scientiis quidem addicti erant, non tamen Academiae; quam aliquandiu, etsi praefectus studiorum, rexit. Idem domesticae bibliothecae custos, quae ejus in primis opera adeo postea crevit, ut opus fuerit constituere qui eidem uni se totum daret.

Anno interim undecimo supra millesimum septingentesimum periclitari fortunam statuit, privatos Seminarii parietes latebrasque pertaesus, ac suam illam ad grammaticam orationem vulgavit. Res haec omnino feliciter. Sic enim movit studia hominum, ut ea statim prodierit rursus Lipsiae, et in Germania per eruditissimum Valchium (quae profecto laus non exigua), et in aliis etiam quibusdam ex urbibus transalpinis.

Hoc prospero quasi omine crevit animus. Singulae orationes quotannis ab eodem vix habitae, in lucem

(1) Vid. Epist. 26. Facciolati, et quam idem Nizolio praemisit.

(2) Vid. Epist. ejusd. 56.

missae, quae postea in unum quasi corpus collectae, in Italia simul, et extra Italiam fuerunt saepius editae,

Earum passim perhonorifica mentio fit in actis eruditorum Lipsiensium (1), quibus modo singulae, modo plures oblatae. Singularum ipsi synopsin exhibent, partesque transcribunt; tum auctorem *eruditissimum* et *clarissimum* virum praedicant (2), dictionis vero elegantiam miram (3).

Nec minus splendide de iisdem et honorifice liber qui inscribitur: *il Giornale dei Letterati d' Italia* (4). De oratione autem ipsius *ad humanitatem* multo quam de aliis magnificentius. Ait enim non potuisse oratorem in re utiliore versari; in ea pertractanda usum esse artificio summo et elegantia, quae prorsus sua (5).

Neque enim (ut animadvertit in sua quadam epistola vir eruditus (6)) indolem solum latinae linguae

(1) Ann. 1714 pag. 563., ann. 1715 pag. 279. ann. 1722 pag. 509.

(2) Ann. 1715 pag. 279.

(3) Ann. 1725 pag. 284.

(4) Tom. XVI art. 8. pag. 387., Tom. XXIV art. 13. pag. 410.

(5) Tom. XX art. XVI pag. 448. En ejus ipsissima verba: *L'argomento non può esser più utile, e l' autore l'ha maneggiato con tutta l'arte, e scritto con tutta la pulitezza, e da par suo.*

(6) Vid. Epist. insert. T. I. *Del giornale dei letterati*, edit. Pisis ann. 1771 pag. 185.

perfecte noverat Facciolatus, sed totam etiam eruditionem et romanam antiquitatem tenebat; ut videretur non consuetudine tantum et jure romano frui, sed civis plane romanus. Certe ex recentioris notae scriptoribus dicendi laude superiorem habuit neminem, vix quemquam parem.

Vix enimvero quemquam invenies, cui, aeque ac illi, familiaris, et (ut dicam) domestica fuerit latina lingua, quae est fundamentum elocutionis. Haec illi naturalis ac prope ingenita, sponte fluens, illaborata, facilis, expedita ad sua quaelibet cogitata cum dignitate exprimenda. Planum dicendi genus et aequabile; non quaesitus numerus, sed ex se cadens; opportuna, non exaggerata eruditio; sine ostentatione doctrina, sine scurrilitate lepos, ubique denique ingenuus ille antiquitatis color.

Atque hic quidem eminet in ejus praecipue epistolis. His mirifice delectati sunt litteratissimi viri, quibuscum exercuit ille diutissime eruditae vitae commercium. Quis latinitatis candor! quam pura ac simplex dictio! quam exprimens! quam venusta! ut omnia brevi praecidit! ut ad naturam accedit in omnibus, ipsa etiam structura et collocatione verborum! Ita Tullio similis, ut sit etiam illius dissimilis. Ita ejus naturam induit, ut non amittat suam. Paucis: dicam de his epistolis, quod olim Brutus apud eumdem Ciceronem de Caesaris commentariis: *Homines a scribendo deterruit* (1).

(1) De clar. Orator. cap. XXV.

Scripsit etiam epistolas philologicas et alia quaedam latina opuscula a litteratis viris cum plausu exceptа. Tum plurimas praefationes, quae eximiam produnt auctoris manum. Nonnulla praeterea de tota vita Cardinalis Cornelii episcopi patavini annalium more exaravit, praeter orationem, quam habuit in ejus funere. Vitam quoque edidit Philippi a Turre episcopi adriensis. Hanc (1) Lipsienses academici cum compendio vitae Cardinalis Cornelii (2) retulerunt in Acta. Quae quidem bene loquendi laus magni habenda. Ut enim perfecta esset, » multis ille litteris, et » iis quidem reconditis et exquisitis, summoque stu» dio et diligentia fuerat consecutus (3)». Unde ple» na illa litteratae senectutis oratio (4) ».

Suae autem eruditionis specimen illustre exhibuit interpretatus celeberrimum diptychum quirinianum. In hoc enim exponendo Facciolatus ac Lamius secum feliciter consentientes prae aliis omnibus arrisere doctissimo Cardinali Quirino (5): licet hoc idem interpretandum suscepissent plurimi in tota Europa eruditissimi.

Emendare etiam coeperat commentarium, quod Pancirolus scripserat in Tertulliani apologeticum contra gentes. Sed non potuit ulterius progredi, coactus ip-

(1) Ann. 1717 mens. August. pag. 381.
(2) Ann. 1722 mens. August. pag. 512.
(3) Cic. de claris Orator. cap. LXXII.
(4) Ibid. cap. LXXVI.
(5) Ut patet ex ejus epist. ad Gorium pag. 11.

sum heredi, a quo id obtinuerat, restituere (1); unde illud postea emit Thomas Hobart anglus (2).

Annotationes praeterea vulgavit a se conscriptas in Tullii orationes duas, scilicet pro Quintio et Sexto Roscio Amerino, quibus breviter expedit difficilia, et clare oratoris mentem exponit. Has mutuatus est Olivetus, iisdem adscripto nomine Facciolati, quem virum vocat *inter grammaticos excellentem* (3). Mox haec adjungit: *si cunctas*, inquit, *interpretatus esset illius orationes, mihi magni muneris immunitatem dedisset* (4).

Ubi vero agitur de litteratis Italiae, et hic commendatur labor, et auctor laboris plurimum (5).

Idem illustravit annotationibus Ciceronis de officiis libros, et alia ejusdem cum iis conjuncta, oratorias quoque illius partitiones et philosophica (6); tum ejus epistolam ad Quintum fratrem *de ratione regendae provinciae*, tum Quinti Ciceronis ad Marcum fratrem *de petitione consulatus*, et hanc insuper in italam linguam vertit.

Circumfertur etiam itala versio librorum Ciceronis *de officiis*, Facciolati nepotis nomen praeportans (7).

(1) Vid. Epist. 16 et 17 Facciol.

(2) Vid. Maphejum *Osservazioni letterarie* Tom. VI pag. 349. et 435.

(3) Post explanat. argumenti orat. pro Quintio.

(4) Ibidem.

(5) Tom. XV artic. 18. pag. 457.

(6) Prodierunt haec typis Semin. patavini ann. 1753.

(7) Edit. venet. 1750 ex typogr. Albrit.

Haec vulgo Jacobo Facciolato ejus patruo aliqua saltem ex parte tribuitur. Neque enim hic latinam tantum, italam quoque linguam cum laude excoluit; ut plane constat legenti librum, quem sic inscripsit: *Il Giovane cittadino istruito nella scienza civile e nelle leggi dell' amicizia*. Quantum hic placuerit, variae ejus indicant editiones. Semel enim, iterum ac tertio excusus est in Italia; semel quidem Neapoli, bis Patavii Seminarii typis; ac tandem Cracoviae prodiit gentis ejus in linguam versus. Hunc provisori et assessoribus coloniensibus, civibus plane cultis dicavit Facciolatus, ut illis gratum se ostenderet, a quibus illius civitatis jure donatus fuerat perhonorifice.

Interim anno saeculi XVIII. vigesimo tertio, XII Cal. Majas a Seminario accersitur ad logicam profitendam in publico patavinae civitatis Gymnasio (1). Quod cum omnibus semper antea, tum illi in primis eximiae laudi. Etenim neque petens (ut scribit Papadopolus (2)), neque volens eloquentissimus vir designatus est ad tantum munus a litterariis Triumviris. Quod ille iniit publice XIII Cal. Februarias anno sequente sua illa pulcherrima ad dialecticam oratione, quam jampridem in lucem misit.

Primum conductus est ducentis florenis, anno post auctum illi extra ordinem ad trecenos stipendium est, quod tandem crevit ad septingenos. Jus quoque illi concessum est collegii medici, cum jam theologicum a prima juventute teneret.

(1) Idem Facciol. *Fasti Gymnas. pat.* P. III. pag. 305.
(2) Tom. I. c. 53.

Itaque in novo obeundo munere non vigiliis pepercit, non laboribus ad studiosae juventutis utilitatem. Hanc erudiendam curabat publicis in lyceo et privatis institutionibus domi ex magistratus imperio. Duos posteriorum analyticorum libros ex cathedra, reliquas logicae partes explicare solitus erat privata in umbra.

Sexdecim annos docendae logicae insumpsit, eamque tradidit non solum voce, sed etiam scriptis, quae postea vulgavit. In his exponit doctrinam Aristotelis puris verbis et familiari dialogo, qui modus exercendi juvenes et docendi maxime opportunus est, et vetustissimus. Sic etiam Tullius suas ad Marcum filium partitiones dedit, minutatim interrogando et respondendo.

Haec non semel edita, eorum utilitate perspecta; de quibus ita Dandinus in suo dialogo (1): » Ab hi» sce institutionibus, inquit, velim praeceptores lo» gicae non discedere latum unguem, non alio uti » ordine, non aliis aut verbis, aut sententiis. Sunt » enim et prudentia, et elegantia atque eruditione in» signes; et ad eos, qui logicae arti dant operam, » oblectandos aptissimae ».

His auctor postremo annexuit quasdam acroases a se publice habitas in lyceo, quas etiam separatim in vulgus protulit. Cum has legisset Muratorius, plurimum gratulatus esse dicitur Facciolato, quod de spi-

(1) Erminii ac Meranii dialogus, in quo Erminius ad filium suum erudiendum institutionem parat, auct. Herc. Franc. Dandino. Caesenae 1734.

nosis rebus et implicatis tam clare scripsisset ac tam concinne.

Ita suam hanc Jacobus ornabat egregie Spartam, quam diuisit sub initium anni 1740 cum eadem fuisset metaphysicae consociata. Tunc senatus decreto scribere jussus est patavini Gymnasii historiam, quam antea scripserat Papadopolus. Erat hoc sane magnae difficultatis negotium, tum quia plurima deerant monumenta, tum quia multa ex iis, quae non deerant, erant tam incerta, confusa, ambigua, ut nullam detegerent ad verum viam.

Hinc ille coepit undique, quascumque potuit, memorias legere, ex quibus duceret quae postea scriberet, ne divinando narraret. Suis ipse impensis instruxit tabularium, tum se ad exarandam historiam contulit. Non resumendum et continuandum alterius opus, sed rem ex integro reficiendam putavit, eamque expediit per quosdam veluti fastos, ab eorum regimine ductos, qui studentibus praefici solent in annos singulos.

Ac primum quidem edidit sumptu suo duodecim erudita syntagmata, unde totius historiae caperet quasi omen. His totam Gymnasii rationem, originem, instituta, leges et munera explicuit, dein fastos protulit, ubi in multis pleniora desiderantur, aliquando etiam mitiora; numquam tamen elegantia, et exprimendi quaeque facilitas et ubertas verborum; ex quo fit, ut coactus eadem vel centies dicere, mirifice dictionem variet, et eadem dicat semper quidem apte, modo vero non plane eodem.

Anno tamdem 1755 IX Cal. Sextilis missionem pe-

tens obtinuit, decreto honorificentissimo, servato stipendio toto, una cum immunitatibus et collegiorum honoribus, titulo addito professoris emeriti. Non ideo tamen destitit a labore.

Exstant enim et alia plurima ab eodem edita. Animadversiones criticae in lexicon Danetii ad usum Delphini, Viatica theologica X, Vita Jesu Christi, Mariae matris, et S. Antonii patavini latina et itala; *La sfera e geografia in compendio per le scuole dei fanciulli;* de vita et actis Christi secundum utramque generationem divinam et humanam; et alia, quorum indicem exhibeo post exitum hujus vitae.

Ex his, quae doctis omnino arriserint, pauca invenies; quorum pleraque scripsit postremis annis, ne otiosus esset, et ut aliquod levamen pareret senectuti. Ceterum qui alia ejusdem opera legerit, latinas praecipue epistolas et orationes, talem eum judicabit, qualis revera est, et qualem ipsum praedicat jamdiu fama, virum scilicet magni nominis litteratum.

Enimvero paucissimi vel in historiis occurrunt, qui in tanta, quanta ille, luce versati sint. Splendidis decoratus muneribus honorifice est habitus a litteratissimis viris, Morgagno in primis, Vallisnerio, Pontedera, Poleno, qui omnes publici patavini Gymnasii lumina.

Neque hi tantum ei plurimum detulere, sed et alii viri doctissimi, praecipue Philippus a Turre episcopus adriensis, Scipio Maphejus, Ludovicus Ant. Muratorius, Joseph Torellius, comes Camillus de Silvestris, Hieronymus Lagomarsinus; tum Angelus M. Card. Quirinus, Alexander archiepisc. et Stephanus Card. Borgia.

Immo etiam exteri, prae ceteris Fabricius, Valchius, Gesnerus, Goldbachus, Brenemannus, Bayerus litteratorum Germaniae principes. Horum alii ei obtulere et dicarunt sua (1), alii ipsius orationes edendas denuo curarunt in suis regionibus (2), alii eo usi sunt tamquam suarum controversiarum judice (3).

Hos ille sui fautores habuit, laudatores, admiratores, amicos, quos et ipse studiose diligenterque coluit. Hos sibi devinxerat non adulationis studio, cui erat omnino infensus, sed sola commendatione virtutis.

Nemo, qui alicujus nominis esset, Patavium veniebat ex remotis provinciis, quin Facciolatum prae aliis litteratis viris inviseret. Quod in tanta eorum frequentia magnum. Ad eum adibant viri praestantes cum genere, tum doctrina et dignitate; Episcopi, Praesules, Cardinales. Quin ipsi reges, summique Pontifices eum ornarunt.

Nimirum tanti nominis fama permotus rex Lusitaniae eum depoposcit a se instituti Collegii moderatorem. Remanendi veniam ut sibi daret, rogat Facciolatus, causatus ultimam senectutem. Rex instat, ac eum jubet saltem scribere, quae idonea consilio putet. Cui adeo fuere grata quae scripsit, ut idem plurimas ac pretiosas Sinensium patinas ac vascula, eas quidem mensae, haec vero delicatis potionibus inservientia dono mitti erudito viro jusserit domum usque.

(1) Ejusd. Facciol. epist. 25. et 71.
(2) Epist. 44.
(3) Epist. 73.

Omnibus his imponit quasi quamdam coronidem Benedictus XIV in epistola ad Facciolatum, praemissa operi *de Servorum Dei beatificatione et Sanctorum canonizatione*, quod rursus edendum Seminarii patavini typis magnifice idem curaverat Facciolatus. De ipsius virtute, peritia, solertia praeclare Pontifex sapientissimus. Mox haec addit: *Quae perhonorifica de te sententia ut neminem lateat, maneatque animi nostri memoria atque eximiae tuae laudis, publicum monumentum apostolicis litteris in forma brevis testari voluimus*. Magna laus est a laudato viro laudari: quanto major ornari amplissime a Pontifice laudatissimo?

Sic Jacobi nomen evasit tota Europa celeberrimum: immo etiam ultra ejusdem Europae terminos.

Postremo tempore aetatis suae Jacobus capitis gravedine laborabat, cum accepit epistolam sibi Ferraria missam a quodam societatis Jesu presbytero, qui venerat Angelopoli. Testabatur hic, nihil sibi potius fuisse, ex quo primum nactus esset quietis locum, quam ut ad ipsum virum ornatissimum scriberet. Usurpari enim cum laude ajebat Facciolati nomen etiam in novo mundo. Eum ibi appellari ab omnibus patronum ac *restauratorem* litterarum. Cui festive admodum Facciolatus (1). Erat enim illi prope natura insita brevis et arguta epistolarum concinnitas.

Fuit idem acuto ingenio atque versatili, valuit quoque memoria plurimum; utque omnia facile percipie-

(1) Epist. 9. ex iis, quae typis primum editae 1808.

bat, sic retinebat quam diutissime quae percéperat. Optime disserendi ratione instructus erat, tum eruditus graecis litteris et historia. Nota quoque habuit philosophorum systemata. In poesi non admodum excellebat, plurimum in eloquentia. In familiari sermone parum disertus, maxime vero praestans facilitate scribendi etiam difficilia et obscura. Singularem in hoc excellentiam assecutus fuerat, et excellentiae opinionem.

Hinc ejus vita prodiit Augustae Vindelicorum anno saeculi superioris septimo et quadragesimo, ut videre est in Decade VI *Pinacothecae scriptorum nostra aetate litteris illustrium*, a Jacobo Bruckero instructae. In Seminario patavino servatur tabula referens illius imaginem ab ipsomet dono accepta, vivide autem expressa a Maria Scanferla virgine probissima (1).

Quae breviter hactenus ac simpliciter dixi, commendare nobis debent illius memoriam; at illud maxime, quod tantam ingenii laudem magna cumulavit laude vitae.

Quae illius in amicos voluntas! quam benevola! quam ingenua! De his in suis epistolis honorifice. Hos ad se adeuntes humaniter excipiebat. Mittebat etiam ad eos munuscula, saepe fructus, quos legerat ex urbano domestico suo praediolo (2). Hos demereri cu-

(1) Edita ejus vita Patavii cum hoc titulo: *Memorie storiche intorno la vita di Maria Domenica Scanferla. Padova* 1766 *per li Conzatti*.

(2) De horto Jacobi Facciolati vid. Hendecasyllab. 20 Tom. X Oper. Jo. Bapt. Roberti pag. 296.

rabat honesto quovis officio, non adulationis obsequio, quae eidem etiam in aliis omnino invisa, immo vel levis illius suspicio. *In posterum* ( cuidam inquit ) *si me amabis, sic facies, ut nihil scribas, nisi ipsum per se jucundum, idest monita; non laudes* (1). Et alterum adhortatur, ut laudatoris personam deponat, seque totum ad monendum conferat. *Excute* ( ait ) *nostra omnia, argue, castiga* (2).

Pro amicis subibat incommoda, non raro et impensas. Hos dissidentes inter se conciliare studuit (3). Horum propagavit ad posteros nomen. Quae ab his acceperat beneficia, libenter commemorabat. Nihil curabat diligentius vitare, quam ingrati hominis notam.

Multum tribuebat amicis; plus tamen veritati. Hac nihil antiquius habuit. *Ego* ( sic is de Octavio Ferrario ) *memoriam ejus viri vehementer colo, plus tamen veritatem colendam puto* (4). Pro eadem tuenda subiit invidiam, acrius quandoque pugnans, *non*, ut ipse fatetur, *naturae acerbioris vitio*, sed rei necessitate compulsus (5). *Nimis longe* (inquit) *lateque sonabat tantorum interpretum fama, nec nisi clamore ingenti vincenda erat* (6).

De se vero, de suis operibus omnino demisse. Haec appellat modo litterulas (7), modo nugas : *Nu-*

(1) Epist. 56.
(2) Epist. 21.
(3) Epist. 71.
(4) Epist. 13.
(5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Epist. 23.

*gae nostrae non tanti erant* (1). Et Lagomarsino scribens, *Video* (ait) *quam procul absim ab eo fastigio, in quo me nimis benevole collocas* (2). Et alii: *Nolim suspiceris* (inquit) *me mihi tribuere aliquid, qui in hunc professorum ordinem nescio quo pacto irrepsi* (3). Quod sane in viro tantae celebritatis atque praestantiae mirum. Quamquam qui vere litterati sunt, non tument; pusilli in digitos eriguntur.

Ceterum non caruit obtrectatoribus, quibus numquam respondit, licet non semel ab iis acriter lacessitus. Erat enim ipsi prudentiae et sapientiae plurimum. Temporibus uti noverat, non discordiosus, non praeceps, peritus, quam qui maxime, rerum humanarum.

Seminario, cui aliquamdiu praefuit (4), addictus promovit ejusdem bonum. Hujus bibliothecam augendam curavit libris plurimis, optimis, rarissimis. Multos etiam e suis in eamdem contulit, thecas praeterea antiquo opere, et summo artificio. Nonnullas quoque tabulas dono dedit. Qua valebat auctoritate multos juvit, multos consilio et opera (5). In plurimos, eo curante, collata sunt honorifica munera.

(1) Epist. 70.

(2) Epist. 56.

(3) Epist. 93.

(4) Sic ille: (*Fast. Gymnas. patav.* P. III. pag. 73. ad ann. 1742) » Joannes Minottus . . . . Seminarii, quod in » ipso quoque Pontificis diplomate commendatum illi fuerat, » praecipuam cogitationem suscepit, usus opera nostra et con» silio Vicarii sui Antonii Corneani ».

(5) Facciolatum maxime in se propensum expertus est An-

*Pensionem*, ut ajunt, reservari sibi obtinuerat ex canonicatu atestino, quo se spoliaverat. Plures habuit

---

dreas Bassanus forojuliensis. Hic in Portu-Naonis natus et honeste institutus est, et primis litteris eruditus. Ad aetatis annum pervenerat sextum decimum, cum patavini Seminarii alumnis adscriptus, rhetoricae statim principia aggressus est. Amoenioribus et gravioribus disciplinis strenue percursis, Venetiam se contulit, et in eo Seminario magistri munus exercuit. Quadriennio circiter post Patavium rediit, ubi hospitio exceptus a Facciolato aliquamdiu diversatus est apud ipsum, eoque hortante *Enchiridium* ex opere Benedicti XIV. P. M. *De Sacrificio Missae* ad sacerdotum usum conflavit, et typis edidit Seminarii ann. 1747, quod editum rursus non multo post.

Hinc Venetias petens instituendos suscepit nobilissimos juvenes Maninae gentis, inter hos Ludovicum, quem postremis hisce temporibus Ducem vidimus. Aliquot annos post Bassanus concordiensi canonicatu auctus est, quem dimisit, jussus a Benedicto XIV humaniores litteras profiteri in Seminario et Collegio Montis Falisci. Ibi non solum docuit, sed et studiis praefuit, et de lingua graeca, qua valebat plurimum, latinam orationem habuit luculentam et eruditam, quam Romae ann. 1753 publici juris fecit; ut etiam alterum *Enchiridium* ex opere ejusdem Benedicti XIV. *De festis D. N. Jesu Christi, et B. Mariae virginis et de Sanctis ad Ecclesiam bononiensem pertinentibus*, typis Seminarii patavini ann. 1756 in 8, utrumque eidem Benedicto dicavit, illam inscriptione, hoc ad eumdem praemissa epistola.

Exstant nonnulla, quae ad ipsum pertinent in libellis, qui dicuntur vulgo *Raccolte*; et quaedam etiam nondum edita, quorum alia soluta numeris, alia adstricta, inter quae et graeca, apud ipsius heredes. Suae quoque inchoaverat historiam

in eum successores; inter hos Angelum Blancum, hominem sibi deditissimum, maximeque devinctum, *Quo non devinctior alter* (1). Hunc levavit parte oneris ea conditione, ut atestinos clericos litteris institueret, quoad id canonicalis officii ratio pateretur.

Quae porro illius miseratio in egenos! Videbatur haec cum illo egressa ex utero matris. In eosdem, paene dixerim, prodigus, lacrimis etiam horum prosequebatur aerumnas. Cum aliquando ex vi morbi non satis sibi constaret, ea effutiebat, quae certissimum ejus propensae in indigos voluntatis indicium. Eum sensere beneficum prae aliis omnibus Tauriliae pauperes, quibus subsidii plurimum testamento legavit.

Ad ejus religionem quod attinet, fuit ea quidem

---

patriae, sed non potuit ulterius progredi, necessariis monumentis carens.

Interim evaserat celeber, propagata per typos fama. Illustribus adscriptus Academiis, litteratissimis viris in pretio fuit, Vulpio praesertim, et Facciolato, quem et absens litteris, et praesens omni prorsus officio coluit. Virorum etiam principum studium in se convertit; prae ceteris Cardinalium Livizani et Boschii. Quin ipsi Benedicto XIV adeo se probavit, ut ab eodem oblatus illi fuerit episcopatus, cui se subtraxit Andreas non vulgari moderationis exemplo. De eodem mentionem faciunt Ephemerides litterariae (*Le Novelle della repubblica letteraria*) ad annum 1747, et Mazzuchellius Vol. II. pag. 522.

Anno saeculi elapsi nono et quinquagesimo ex hac vita migravit, moerentibus spectatissimis viris, qui eumdem funebri laudatione exornandum curarunt.

(1) Horat. l. 1. Sat. 5. vers. 43.

summa, sed a qualibet ostentatione aliena. Hanc et verbis prodidit et factis. Eximiam illam sinensem supellectilem, de qua diximus, totam contulit ad majorem divini cultus magnificentiam.

Beatum Gregorium Barbadicum venerabundus colebat, eumque in suis orationibus vocat divinum virum (1). Quidquid ab eo constitutum, ita se testatur accipere, ut divina debent (2). Ejus imaginem pingi jussit impensis suis. Ac Seminarii in templo ornavit illius altare a se instauratum, ad quod frequenter accedebat ipse oraturus.

Nec satis habuit, quae catholicae religionis sunt, exercere: eamdem promovere studuit impense vel apud eos, qui non colunt romana sacra.

In quadam sua epistola ad Joannem Fabricium, qui dixerat se esse catholicae Ecclesiae membrum, sic eum alloquitur: *Utinam ex animo dicas, tibique Deus Optimus Maximus in re hac tanti momenti praesto sit. Haec est summa rerum, dulcissime Fabrici; cetera nugae* (3). Nec uni tantum Fabricio, et aliis similia incitamenta dedit. Haec ille Henrico Brencmanno: *Vide* (inquit) *dulcissime Brencmanne, ne in tanta litterarum doctrinaeque luce id παραβλέπης, quod unum est momenti maximi* (4). Adeo ejus sensa in veritatem prona!

(1) In funebri laudatione Cardin. Cornelii.
(2) In Orat. ad S. Scripturam.
(3) Epist. 19.
(4) Epist. 57.

Ætate nondum provecta, utebatur valetudine parum prospera. Erat illi dolor capitis familiaris; afflictabatur identidem etiam febribus, ex nimia, ut fatetur ipse, in litteras contentione (1). Tum remediis opportune adhibitis, tum victus frugalitate convaluit, solitus cibum sumere semel die. Atque ita confirmatus est, ut senectute invidenda frueretur octogenarius. Non multo post in gravedinis morbum incidit. Tres totos annos cum eo luctatus cessit tamdem infirmitati naturae.

Sex postremis diebus, quibus aegrotavit, nunquam auditus conqueri. Divinae providentiae acquievit, integris plane sensibus perstans ad extremum usque. Quo decessit die, tanta constantia vultus excepit qui se invisebant, *ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare* (2). VII Cal. Septemb. anno 1769 inter vivos agere Patavii desiit, octavo et octogesimo vitae anno vergente ad exitum. Tertio ab obitu die elatus est, honestante ejus funus sacro theologorum collegio.

Illud celebratum est in templo Seminario proximo, vulgo *il Torresino*, quod suis ille beneficiis ornarat. Inter missarum solemnia laudatus est ab Aloysio Padovano tunc Seminarii magistro, deinde atestino canonico, viro integerrimo, mihique amicissimo, cui plurimus cum Facciolato usus fuerat et consuetudo. Ne mortuum quidem illum fortuna deseruit. *Hic*

(1) Epist. 40.
(2) Nepos in vita Attici num. 22.

*enim supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus* (1). A litteratis viris excepta oratio cum plausu. Eam tamen adhuc nobis invidet oratoris modestia. Corpus ibidem sepulcro conditum, quod ipse sibi, suisque struxerat. Reflorescit vero quotidie magis apud posteros ejus nomen. Sodalitas, ad quam pertinebat templum illud, grati animi ergo, inscriptionem hanc in marmore insculptam eidem vicino in pariete posuit:

IACOBO FACCIOLATO P. P.
LATINAE ELOQVENTIAE
FACILE SVI AEVI PRINCIPI
BENE DE HOC TEMPLO MERENTI
SODALITAS
P.
ANNO MDCCLXXIII.

(1) Plinius Epistolar. l. II. epist 1.

## JACOBI FACCIOLATI OPERA EDITA.

Calepinus septem linguarum, cura Jacobi Facciolati emendatus. Patavii typis Seminarii 1718, ibidem editus saepe postea, plurimis correctionibus et additamentis in fol.

Ortografia italiana. Ivi 1718, edita saepius postea cum multis additionibus in 4.

Exercitationes in duas priores Ciceronis orationes. Ibid. 1723, rursus editae ann. 1731 in 8. cum epistola M. Tullii ad Q. Fratrem *De ratione regendae provinciae*, adjecta versione italica.

Oratio ad dialecticam publice habita, ac statim edita ibidem 1724 in 8.

Acroases VI de sophismatis Veterum. Ibidem 1726 in 8.

Rudimenta logicae ad usum privatae scholae. Venetiis apud Jo. Bapt. Albritium 1728 in 8.

Institutiones logicae ad usum privatae scholae. Ibid. 1729 in 8.

Epistolae philologicae, vita Philippi a Turre, compendium vitae Cardinalis Cornelii, et alia ad dicendi artem pertinentia. Patav. typis Semin. 1729, postea rursus edita iisdem typis in 8.

Epistola Q. Ciceronis ad M. Fratrem *De petitione consulatus*, cum annotationibus et itala interpretatione. Ibidem 1732 in 8.

Nizolii apparatus linguae latinae, crebris locis refectus et auctus ex formulis elegantioribus Doleti. Ibidem 1734 in fol.

Il Giovane cittadino istrutto nella scienza civile. Padova nella Stamperia del Seminario 1740 in 8. Eodem anno liber hic editus est Neapoli, post Cracoviae anno 1752 Polonorum in linguam versus.

Monita Isocratea graeco-latina. Patavii typis Seminarii

1742, saepius ibidem postea edita, et Venetiis cum itala versione alius auctoris in 8.

Cicero de officiis cum novis commentariis, Venetiis apud Jo. Bapt. Albritium 1747 in 8.

Plures Acroases separatim antea editae, dein simul conjunctae, Venetiis typis Albritii 1750, una cum logicis institutionibus tertio editis in 8.

Epistola ad Benedictum XIV praemissa operi *De Servorum Dei beatificatione et sanctorum canonizatione*, Patavii typis Seminarii 1752.

Syntagmata XII de patavino Gymnasio, Patavii ibid. 1752 in 8.

Fasti Gymnasii patavini, insertis duabus orationibus. Ibidem 1757 in 4.

Animadversiones criticae in lexicon Danetii ad usum Delphini. Iisdem typis ann. 1759 in 8.

M. Tullii Ciceronis vita litteraria. Ibid. 1760 in 8.

La Sfera e la Geografia in compendio per le scuole dei fanciulli, Padova nella Stamperia del Seminario 1761 in 12.

De vita et actis Christi secundum utramque generationem, divinam et humanam. Patavii typis Seminarii 1762 in 12.

Viatica theologica X. Ibidem 1763. Nonnulla ex his prodierunt separatim ex iisdem typis, Illud vero quod inscribitur *De Messia et Hebraeorum religione* rursus editum est Lucae cum itala interpretatione ibidem contexta in 8.

Epistolae latinae 160. Patavii typis Seminarii 1765 in 8., quarum novem postremae separatim prodierunt ex iisdem typis 1808, cum emendationib. editarum,

Vita Jesu Christi, Mariae matris et S. Antonii patavini latino et italo sermone exposita, Ibidem 1766 in 12.

Latinae orationes non semel editae prodierunt ann. 1767 numero viginti septem, typis Seminarii patavini in 8.

Dissertazione sopra l'origine della storia. Ivi nella stamperia del Seminario 1808. in 8.

Exstant et alia quaedam, edita vel inter litterarias ephemeridas, vel alibi passim.

## QUÆ SUPERSUNT NONDUM EDITA EX EJUSDEM OPERIBUS.

Praefationes, orationes breves et alia, quorum pleraque aliorum nomine fuerunt edita.

Dissertazione intorno al patriarcato di Aquileja.

Breve relazione del Quesnellismo e della bolla *Unigenitus*.

L'aggiunta fatta all'istoria della costituzione *Unigenitus* del Laffiteau, tradotta in italiano, e stampata in Seminario nell'anno 1757, fu da lui estratta dalla suddetta sua relazione.

Multa alia opuscula tum latina, tum itala, partim soluta numeris, partim nexa.

Vita di Jacopo Facciolati, quam vel ipse scripsit, vel saltem approbavit.

Haec omnia in Seminarii patavini bibliotheca servantur.

# VITA

# SEBASTIANI FRANZONI

In agro vicetino, qua is ad septemtrionem extenditur, non longe a montibus vicus est, quem Thienem dicunt, locus in ea vicinitate pulcherrimus. Ibi ann. 1687, postridie Nonas Februarias ex antiqua pariter et honesta familia natus est Sebastianus Franzonus, de quo scribere in praesentia aggredior.

Exacta inter domesticos pueritia, anno 1699 XII Cal. Novemb. in Seminarium patavinum exceptus, ad prima grammaticae rudimenta incubuit. Jam tum magistris injecit ille expectationem sui, eamque auxit semper postea. Aliis praeire, loco eminere, praemium referre visus est. Quaque erat abundantia ingenii, celeriter tum politiores tum severiores disciplinas arripuit, ea praeterea felicitate, ut videretur ad omnia factus unanimi praeceptorum consensu. Quos inter virum clarissimum Jacobum Jacobettum publici post patavini Gymnasii professorem fuisse constat ex epistola, quam de ipsius vita ac studiis ad amicum Franzonus scripsit, et cum suis orationibus jamdiu edidit.

Anno interim saeculi XVIII vertente nono, confecto studiorum cursu, nondum tamen sacerdotio initiatus,

Seminarii hujus eligitur in magistrum a Cardinali Cornelio tunc episcopo patavino. Ac statim coepit traditos sibi alumnos ad humanitatem instituere. Gradatim postea ad rhetoricam evectus est, et Academiam (1), quam qui profitetur, non prorsus latet intra privatos Seminarii parietes, sed aliqua in urbis luce versatur.

Et hanc quidem publicam lucem subiit VIII Calendas Junias ann. 1716 (2), cum eruditorum virorum

(1) Vide annotationem (1) pag. 116.

(2) Hoc eodem tempore floruit non exiguum Seminarii patavini decus Andreas Brigentius. Novem annos in eodem altus et educatus, post concreditos sibi alumnos aliquamdiu ad litterarum humanitatem instituit, maxime vero exercuit in re poetica, qua excellens ipse inter academicos Recuperatos eminuit. E Seminario discessit electus ad regimen animarum; quo abdicato Romam se contulit anno 1713 a Card. Cornelio episcopo patavino missus, ut docendi provinciam Burghesia in domo susciperet.

Ac ne fastidiret scholarum taedia qui sibi erat instituendus generosae indolis adolescens, opportunum consilium cepit. Nimirum versibus Burghesiae villae magnificentiam explicuit, eidemque spectandam obtulit, ut rei novitate et suavitate illectus, praeclara veterum facta, et poetarum commenta, quae ad auctorum intelligentiam et aureae antiquitatis notitiam pertinent, quasi non sentiens disceret. Quatuor in libros tribuit hoc poema, in quo carminum dignitas ac splendor argumenti dignitati respondet. Ubique se prodit ingenium facile, elegans, eruditum, solersque judicium.

Satis habebat auctor ita se nobilissimo juveni consuluisse, quin opus praelo committeret. Cunctantem ipsum, quasique

corona cinctus ejusdem Seminarii in templo orationem habuit solertem et gravem in funere Francisci Doleonii canonici patavini, vicarii generalis Card. illius Cornelii, quem modo nominavimus. Tum primum publice ostendit, quantum dicendi arte valeret, quam corroboravit progressu temporis assidua exercitatione ac studio.

Accidit septennio post, ut Jacobus Facciolatus latinae eloquentiae instaurator a Seminario discederet, logicam professurus in patavinae urbis Archigymna-

---

verecundantem vir maximae auctoritatis, ut idem testatur, impulit ad edendum. Editum Romae prodiit anno 1716, eidem Card. Cornelio auctoris Maecenati dicatum. Quantum illud litteratis viris arriserit, non temere quisque conjiciet ex elogio, quod se offert accedentibus ad poema.

Sunt et alia insuper ejus carmina typis edita. Non minus praeterea valuit in arte oratoria, ut ostendit oratio ad arbensem episcopum, cum primum episcopatum iniret. Ea enim ipsi tribuitur, licet non praeferat ejus nomen. Enimvero ad legendum allicit eloquentia libere ac sponte fluens, integra, naturalis, sincera.

Quae illius orationis, eadem et vitae laus. Erat ille siquidem candidis plane moribus, et mente ingenua. Praedicabat quae acceperat beneficia, ab ingrati animi vitio abhorrens. Litteratus ipse numquam studuit litterati hominis famam quaerere, ac se spectabilem reddere, ab omni ostentatione remotus. Splendida in domo ac paene regia, in pulcherrimo totius Italiae theatro, sibi vixit, minimum sibi tribuens, ac religioni prorsus addictus. Agnae natus ann. 1681, Venetiis obiit anno piaculari, XVIII saeculi quinquagesimo.

sio. Id temporis Sebastianus Academicorum Seminariensium institutioni operam dabat. Quae quidem provincia cum ad praefecti studiorum munus quam proxime accedat rerum pertractandarum similitudine, propterea is jussus fuit eo anno studiis ex instituto proludere.

Quare orationem habuit ann. 1723, emin. atque reverendiss. Jo. Francisco Card. Barbadico in episcopum patavinum electo, eique adhuc absenti orationis ejusdem editae nonnulla obtulit exemplaria, certissimum quasi pignus suae in illum venerationis et observantiae. Cui benignissime Cardinalis, litteris ad eum missis III Non. Junias ejusdem anni, singularis erga illum et Seminarium sui amoris testibus; ipsumque studiis praefecit, quem maxime ad id idoneum perspicue noverat.

Anno itaque 1725 IV Id. Mart. ejusd. eminentissimi Cardinalis praesentia ornatus publice ex officio dixit, strenue prosecutus usque ad annum nonum ac vigesimum saeculi XVIII, quod inchoaverat antea munus. Seorsum singulas orationes singulis deinceps annis protulit ac publici juris fecit. Quas postea simul collectas, et uno volumine comprehensas vulgavit typis Joannis Baptistae Conzatti ann. 1737 cum duabus aliis, quarum unam, ut diximus, recitaverat in funere Francisci Doleonii; altera parentaverat Joanni Francisco Card. Barbadico episcopo patavino in aede cathedrali III Cal. Februarias ann. 1730.

In his, ut apparet, suum ille expressit ingenium, liberum, virile, ingenuum. Stilus aliquando nonnihil ex quorumdam sententia turget; ut plurimum vero e-

minet acre exquisitumque judicium. Facunda oratio, erudita, ornata, plena roboris nervorumque.

Lipsiam delatae orationes, academicorum illorum accuratam subiere censuram anno 1741. Easdem appellant *eximium eruditionis atque facundiae monumentum*. Ajunt ipsas *insignem elegantioris litteraturae cognitionem prodere*, ac licet *in singulis partibus ad aureum illud latinitatis saeculum non accedant, eidem tamen videri proximas;* earumque auctorem *clarissimum et eloquentissimum* dicunt (1). Haec generatim de omnibus. Tum singulas expendentes, aliquantulum perstringunt orationis secundae argumentum, quod est hujusmodi: » Omnis eloquentiae laus, » et ingenii admiratio, non in latine et plane, sed in » ornate dicendo posita est ». *Haec propositio* ( subjiciunt ipsi ) *qualis hic est, dubitamus, an ab omnibus probetur. Possunt enim omnino ornatissimis verbis maximae nugae proponi* (2). Sic illi.

Verum ( dicam bona tantorum virorum venia ) ea videntur ipsi dividere, quae sejuncta esse non possunt. Quae enim tamdem sunt haec verba *ornatissima*, quae exprimant, et contineant nugas? Haec ab Horatio (3) appellantur *canorae nugae*, non ornatae. Latissime porro pertinet τὸ *ornate*, quod proprium est oratoris. Tullius optime definit ejusdem vim. *Quem homines* ( sic ille interrogat ) *stupefacti dicentem intuentur?*

(1) Nova acta eruditorum, ann. 1741 pag. 478.
(2) Ibidem.
(3) De arte poet. v. 322.

*Qui distincte*, inquit, *qui explicate*, *qui abundanter*, *qui illuminate et rebus et verbis dicunt*, *et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt*, *id est*, *quod dico*, *ornate* (1).

Videamus nunc quid de his alii senserint eruditi. Vir doctissimus, ubi agitur de litteratis Italiae (2), orationis hujus secundae mentionem faciens scribit, in hoc argumento versatum esse Franzonum scite.

Sagacissimus Muratorius, cui quotannis mittebat singulas orationes suas Sebastianus, de iisdem magnifice. Non ad assentationem et gratiam (erat enim alienum id quam maxime ab indole Muratorii), sed ex animo plane ingenuo, ut ex ejus ipsius epistolis clare constat Franzono missis, et ab heredibus diligenter servatis.

Illud etiam aliquando me audisse memini, Jacobum Stellinum, eximiae intelligentiae professorem, cum has orationes legisset, admiratum esse valde Franzoni ingenium, quod res non prorsus uberes explicuisset uberrime. Orationes hae ubique exceptae cum approbatione et plausu vel ultra Italiam, in nobilissimis etiam Europae provinciis, Germania praecipue et Anglia. Litterariae quoque ephemerides in earum laudes effusae.

Alias praeterea latinas et italas orationes scripsit, quarum partim editae sunt, partim latent expertes ad-

(1) Lib. 3. de orat. c. 14.

(2) Giornale dei Letterati d'Italia Tom. XXXVII pag. 385.

huc lucis publicae. Singularum argumenta absoluta hujusmodi narratione subjiciam, et indicabo quae scripserit idem poetice. Silentio tamen praeterire non possum ejus orationem ad Angelum Contarenum divi Marci procuratorem. Hanc edidit cl. Caspar Gozzius anno 1754, eique latina praemissa epistola ad Julium procuratoris fratrem, sic eum alloquitur: *Franzonus quidem sibi potest polliceri gratam tibi futuram orationem suam, quippe quae prodeat e peritissimi artificis officina; tantaque sententiarum gravitate, verborum elegantia sit ornata, ut aureo latinae linguae saeculo scripta esse videatur.* Sed ad intermissam historiam redeo.

Exegerat ille annos duos circiter ac viginti, qua in erudiendis Seminarii alumnis, qua in regendis illorum studiis, cum derepente anno 1731 discessit e Seminario, non sine aliqua Seminarii ejusdem jactura. Tum praecipue visum est, quanta ille existimatione frueretur. Videbantur omnes secum quodammodo in illo ornando certare.

Joannes archiepiscopus Minotto Othobonus episcopus patavinus eum designavit ad archipresbyteratum thienensem. Cui Franzonus plurimas gratias egit, testatus se ad id divinitus non impelli. Hoc idem et antea responderat, cum designatus fuisset ad regimen archipresbyteralis ecclesiae S. Mariae de Bregantiis, licet ampli sint ejus reditus et opimi.

Recusavit etiam publicum scholae munus Patavii in urbe ab electoribus sibi exhibitum, illud ab iis precatus, ut Paulum Ceratum olim Seminarii patavini alumnum eligerent loco sui. Erat hic Franzoni

munificus, politioris litteraturae studiosus, praesertim latinitatis. Cessit res ex voto.

Idem saepe expetitus ad splendidas publici hujus Gymnasii cathedras, numquam se moveri passus est. Semper modeste sese continuit vir propositi prorsus tenax.

Dicam rem paucis fortasse notam, sed veram. Obierat Jacobettus, qui ethicam aliquot annos publice cum laude tradiderat in publico patavino Gymnasio. Eques Jo. Maurocenus per epistolam III Non. Junias ann. 1737 ad illum missam, eidem, paene dixerim, obtulit tam illustre munus ac nobile. Abnuit semper sui similis Sebastianus.

Tentata fuit aliquando etiam ab exteris illius modestia. Parmensis, taurinensis, et aliae celeberrimae Academiae desiderio ipsius tenebantur. Maluit ipse privata in umbra, quam in tanta luce versari. Erat ejus animo infixum illud, *praelustria vita* (1): neque hoc laboris vitandi gratia. Tranquillam vitam traducere studuit, non otiosam.

Atque hanc ob causam, ubi Seminarium reliquit, in eadem urbe collegium ad juventutis institutionem erexit, quod a suo nomine *Franzonium* dixit, eique praefuit annos triginta circiter. Floruit in primis ipsum cum copia juvenum, tum praestantia. Erant enim hi ex nobilissimis maximeque illustribus familiis. Docebantur ibi non solum litteras, sed etiam scientias; easque praeterea artes, quae adolescentes nobi-

(1) Ovid. Tristium lib. 3. eleg. 4. v. 5.

les decent. Publicae quoque habebantur Academiae, quas lectissimi ac litteratissimi viri ornabant, aliquando etiam civitatis praetores.

Nec una tantum domestica praefectura eum exercebat, et scholae quotidianus assiduus labor. Alia insuper, ut antea diximus, aliunde accedebant. Multiplici distinebatur multiplex ejus ingenium cura.

Interim vertebat annus elapsi saeculi sexagesimus, eum collegii curam pertaesus eamdem dimittere cogitabat. Ut eum removeret ab hoc consilio, nihil intentatum reliquit Jo. Antonius Brontura vir institnendae juventutis experientissimus (1), quem sibi in societatem laboris adsciverat Sebastianus. Suasit, oravit, institit. Magna enim erat hominum de illo opinio. Is se detineri paulisper passus, paulo post ex collegio recessit in domum, quam Patavii sibi conduxerat, ubi triennium circiter privatus mansit. Ibi nonnullos honesto genere adolescentes privatim instituit; hos inter quosdam etiam patricios venetos.

Vicetiam postea se contulit, ibique usus est simili vitae instituto. Ac licet aetate valde provectus esset, fruebatur tamen admodum prospera valetudine. Animus experrectus ac promptus, corpus vegetum, neque longa exercitatione ingravescens, vires athleticae, integri plane sensus usque ad ultimum vitae tempus.

(1) Is Franzonum, ne discederet, levandum curavit scholae onere. Tradebat enim rhetoricam collegii alumnis. Hoc munus suscepit Petrus Zonca, vir spectabilis animi dotibus et ingenii, olim Seminarii patavini et ipse alumnus, qui obiit Non. Sept. anno 1802, aetatis suae 74.

Attamen vir clarissimus satius duxit se recipere in patriam, et reliquos sibi annos cum suis transigere. Sic domus, quae prima infantiae fuerat, eadem esse coepit familiarissima senectuti. Factum id ann. 1764. Non exiguos ille hic reditus percipiebat ex quodam simplici et ecclesiastico, ut ajunt, *beneficio*, quod in eum contulerat eminentiss. Card. Georgius Cornelius episc. patav. pridie Idus Octobris ann. 1713. Quae antea fuerat, eadem etiam postremis annis erat ejus exercitatio. Legendo, scribendo, alios in bonis artibus erudiendo vitam traduxit. Erant enim ipsi adhuc, ut olim seni Catoni, latera.

Magnum itaque ex ejus industria coepit institutionis fructum thienaea, et finitimarum quoque gentium juventus, unde plurimus ad eum concursus. Plures ex ejus ludo profecti sunt, qui postea illustres. Hos inter eminet, qui vitae illius monumenta diligenter collecta fideliter ad me misit, Franciscus Horatius Bussolus. Is tanti magistri exemplo, quam ab eodem amplam dicendi hausit facultatem, Natali postea Lastesio duce auctam et expolitam, in alios ipse publico suorum municipum jussu praeclare impendit.

In his detinuit me diutius litterati viri longaevitas; Sed ne breves transgrediar terminos commentarii, pauca nunc de moribus.

Erat singularis illius abstinentia, consuetudo jucunda, comis humanitas, urbani joci ac liberales. His utebatur cum suis aequalibus et amicis. Se demittebat etiam ad inferiores. Sermo plurimus de patavino Seminario. De se, de rebus suis modeste sentiebat, alienus ab omni ostentatione ac fuco, ut in oratione;

sic etiam in vita. Simulationem quamlibet et ipse aversabatur, nec in aliis pati poterat.

Avaritiam autem oderat, quam qui maxime; largus in omnes ac liberalis, in pauperes vero effusus, pro suis facultatibus, ac paene prodigus, eo usque, ut in eos erogaverit saepius omnia, ipse indiguerit. Futuri omnino securus in diem vivebat. Sua sorte contentus semper abfuit ab honorum cupiditate. Hos numquam petiit, oblatos respuit.

Alienae fautor industriae dictitare solitus erat, litteratum hominem suam cuique laudem tribuere, laetari etiam alterius gloria; litteras rempublicam constituere; hujus membra omnia opus esse, ut simul in unum mutuo quasi quodam concentu coeant.

Illud vero mirum. Fuit ille in dissimili vitae genere semper idem: studiorum praefectus, moderator collegii, puerorum praeceptor, in urbe, domi, privatus, cunctis vitae officiis aequabilis. Vere philosophus, plane constans in omnibus vicibus: minime affici videbatur humanis rebus; easdem, ut infra se, despiciebat.

Numquam omnino vacabat, vel ultima senectute. Vespertinae deambulationis loco pro janua sedebat in publico, vel cum Flacco, vel cum Terentio, aut alio quopiam probae et antiquae notae poeta, vel oratore, transeuntibus festive impertiens salutationis officia.

Restat, ut de illius pietate ac religione commemorem, quae quidem erat eximia, praecipue in B. Gregorium Barbadicum, quem peculiari amore prosequebatur. In ejus laudes prae gaudio gestiens excurrit in sua quadam oratione, quam publice habuit ann. 1725,

quo, decreto almae Curiae romanae, erutum sepulcro est cadaver beatissimi viri, repositumque loco digniore. Felicitatem tantam gratulatus est Joanni Francisco Card. Barbadico episcopo patavino, fratris B. Gregorii filio, qui litterarium coetum ornabat, ut antea vidimus.

De eodem beato viro frequenter postea solebat pio animi sensu loqui; vitam ipsi referebat acceptam in summo discrimine. Non longe ab urbe Patavii gravissimus olim morbus necopinantem oppresserat paene ad interitum. Somnus ab eo recesserat, cum jacenti repente obrepsit. Excutitur post horas plures, et adstantibus subridens ait: » B. Gregorius mihi pristi» nam incolumitatem restituit », Rem probavit eventus. Eodem fere momento temporis praeter exspectationem convaluit. Qui aderant, facti testes. Quodque animadversione dignum, is aegrotavit numquam postea, licet jam tum senex esset (1), et annum tertium ac nonagesimum post impleverit.

Hinc ejus pietas in B. virum magis in dies accensa. Eidem barbadica gens tabulam dono dederat egregie referentem ejusdem B. Gregorii formam. Hanc ille Patavii servabat in sua zotheca cum aliis tabulis exprimentibus illos viros, qui rite fuerant illius sanctitatem jurejurando testati; et abiens secum in patriam transtulit. Ad hanc crebra utebatur prece; hanc religiose observabat. Ad hanc infirmos agebat et pueros, quos dimittebat crucis signo, ad eamdem cum

(1) Agebat annum unum et sexagesimum.

brevi orasset. Hanc tamdem exponi quondam publice in templo jussit lemniscatam, accensis ad ipsam cereis XIV Cal. Julias, die B. Gregorio sacra.

Habuit plures fratres, in his Cajetanum in patavino Seminario institutum, magna de se pollicitum vel ex primordiis, ejusdem propterea Seminarii beneficentiam expertum Cardinalis Cornelii episcopi patavini jussu.

Fuit hic maximo praesidio fratri, qui collegium instituerat, in administratione praecipue rei familiaris: Valebat enim ipse plurimum cum ceteris bonis artibus, tum etiam τῇ οἰκονομίᾳ, qua non admodum (ut plerique litteratorum) valebat Sebastianus, qui Cajetani immatura morte praerepti sepulcrum (1) hoc titulo ornavit:

CAIETANO FRANZONO PRESBYTERO
IN MEDIO AETATIS ET DOCENDI CVRSV
PRAEREPTO
SEBASTIANVS FRANZONVS
FRATER MOESTISSIMVS
COLLEGII NOBILIVM MODERATOR
P.
ANN. DOMINI MDCCXXXVIII.

Qui diutissime vixerat, perculsus ἀποπληξίᾳ obiit quam celerrime, III scilicet Cal. Aprilis ann. 1779,

(1) Exst. hoc Patavii in ecclesia Fratrum discalceatorum,

munitus tamen omnibus Ecclesiae praesidiis. Elatus non sine aliqua pompa funeris, sepultus est in sacello SS. Rosarii in monumento familiae suae. Inerat illi non plus ingenii, quam roboris. Erat pleniore corporis habitu, gravi adspectu et vocis tono, statura mediocri, rufo colore, mente lucida, animo maximo usque ad extremam diem. Quae hactenus, et christianae et litterariae reipublicae Franzoni nomen commendant.

## SEBASTIANI FRANZONI OPERA

Orationes sex publice habitae in Seminario patavino in studiorum ejusdem Seminarii instauratione. Patavii typis Jo. Baptistae Conzatti 1737 in 8., quibus accedunt duae aliae orationes, una

In funere Jo. Francisci Card. Barbadici episcopi patavini; altera

In funere Francisci Doleonii canonici patavini, vicarii generalis Georgii Card. Cornelii.

Tum epistola ad amicum de vita et studiis Jacobi Jacobetti,

Oratio in funere reverendissimi P. magistri Josephi Mariae Bonagentis ministri gen. tert. Ord. S. Francisci, habita Patavii in templo S. Mariae Angelorum, ann. 1743 edita.

Oratio ad Hermolaum Barbarum D. Marci procuratorem electum, ann. 1750 edita.

Oratio ad Angelum Contarenum D. Marci procuratorem electum, ann. 1754 edita.

Oratio itala in funere Francisci Lucardae rect. eccl. Monial. S. Silvestri Vicetiae, habita in ejus templo, ann. 1764 edita.

Oratio latina ad Jo. Columbum equ. ac magnum venetae reip. cancellarium, anno 1765 edita.

Oratio itala in funere Ægidii Rodulphi thienensis archipresbyt. habita anno 1773, nondum edita.

Exstant et aliae nonnullae orationes sacrae, plures academicae exercitationes, epigrammata multa latina et itala, quae numquam adhuc prodiere.

# VITA
# JOSEPHI PASINI

Patavii ex honestis parentibus ortum habuit ann. 1687 XV Cal. Novemb. Josephus Pasinus, vir in primis litteratus. Undecim annos natus describitur in alumnos Seminarii hujus, et primis grammaticorum praeceptionibus eruditur. Is cum valeret memoria plurimum et ingenio, ac sedulo utrumque excoleret, suos praeceptores in certissimam optimi exitus spem erexit. Quare unanimes testantur ipsum ad omnia factum, ad orientales praecipue linguas: harum ille exercitationem cum gravioribus disciplinis conjunxit.

Amoenioribus litteris expolitus philosophiam audivit a Jacobo Facciolato (1), viro celebratissimo: biennium theologicis sese addixit, et ann. 1708 Nonis Augusti publicam de iisdem disputationem aggressus feliciter admodum eam sustinuit, ab eminentissimo propterea Cardinali Cornelio episcopo patavino, qui eidem praeerat, praemio ornatus. Tum sui periculum fecit in sacro patavino theologorum collegio, et in eo-

(1) Jac. Facciolati Epistolae latinae, ep. 45.

rum coetum admissus ab eodem Cardinali inter magistros Seminarii hujus excipitur.

Brevi evoluto spatio, ab humanioribus litteris ad recondita orientalium linguarum studia transfertur; ut qua in palaestra ipse jamdiu sese exercuerat, in eadem et alios docendo exerceat. Quanta Pasinus jam tum ejusmodi rerum cognitione excelleret, demonstrabit aperte, quod mox dicam. Litterariae ephemerides (1) italorum scriptorum opera referentes, multa cum laude memorant librum, quem Josephus per eos dies Seminarii patavini typis ediderat (2). Ajunt ipsum solida eruditione refertum, hebraicae linguae necessitatem et excellentiam omnino ostendere. Quae continentur in eo quaestiones, Joseph in magna eruditorum corona defendit.

Stabant contra linguae hujus scientissimi viri duo, hinc P. Bertolius, illinc P. Aloysius Benetellus, olim ejusdem linguae, B. Gregorii Barbadici jussu, in Seminario professor, eruditis monumentis clarus. Venetiis Patavium fuerat uterque accitus a Cardinali Cornelio ad majorem, ut mos ferebat, disputationis celebritatem. Disserebat uterque hebraice tanto majore cum plausu, quanto magis id aberat a consuetudine. Quodque animadversione dignum, ipse etiam di-

(1) Giorn. dei Letter. d'Italia, ann. 1716, Tom. XXVI pag. 466.

(2) Libri titulus est hujusmodi: *De praecipuis SS. Bibliorum linguis et versionibus polemica dissertatio; cui accedunt quaestiones aliquot ex ipsarum linguarum interpretatione ortae.*

scipulus propugnator visus est optime in ejusdem linguae exercitatione versari. Fuit hic Antonius Oprandus, qui postea archipresbyteri dignitate auctus decessit pluribus abhinc annis.

Pasinus interim atestinum canonicatum obtinuit, quem cum alio postea sacerdotio cathedralis ecclesiae patavinae, annuente episcopo, commutavit. Magno ille in honore est habitus a viris litteratis etiam primi ordinis et subsellii. In ephemeridum rei litterariae libris passim de Pasino perhonorifice (1); et Facciolatus in suis latinis epistolis ad litteratissimos viros; quorum aliis mittit ejusdem opera (2), aliis ipsum quasi ducem ad orientalia studia proponit (3). Hinc exteras quoque regiones Pasini fama pervasit.

Anno itaque 1720 Taurinum accitus honorificentissimo sardi regis decreto, splendidoque stipendio (4), sacram Scripturam et linguas ad eam pertinentes professus est in publica illa regiae civitatis Academia. Latinam quoque orationem habuit primo ingressu de necessitate linguarum orientalium, praecipue hebraicae, ad plenam S. Scripturae intelligentiam, quae eruditorum virorum judicio proxime ad eam accedit quam ad S. Scripturam idem habuerat Facciolatus cum

(1) Giornale dei Letterati d'Italia T. XXVI pag. 466.; Tom. XXXIV art. 12. pag. 456. 458.; Tom. XXXV art. XI. pag. 273.

(2) Epist. 45. ad Jo. Fabricium.

(3) Epist. 68. ad Theophil. Sigefrid. Bayerum.

(4) Lire piemontensi 2300.

Seminarii patavini studiis proluderet (1). Eamdem habitam jussu regis Victorii Amadei II, per typos ejusdem Seminarii publici juris fecit ann. 1721, eique dicavit una cum institutione grammatica linguae sanctae non semel edita. Per haec puerorum ingenia ducit ad cognitionem ejusdem linguae celeri quasi quodam facilique compendio, omissis Rabbinorum cavillationibus, et iis, quibus praepostere et impie abutuntur haeretici, ut suis S. Scripturae versionibus faveant (2).

Anno proxime sequente 1722 decem protulit dissertationes in Pentateuchum, quibus lectiores quaestiones continentur. In his eleganter exponuntur omnia, et ornantur eruditione pulcherrima. Solidam iisdem et eloquentem praemittit orationem *De studio inquirendae veritatis in sacrorum Bibliorum interpretatione* (3).

Hinc conversus Joseph ad promovenda puerorum studia, quae retardari plerumque solent, eo quod opportunis subsidiis careant. Quare coepit instruere Lexicum, quod complectitur itali latinique sermonis vocabula ex aureis et optimis scriptoribus collecta. Tum elegantes utriusque modos commonstrat allato exemplo; unde perspicue apparet utriusque linguae proprietas, vis et ingenium; et alia praeterea adjecit ad studiosae juventutis utilitatem. Socium hujus laboris habuit Josephum Badiam doctissimum professorem in regio taurinensi Archigymnasio.

(1) Giornale dei Letterati d'Italia Tom. XXXIV art. 12. pag. 458.

(2) Ibidem loc. cit. pag. 457. 458.

(3) Ibidem Tom. XXXV art. 11. pag. 275.

Opus biennio absolutum est. *Saxum*, inquit, *per biennium evolvimus infando labore* (1). Quod admiratione non caret. Scio equidem quaeri solere, non quam cito quis scripserit, sed quam bene: ei tamen qui recte scripserit, laudi ipsa etiam scribendi celeritas verti debet, praesertim in hoc studiorum genere, in quo oportet multa colligere et ordinate componere, interpretari, expendere, definire. Post biennium tamen, uti diximus, opus prodiit, anno scilicet 1731, Carolo Emmanueli Sardiniae regi dicatum, et rursus ibidem post, amplificatum et auctum, tanto consensu et approbatione, ut editum etiam alibi saepius fuerit.

Dicam nunc de codicibus mss. regii taurinensis athenaei bibliothecae, cui idem Pasinus praeerat. Hos duobus magnis voluminibus comprehensos diligenter recensuit, et eruditis animadversionibus illustravit; unde bibliothecae ipsi splendoris ingens et existimationis accessio. Non per classes distribuit codices, sed per linguas, ne ordinem inverteret a suis decessoribus constitutum. Hebraici et graeci primo; latini, itali, et gallici altero continentur volumine; quibus inseruit selecta quaedam opuscula, quae fuerant nondum edita.

Vix dici potest, quam gratum fuerit regi susceptum ab eo consilium vulgandi hos codices. Ubi hoc intellexit ille, statim de ratione suscipiendi operis curiosius inquirere; mox percunctari, quando tandem ad exitum perduci posset inceptum. Sic eum excitabat, solitus dicere, agi in hoc de re sua. Pasinus omnia periclitari, cupiens rem optimi regis ex voto cedere,

(1) In praefat. ad idem Lexicum.

Non parum certe reconditae eruditionis in his occurrit legentibus et critices. Neque enim Joseph (ut ipse fatetur in praefatione) cujusque codicis tantum aetatem tradit, sed etiam ornamenta, picturas, icones, characteris elegantiam et varietatem, et alia plurima. Singula excussit, et accurate perlegit; vel minima summa fide et diligentia descripsit; supposita a genuinis secrevit; alia inter dubia recensuit, suis auctoribus alia asseruit; corrupta emendavit, foedata restituit, redegit in ordinem male nexa. Paucis: in hoc non pepercit operae, non labori. *Telam*, inquit, *teximus et retexímus, quasi instar Penelopes, donec tamdem confecimus, facem tamen ubique praeferentibus viris antiquitatis studiosis* (1). Ad rem perficiendam fuerunt illi adjutores duo, Antonius Rivautella et Franciscus Berta viri doctissimi, et ejusdem bibliothecae regiae custodes.

Ut autem Joseph pietati suae satisfaceret, eamque accenderet et in aliis, historiam novi Testamenti dedit ad usum hominis christiani, quibusdam animadversionibus instructam, quarum aliae historicae, aliae pertinent ad mores. Haec, cum primum prodiit, non praeferebat auctoris nomen; magnam tamen ab eruditis iniit gratiam. Additum postea nomen. Tum vero litterariae ephemerides Venetiis editae ann. 1751 in ejus laudes excurrere, ex eo praecipue, quod quae praecipiuntur in Evangelio, illustraverit praeclarissimis divini Magistri et Apostolorum exemplis; idque

(1) In praefat. ad codices.

appellare optimum quasi quoddam integerrimae moralis disciplinae compendium (1). Neque solum venetae, sed etiam aliae ephemerides referentes acta litteratorum, nobiliter de Pasino (2).

Enimvero ipsi gloriosum fuit a sapientissimo rege Taurinum vocari et promoveri ad amplissimam cathedram: sed multo gloriosius loci dignitatem tueri, et se spectabilem reddere in tanta doctorum virorum luce. Notum illud: *Minuit praesentia famam;* ille contra cum eo venisset, eamdem auxit in dies, et ampliorem reddidit.

Tum rex sibi plaudere, quod eum elegisset, et suum in eligendo judicium experientia comprobasset. At non illi tantum, verum et illius successori Carolo Emmanueli fuit acceptissimus Joseph (3). Neque hinc suam erga illum humanissimam voluntatem celabat, sed praeferebat aperte, aperte eamdem significabat, non solum verbis (quorum multi liberalissimi), sed etiam factis. Opes enim in illum contulit et honores, qui sane magnum ad litteras incitamentum. Honos siquidem alit artes, et hae vel stant, vel concidunt pro regis vultu.

Anno itaque 1745 Nonis Julii, regii taurinensis Athenaei bibliothecae praeses et moderator constitutus

(1) Novelle della repubbl. letteraria, ann. 1751 pag. 233.

(2) Storia letteraria d'Italia, T. III cap. 9. n. 14. p. 627.

(3) Victorius Amadeus II regni curam pertaesus, eodem se abdicavit IV Non. Septembr. ann. 1731, sibi subrogans Carolum Emmanuelem filium. Prid. Cal. Novembr. anno sequente obiit.

a rege, eidem a consiliis fuit ampliore stipendio auctus (1), et pensione ( uti ajunt ) valde honorifica (2), cum jam antea anno 1727 praeposituram obtinuisset S. Mariae de Monte Cinisio. Haec ille assecutus est, cum ingenii laude, tum vitae. Neque enim umquam tantam iniisset gratiam, ne dicam familiaritatem, ab optimis et probatissimis regibus, nisi ad eos accessisset commendatione virtutis. Fuerit igitur necesse est Pasinus humanarum rerum peritus, providus, bonus ac justus vir, ingenio integer ac moribus. Sed omittamus, cum facta suppetant, conjecturas.

Quam modeste de suis operibus, de se Pasinus? praesertim cum sciret et se et sua a rege et ab aliis permagni fieri. *Quamplurima*, inquit, ( loquitur de lexico a se confecto ) *ad operis complementum adhuc desiderari et cognoscimus, et ingenue fatemur .... Quod si ad* eruditorum *manus libri nostri pervenerint, eos aequi bonique faciant, obsecramus.* Et mox: *Iter*, ait idem, *ingressi sumus: si vitam Superi dabunt, conficiemus, aut conficient alii et viribus ingenii et doctrina valentiores* (3). Si quid sibi aliunde praesidii fuit, id profitetur aperte. *Multum*, inquit, *ad id operis attulerunt nobis adjumenti* .... etc. et statim nomina auctorum subjicit. *Auctoribus enim suis ea reddere volumus*, ait, *quae ab illis mutuati sumus* (4). Jam vero hominis ingenui est, per quos profeceris, profiteri.

(1) Lire piemont. 1200.
(2) Lire 1500.
(3) In praefat. ad Lexic.
(4) Ibidem.

Idem minime invidus litteratorum industriae et gloriae favit. Varias lectiones pertinentes ad hebraica sacrorum bibliorum mss., quae servantur in taurinensi regia bibliotheca, cum Kennicotto benignissime communicavit (1). Publico bono intentus hortatur omnes ad proferenda, quaecumque habent in latebris, antiquorum patriae scriptorum monumenta (2), iisdem illud inculcans: *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque* (3)? In eo non arrogantia, non simulatio. Religioni in primis addictus eamdem promovit studiis suis. Facetus ejus sermo, et urbano sale conditus; facilis et constans memoria, ingenium amplum, multiplex eruditio.

Quae hactenus de Pasino, partim auditione accepi, partim ex ejus ipsius operibus. Neque enim hominem umquam vidi. Possem addere fortasse et alia, conjiciendo tamen potius, quam affirmando. At vetitum divinare in historia. Pasinus itaque admodum aetate processerat, cum anno 1770 Non. Julii e vivis ereptus non mediocre sui desiderium reliquit. Elatus est, et in ecclesia S. Mariae Angelorum sepultus. In marmore sic inscriptum:

(1) Giornale di Modena, Tom. VI pag. 641., ubi etiam fragmentum ejus epistolae latinae.

(2) In praef. ad codices.

(3) Eccli. c. 20. v. 32.

H. I.
IOSEPHVS . LVCAS . PASINVS
PATAVINVS
S. MARIAE . IN . MONTE . CINISIO
PRAEPOSITVS
IN . REGIO . TAVRINENSI . LYCEO
AB . IPSA . INSTAVRATIONE
DIVINARVM . LITERARVM
ET . HEBRAICAE . LINGVAE
PROFESSOR
POSTEA . BIBLIOTHECAE . PRAEFECTVS
REGI . A . CONSILIIS
OB . EXIMIAM . ERVDITIONEM
DOCTRINAM . RELIGIONEMQVE
DE . VNIVERSA . LITERARIA . REPVBLICA
OPTIME . MERITVS
VIXIT . ANNOS . LXXXII . MENSES . VIII
DIES . XIX
OBIIT . NONIS . IVLII . MDCCLXX.

## JOSEPHI PASINI OPERA

De praecipuis SS. Bibliorum linguis et versionibus polemica dissertatio, cui accedunt quaestiones aliquot ex ipsarum linguarum interpretatione ortae. Patavii typis Seminarii ann. 1716 in 8.

Grammatica linguae sanctae institutio. Accedit ejusdem oratio habita cum publicum docendi munus auspicaretur ann. 1720. Iisdem typis ann. 1721 in 8. et alias ibidem.

Decem dissertationes selectae in Pentateuchum. Augustae Taurinorum ex typographia Joannis Francisci Mairese ann. 1722 in 4.

Vocabula itali latinique sermonis, etc. Ibidem typis Petri Joseph Zappatae et filii, ann. 1731 tom. 2. in 4.

Codices manuscripti bibliothecae regii taurinensis Athenaei, etc. Taurini ex typographia regia ann. 1749 vol. 2. in fol.

Storia del nuovo Testamento con alcune riflessioni morali ed osservazioni istoriche ad uso dell'uomo cristiano. In Venezia presso Giovanni Tevernin nell'ann. 1751 in 12. Prodiit primum Taurini sine auctoris nomine.

# VITA
# M. ANTONII TRIVELLATI

Marcus Antonius Trivellatus ortum habuit ab honesta stirpe Pernumiae, prope oppidum Montissilicis, in planitie euganea ann. 1688 Prid. Id. Januar. grammaticae rudimentis et primis etiam rhetorum praeceptionibus institutus, in patavinum Seminarium ingreditur Prid. Non. Januar. ann. 1705, et scholae addicitur, quae proxime accedit ad rhetoricam.

Ad puriores latinitatis et eloquentiae fontes admissus, latices hinc hausit uberrimos. Ostendit id et aurea illa, quae sese offert in ejus libris, dicendi copia, et summa quidlibet exprimendi facilitas. Utramque ille assecutus fuerat non tam labore et contentione, quam praecipua quadam benignitate naturae. Erat siquidem admodum experrecto et facundo ingenio, memoria firma ac prompta prope usque ad ultimam senectutem. Fruebatur etiam prospera corporis valetudine ad exercendas facultates has opportuna. Hinc amoena et severa pariter studia aggressus, magna felicitate eorum cursum septennio absolvit.

Anno itaque 1711 XI Cal. Septemb. Patavii in sacro theologorum collegio publicum examen subiit,

omniumque suffragiis in eorum coetum cooptatus est. Tum Georgius Card. Cornelius episcopus patavinus statim eumdem jussit in Seminario philosophiam profiteri. Onus ille gravissimum juvenili aetate sustinuit cum laude ingenti. Sic episcopi, qui ipsum elegerat, exspectationem implevit, nec errasse illum in eligendo monstravit.

Interim Michael Verius multiplici eruditione praecellens, qui clericos Seminarii in theologicis exercebat, traducitur in publicum patavinum Gymnasium a rei litterariae Triumviris, et professor logicae constituitur ann. 1718. In ejus locum deposcitur Trivellatus. Sed ille alio spectabat. Cupiebat nimirum in Montesilice canonicatu potiri. Cupienti obstitit Cardinalis idem Cornelius, ne Seminarium spoliaret tanto viro, a quo sibi plurimum pollicebatur. Utque libentius ille capesseret oblatum munus, eumdem stipendio auxit; quod iis temporibus prorsus novum (1). Quare nobilissimam provinciam suscepit M. Antonius, eamque obivit annis circiter quinquaginta, eo successu, ut se reddiderit plane dignum immortalitatis memoria.

Ad hanc rem illustrandam liceat mihi exhibere aliquam temporis illius imaginem. Erant sane homines etiam tunc solertes et eruditi, erant theologi magni nominis; vitiis tamen ejus aetatis, paucis detractis, et ipsi obnoxii. Jactabantur in scholis vocabula minus cognita, et quaedam formulae, quibus nihil sub-

(1) Stipendia magistris decreta primum fuere anno 1731 a Joanne Minotto Othobono episcopo patavino.

erat nisi strepitus. Occurrebant identidem importunae definitiones ac divisiones; neque quaestiones deerant subtiles, aliquando etiam exsuccae, inanes; captiosa argumenta, productae disputationes, seu potius rixae. Trivellatus haec omnia amovit (et alii etiam postea illius exemplo). Omnia ille ad perspicuitatem et elegantiam traduxit.

Patet id legentibus ejus libros. Hi enim, licet elementarii (neque enim sibi ille proposuit totam theologicam scientiam in unum quasi corpus redigere: voluit tantum ejusdem principia tradere suis discipulis), hi, inquam, licet elementarii, interpretatione non egent, ac tuto percurri possunt sine ullis ducibus ac magistris. Qui vero audierunt ipsum in schola exponentem eximiam illam D. Thomae doctrinam, eum maxime duxere idoneum ad eamdem brevibus annotationibus suo plane in lumine collocandam. Atque hoc quidem aggressus fuerat, sed non perfecit, quod necessario fortasse careret otio.

Magna librorum laus perspicuitas; major, quod conjuncta cum eloquentia ac tanta doctrinae copia. In his occurrunt gravissima sacrae Scripturae oracula, Pontificum scita, Conciliorum decreta, Patrum testimonia; Augustini praecipue, cujus festivo ingenio festivus ipse delectabatur mirifice. Poterat ille quidem sententias suas roborare argumentis a ratione petitis; at noverat homines abuti posse ratione (utinam careremus exemplis!); ideoque ea arma expedire maluit in adversarios, quae ipsis non vincendi solum (quod fieri omnino non poterat) sed etiam diutius instandi spem et facultatem eriperent.

Quamquam ubi ipsos videt auctoritatem omnem audacius spernere, eosdem ratione aggreditur: hanc illis firmissimum quasi murum opponit, ne dogmata diripiantur. Non deerunt fortasse, qui velint ipsum adhuc ulterius progredi, et interiora scrutari. In hoc equidem ab iis dissentio, et Trivellati consilium laudo. Temperavit is siquidem prudentissime ingenio suo, ut se commodaret omnium intelligentiae. Discipulorum utilitatem in primis, non sui praedicationem spectavit. Laudabilia maluit facere, quam landari.

Plura edidit, de quibus optime ephemeridum rei litterariae scriptores (1). Notabo singula, ad exitum narratione perducta. Per haec idem magis innotuit, et in se excitavit aliorum studia. Patavini antistites sensere de illo perhonorifice, soliti ipsum benigne excipere, et humaniter cum eo versari et colloqui. Magno praeterea in honore fuit apud viros doctos et litteratos. Omnium maxime sibi devinctos habuit Hyacinthum Serry et Joannem Gratianum, duo publici patavini Gymnasii praeclara ingenia. Eidem dono dedit libros a se confectos celeberrimus et eruditissimus Bertius. Oblatus ipsi praeterea fuit, civibus plaudentibus et amicis, aditus ad publicum docendi munus in hujus urbis Archigymnasio. Unus ille rara animi moderatione sibi obstitit, ne ad tantum honoris gradum eveheretur.

Haec perspicue ostendunt, quanta esset illius doctri-

(1) Novelle della repubb. letteraria ann. 1740 pag. 564. et ann. 1751 pag. 91. Storia letteraria d'Italia Vol. III pag. 56. 57.

nae et ingenii apud omnes existimatio. Adhuc tamen clarius, quae mox subjiciam. Non audita ab aliis refero, sed visa et cognita. Eo disceptante in publicis certaminibus, incredibilis prope erat omnium audiendi aviditas, licet ipsum toties audissent antea. Qua enim is elegantia scripsit, eadem omnino solitus erat et loqui: ut videretur propterea, (quod sane magnum) meditate dicere, etiam cum ex tempore loqueretur, eum insuper commendabat eximia quaedam pronuntiationis gratia. Quare qui aderant, repente assurgere, silentium omnes invicem sibi indicere, ab ejus ore pendere, suamque postea admirationem oculis, vultu, gestu, crebrisque assensionibus significare. Mirum profecto id ubicumque accidisset, Patavii vero vel maxime, eo quod hujusmodi disceptationes, quae tunc alibi magnum aliquid visae fuissent, hic usitatae et familiares.

Ad ejus celebritatem plurimum contulere etiam ii, qui ex ipsius disciplina profecti sunt. Seminarii alumni ad eum audiendum mane accedebant; pomeridianis horis externi juvenes; utrique antea et politioribus exculti litteris et severioribus studiis. Horum nemo erat, qui non optime de Trivellato sentiret. Solebant omnes, tam domestici, quam externi, privatim pariter ac publice, quoties se offerret occasio, eumdem pleno ore laudare; non solum cum audirent ipsum in schola, sed etiam postea, et aetate et scientia provecti; cum scilicet et melius possent ingenium hominis doctrinamque cognoscere, et de utroque tutius judicare.

Paucos fuisse arbitror praeceptores, quos tanto di-

scipuli in pretio habuerint, ac tam impense laudaverint: et paucos etiam, qui discipulos jactare possint vel pares numero, vel aeque nobiles et spectabiles. Si numerum specto, fere omnes ab illo eruditi sunt, ex quibus sacrum theologorum collegium patavinum jamdiu constabat; idemque coetus fuit ab eodem postea quasi de integro renovatus. Plurimos praeterea alios ab eo institutos invenio, qui licet theologica laurea insigniti, in amplissimum illum ordinem minime cooptati sunt.

Exierunt etiam ex ejus ludo viri nobilitate ac dignitate supra ceteros eminentes. Hinc sacri animarum pastores, qui patavinam et alias dioeceses mirifice ornarunt: Canonici, Episcopi, Cardinales. Hinc alii plurimi, qui multa eruditione praestantes non solum in hac doctissima civitate tanta cum laude florent, sed etiam ultra Venetiae fines disseminati cum privatis scholis, tum publicis in Academiis, tum ex sacris suggestis, tum editis etiam in lucem libris et suum, et magistri nomen auxerunt. Quod si *Patris gloria est filius sapiens* (1), *quantae hujus sunt gloriae, qui tantorum filiorum sapientia . . . . laetatur?* (2).

Mihi tamen tanti non esset adhuc haec eadem gloria, nisi eidem plurima accederet ab ejus moribus commendatio. Jam ille *sermone affabilis, accessu facilis, civibus carus, de quo eadem secreto homines loque-*

(1) Prov. c. 10. ex interpret. 70.

(2) S. Maximus serm. 20. in append. oper. edit. Romae 1784.

*bantur, quae palam* (1). Id autem ab omnibus consequi difficillimum. Sunt enim, qui nemini vel probatissimo parcant. Nemo tamen carpsit Trivellatum, nemo ejus praeconio abstinuit. Trivellati nomen erat in ore omnium, Trivellatum omnes amore, studio, plausu prosequebantur.

Quod quidem nulli mirum videri debet. Jure enim ab omnibus bene audiebat, qui de omnibus solebat optime loqui. Si quid esset, quod laudare non posset, vel amica interpretatione excusabat, vel silentio praeteribat. Voluptatem ex aliorum bonis, dolorem ex calamitatibus percipiebat. Amicis autem ex necessitate aliqua laborantibus praesto erat. Iisdem ultro aliquando sese obtulit vel non petentibus. Hos ille, dum vixit, studiosissime semper coluit vel absentes. Magna erat ejusdem comitas et humanitas; *comitas* tamen *non sine severitate, neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent* (2). Nec exiguam laudem meretur ipsius hilaritas in obeundo magistri munere. *Nam quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius* (3).

De pietate autem illius ac religione quid plura commemorem? Etsi tot annos domi assidue sese continuit, egrediebatur tamen quotidie, magno saepe non sine incommodo, ut mysterium celebraret. Ad religionem referebat studia, labores, scripta. His illam de-

(1) Seneca de Clement. l. 1. cap. 13.
(2) Nepos in vita Attici cap. 15.
(3) Cic. pro Q. Roscio Comoedo c. 11.

fendere nitebatur, et ulterius promovere. Religio solida, sed longe aberat a tristitia. Laetus ille vel inter tot senectutis ac solitariae vitae molestias.

Neque minor frugalitatis laus ac temperantiae. Magna in omni vita moderatio, magna hominis abstinentia, hanc prodit illius incuria in custodienda pecunia, animi tranquillitas in ejus jactura, larga in pauperes, cultumque templorum erogata subsidia, tum denique sacri reditus, quorum aliis ipse ultro sese spoliavit, alios recusavit oblatos, enixe episcopum adhortatus, ut eosdem aliis se magis dignis, magisque indigentibus impertiret.

Longum esset singulas ejus dotes, animique virtutes enumerare. Non tacebo tamen de illius modestia, quae in tam honorato et illustri viro eximia prorsus ac prope heroica. Ille numquam propemodum de se loqui. Si quando de ipso, vel de ejus operibus sermo incideret, ab eodem statim vel mutari et abrumpi, vel non sine contemptu fieri. Sibi is cavere semper ab omnibus, quae in sui laudem possent redundare; ita tamen, ut id ex negligentia potius, quam ex animi moderatione proficisci videretur. Virtutem unam quaerebat, non laudem splendoremque virtutis. Hinc ille nullam, nisi coactus, eruditionem ostendere: non litteratorum hominum consuetudinem affectare, non titulos ac nomen quaerere, non aliorum comitatum admittere, *adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque* Trivellato, *quaererent famam, pauci interpretarentur* (1).

(1) Tacitus in vita Julii Agricolae c. 40. circa finem.

Haec vera et germana indoles M. Antonii. Qualem illum describimus, talem longo usu et consuetudine novimus: scilicet tota vita modestum, semper sui similem et constantem, vel inter maxima ambitionis incitamenta; quod certe non nisi perfectae cujusdam virtutis esse poterat, ac plane insignis.

Animi praestantiam prodebat species corporis. Erat ille statura procerus, colore inter album et fuscum, caeruleis oculis, lata fronte, pleno dignitatis aspectu.

Restat, ut aliquid dicam de illius morte, quod quam brevissime faciam. Aliquot annis postquam liberatus fuerat scholae onere, Trivellatum febris invasit; utque erat aetate paene consumptus, statim visus est in extremis. Ac licet viribus destitutus esset, integris tamen sensibus utebatur, seque divinis rebus instruxit ad ultimum hoc certamen. VII Idus Decembris ann. 1773 subiit tranquille mortem, cujus vel ipsum nomen horruerat semper antea. Elatus est perendie. Eidem prodiit in funus sacrum theologorum collegium. Inter solemnia a praefecto studiorum Seminarii patavini laudatus est, et in sacra ejusdem Seminarii aede sepultus.

## M. ANTONII TRIVELLATI OPERA

Dissertationes theologicae. Patavii apud Josephum Cominum 1739 in 8.

Opuscula theologica. Ibid. apud eumdem 1740 in 8.

Enchiridion de Verbi Dei incarnatione. Ibid. 1750 in 8.

Dissertatio de augustissimo Eucharistiae sacramento et sacrificio. Patavii typis Seminarii 1752 in 8.

Dissertationes de Sacramentis generatim, de Baptismate et de Confirmatione. Ibid. 1753 in 8.

Exstat commentatio *De locis theologicis* mss. Haec in Seminarii bibliotheca servatur.

# VITA

# ÆGIDII FORCELLINI

Ægidius Forcellinus honesto genere natus est Phaeneri, dioecesis hujus paroecia, prope Alpes noricas, non longe ab urbe Feltriensi VII Cal. Septembris ann. 1688. Non tam cito parentes eum erudiendum curarunt, fortasse prohibiti rerum domesticarum angustiis (1). Illum enim cooptatum video in nostrorum

(1) Hubertum Joannis filium patruum Ægidius habuit Campi natum. Hic sexto ac decimo aetatis anno, saeculi vero XVII quinto ac septuagesimo in patavinum Seminarium admissus est litteris excolendus. Eumdem inter Oblatos postea descriptum video, in quorum ordinem ii tantum referebantur, qui prae aliis se commendarent non disciplina minus, quam scientia (*a*). Utraque eum praestitisse plurimum illud indicio est, quod acceptissimus fuerit B. Gregorio Barbadico, Segusinum post ab eodem missus ad animarum illarum regimen duodetrigiuta annos natus. Judicium tanti praesulis probavit cum integritas ejus vitae, tum indefessa traditi gregis cura. Factus enim is ex animo ejusdem forma, eum verbo et exemplo pascere numquam destitit per annos propemodum quin-

(*a*) De Seminarii Oblatis vide pag. 36.

alumnorum numerum XII Cal. Novembris ann. 1704, et superioris tantum grammaticae studio addictum, cum jam septimum aetatis annum supra decimum inchoasset. Etsi vero litteraria ipsius institutio serius incepta, ab eodem tamen admodum feliciter absoluta. Juvit enim plurimum cum ingenii quaedam maturitas et solertia, tum ingens discendi ardor, nec intermissa contentio. Erat ille siquidem bona ac firma corporis habitudine, neque incommodis, neque morbis obnoxia, et ad sustinendos litterarios labores prorsus idonea.

His adjumentis politiores artes, et graviores facultates facile arripuit, magistris propterea maxime acceptus, celeberrimo prae ceteris Facciolato, de cujus

---

quaginta, quibus eidem praefuit. Vigilantissimi pastoris partes omnino implens pecuniam etiam ac semetipsum in salutem ovium impendit. In pervigilio nativitatis Deiparae (quod praesenserat, et optato accidit) anno millesimo septingentesimo trigesimo quinto eo migravit, quo viam sibi straverat assidua exercitatione virtutis.

Tum patuit quae et quanta esset omnium de illo opinio. Non enim incolae tantum illius paroeciae, sed finitimae quoque gentes et sacerdotes conferto quasi agmine visi sunt cupidissime ad ejus aedes contendere studio videndi ipsum et venerandi. Confluentium multitudine oppletae viae, forum, templum ac templi area spectaculum plane novum et gratum omnibus exhibebant, vim lacrymarum eliciens ex oculis prae laetitia. Viget adhuc apud illos populos illius memoria. Horum testis fide dignissimus Victor Faber (*a*) olim philosophiae

(*a*) Notizie storiche intorno la vita di S. Giuliana, pag. 182.

disciplina gloriari solitus erat. Hic ad studiorum Seminarii patavini regimen jam evectus, Forcellinum, quem probe noverat, ad intima litterarum consilia admisit, ac sibi praeclari operis socium legit. Animad-

in hoc eodem Seminario professor. Huic enim spectaculo et ipse interfuit, tum pervagata ejus fama, tum etiam grati animi sensu (ut idem de se fatetur) adductus. In eo enim florente aetate usus fuerat amantissimo praeceptore, et tamquam parente optimo ac dulcissimo semper postea.

In parochiali domicilio ejus loci legitur haec inscriptio:

HVBERTO FORCELLINO
SEMINARII PATAVINI ALVMNO
HVIVS ECCLESIAE ANNOS XLVIII
RECTORI ET' VIC. FORANEO
MANSVETVDINE MODESTIA PATIENTIA
LIBERALITATE IN PAVPERES
INSIGNI
IN ANIMARVM CVRA
VERBI DEI PRAEDICATIONE
INDEFESSO
PATAVINIS SVI TEMPORIS EPISCOPIS
DOCTRINA PRVDENTIA PIETATE
MIRE PROBATO
AEGIDIVS FORCELLINVS
PATRVO OPTIME DE SE MERITO
MOERENS P.
V. A. LXXV. M. X. D. III.
OBIIT VII. IDVS SEPTEMBRIS
MDCCXXXV.
H. F. S.

verterat enim Facciolatus in latinum lexicum temere irrepsisse multa ab eodem penitus expungenda. Ad id Ægidii opera est usus, hoc illi uni emendandum imposuit. Anno itaque 1715 prid. Id. April. interpolandum suscepit *Veterem Calepinum*, quae interpolatio quatuor fere annos absumpsit. Verum illud experientia compertum habuit Forcellinus, hoc parum prorsus prodesse. Erat quidem liber expurgatus, auctus, perpolitus; non tamen ut debuit, sed ut potuit: vix quidquam adhuc probabile emitti poterat, nisi de integro recuderetur (1). Tam multa scilicet occurrebant in eo corrigenda, mutanda, addenda. Quare sub finem anni 1718 jussu Georgii Card. Cornelii episcopi patavini, ductu Jacobi Facciolati aggressus est tam vastum opus Ægidius, ipsum alacriter prosecutus ad annum usque 1724. Tunc illud omnino intermittere coactus fuit, et Seminarium, ita ferente temporum conditione, relinquere.

Interim ipse invitatur Cenetam ab ejusdem civitatis episcopo, eique tradendae rhetoricae facultatis munus ac totius Seminarii committitur praefectura. Ibi diutius commoratus nullis laboribus pepercit, ut disciplinam promoveret, et scientiam, quarum altera ab altera distrahi nequit sine maximo alumnorum damno, atque in hoc, utpote qui utriusque rei experientissimus, adeo excelluit, ut illius Seminarii quasi parens habeatur, et sit.

Sed jam septennio propemodum evoluto, ad pata-

(1) Vide Forcellinum Tom. I sui lexici pag. xlviii.

vinum, unde discesserat, Seminarium revocatur, honestissimo stipendio proposito. Intermissum jam pridem opus resumpsit Idibus Aprilis ann. 1731, strenue progrediens usque ad ann. 1742. Tum confessarii clericorum novum pariter et gravissimum onus subiens, novem ferme annos quasi claudus ( ut ipse testatur ) et subinde insistens processit, cum fere quotidie ab opere ad alia agenda avocaretur. Jam vero ann. 1751 jussu Cardinalis Rezzonici episcopi patavini eodem illo munere liberatus, pristinum cursum tenuit; ac tandem, Deo favente, quadriennio circiter post, V nimirum Idus Aprilis ann. 1755 egregium opus omnino absolvit cum laude summa, nec umquam apud posteros desitura (1).

Qui rem consideraverit, ut par est, is plane intelliget, me nihil ad gratiam confingere, nihil exaggerare. Quanti enim non dicam laboris solum, sed ingenii etiam atque solertiae fuit id perficere? Consulendi erant et expendendi scilicet tot auctores, conferendi secum tot lapides ac numismata, et cujus fidei, notae, et auctoritatis essent singula, judicandum. Singula explorare vocabula necesse fuit sive propria,

(1) Hoc *Lexicon totius latinitatis* typis Seminarii patavini editum fuit ann. 1771, et eruditissima praefatione ornatum a Cajetano Cognolato tunc in eodem Seminario studiorum praefecto, iterum vero editum fuit anno 1805. De hoc opere ita Clementinus Vannetius, in quadam epistola ad Alexandrum Georgium : *Novum Forcellini* Δεξικὸν *judicio omnium excellit*. Vide etiam ephemeridas florentinas ann. 1774 n. 48., et mediolanenses ann. 1774 n. 25.

sive translata, non seorsum ab aliis sumpta ac solitaria, sed in contextu et continuatione sermonis, eorumque usum ac vim docere, varias et implicatas significationes exponere, dissidentes expedire, multiplices harum gradus notare, distinguere, definire, et opportunis exemplis omnia illustrare; quae sane praestari nequeunt sine ingenti latini sermonis intelligentia, sine eximio antiquitatis et artis criticae studio, sine multis denique magnisque litteris. Facile, si vellem, disertus essem in tam illustri argumento. At mihi tempero: neque enim oratio texitur, sed historia. Unum addam de hoc negotio, quod ingenue in quadam epistola (1) ad Forcellini laudem testatur ipsemet Facciolatus. *Vix*, inquit, *ego in plerasque voces quippiam contuli praeter consilium, in multas autem ne consilium quidem*. Et alibi (2): *Princeps hujus operis conditor atque adeo unus Forcellinus est*.

Aliquid idem praeterea contulit ad graecum lexicum, et ad italam etiam orthographiam augendam et adornandam non sine magna ipsius Facciolati praedicatione. Paucis. Studia perpetuo fovit Forcellinus: in haec juveniles annos, in haec seniles insumpsit. *Adolescens* (sic ille clericis Seminarii (3)) *adolescens*

(1) Huic epistolae titulus: *Animadversiones criticae in magnum Petri Danetii dictionarium*. Edita est haec epistola anno 1759.

(2) In epistola ad Josephum Lastam, praemissa lexico Forcellini.

(3) In epistola, quae legitur post praefationem praemissam eidem lexico.

*manum admovi, senex, dum perficerem, factus sum, ut videtis.*

Sed haec hactenus: ad alia nunc, si placet. Has itaque ingenii et industriae laudes illustriores Ægidius reddidit suis virtutibus, in primis vero modestia, quae profecto in eo singularis. Plurimum facere mos illi erat, et minimum de se loqui. Si qua ejusdem operis mentio fieret, solebat laudem omnem, quoad poterat, Facciolato adscribere, ac profiteri suam, qualiscumque esset, esse scientiam verborum. Omnia in recessu habebat, nihil ostentabat in fronte. Neque solum ingenii dotes, sed virtutes quoque occultabat; mira tamen dexteritate, ne quis animadverteret: quod nimirum probus esse cuperet, non videri. Hinc roganti-bus, cur adeo mature qualibet tempestate de lecto surgeret, respondebat, quod senes parum admodum somno indigeant; et admirantibus, cur ipse vel summa aestate fere numquam interdiu quiesceret, reponebat illud scholae salernitanae: *Somnum fuge meridianum*. Quare omnibus carus erat, juvenibus praecipue, ad quos se demittere, quibuscum familiariter non dedignabatur versari. Quod sane mirum in homine aetate provecto, et natura ipsa ad gravitatem composito.

Quamquam illud virtutis est naturam suam versare et flectere, ac sese aliorum ingeniis accommodare. Atque hoc in illo eminebat. Quid illa ipsius aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons? Occupabatur assidue Ægidius in re molestissima, nec ideo conqueri. Occurrebant saepe interpellatores: non tamen ille propterea turbari, immo, perinde ac si vacuus esset, omnes benigne excipere,

tam domesticos, quam externos, audire omnes, omnibus praesto esse. Pueros vero, imitatus D. Philippum Nerium, ad se etiam invitare et allicere, amantissime detinere, monere, instruere; et, ut libenter rursus accederent, munusculis etiam donatos, quibus maxime ducitur illa aetas, eosdem a se dimittere.

Ad leviora descendam, vivide tamen intimam ejus indolem exprimentia. Delicatae potiones, ab aliis etiam oblatae, ab eodem sibi penitus interdictae: tentari poterat, non vinci illius abstinentia. Nihil idem in mensa querulus, ad quam jejunus, ut plurimum, accedebat. Optima omnia, omnia exquisita. Unum tantum molestum ipsi audiendi studioso, si nimirum lectio interpellaretur. Hoc unum dissimulare non poterat, vultu ipso silentium omnibus, et voce repente indicens. Libenter etiam audiebat ad recreandum animum ephemeridas, locorum in quibus ea, quae referebantur, fierent, peritissimus. Cupiebat enim semper aliquid novi addiscere vel tempore oblectationis honestae: valde scilicet ab iis abhorrens, qui levia tantum et inutilia sectantur, et ( ut proverbio dicitur ) qui discum audire malunt, quam philosophum. Recens a prandio fabrilia tractabat, vel pulsabat musicum instrumentum, ne omnino otiosus esset in otio, cui maxime infensus erat, solitus propterea aliquid semper agere, orare, legere, scribere, commentari.

Moveor profecto, quoties illius mihi venit in mentem ( venit autem saepissime ), tantaeque virtutis. Fere semper inclusus domi, raro egredi Forcellinus; quotidie vero ad sacrum celebrandum; atque hoc pie religioseque peracto, illico rursus domum. Non a-

moenae deambulationes eum avocabant, non sociales temporis fallendi gratia conventus, non spectacula, non convivia. Ad domestica quaelibet idem officia promptus, ceteris praeire exemplo, sua quaeque munera diligentissime obire, nihil defugere, immo sese laboribus ultro offerre.

Bis quoque anno ex instituto Seminarii patavini jubentur alumni secedere per dies aliquot in seipsos, et animum exercere meditatione aeternorum. Ne externum quaereret, ad id se ducem persaepe exhibuit etiam postremis annis Ægidius Seminarii moderatori, sola mercede laboris molestiaeque proposita. In quo plurimum proficiebat, alloquens juvenes plana quidem et naturali ratione, sed animos utiliter alliciente: juvenes, inquam, alloquens sibi cognitos, et eximiae virtutis penitus conscios, quae ex ipsa corporis specie emicans capiebat vel ignotos, injiciens ipsis venerationem sui.

Idem siquidem benignus in omnes, in se severus; indulgens omnibus quoad poterat, numquam sibi; privatim facilis, publice gravis; religione solida, non fucata; sermone simplici, ingenio aperto, moribus plane antiquis. Nihil novi pati poterat, Seminarii legibus omnino addictus, vel minimarum servantissimus. Quem cum viderem, videbar mihi intueri solidis lineamentis expressam quamdam imaginem pristinae disciplinae a B. Gregorio Barbadico in hoc Seminarium invectae; quem propterea prosecutus sum multis lacrymis abeuntem.

Abiit, (liceat brevis ista digressio in laudem hominis, cui me vel maxime obstrictum fateor) abiit, qui me puerum excepit, qui me primis imbuit reli-

gionis catholicae rudimentis, ac patienter postea pertulit plures annos. Utinam ex ejus disciplina profecerim! Erit mihi certe, dum vivam, jucunda ipsius recordatio. Abiit, inquam, ille, eodem quo antea stipendio, non reversurus, in patriam Cal. Maj. ann. 1765: neque solum nobis, sed etiam omnibus qui eumdem nossent, virisque doctissimis inexplebile sui desiderium reliquit: prae ceteris Antonino Valsecchio et Jo. Baptistae Morgagno, quorum laudibus personat tota Europa. Ab utroque magno in honore habitus Forcellinus, ab utroque consultus, utrique maxime carus. Consultus etiam ab aliis multis, et a clarissimis Joanne Poleno et Julio Pontedera, quos cum Morgagno saepe solitus et ipse Ægidius consulere. Ac Morgagnus quidem hunc mox discessurum amplexus, non potuit sibi a lacrymis temperare. Abiit tamen, ac sese interim in erudiendis populis, in confessionibus excipiendis perpetuo exercuit: cum tamdem, triennio propemodum evoluto, letali morbo corripitur. Jam jam moriturus maximas illi ex animo gratias egit, qui primus sibi attulit nuntium mortis, cujus ipse, ut audivi, certa praesentione non caruit. Laetus aspexit imminens, terribilium quod omnium maximum. Itaque prid. Non. April. ann. 1768 inter labores exstinctus est, aeterno, ut speramus, pro iisdem praemio apud Superos potiturus. Piacularia inter sacra laudatus fuit ab Antonio Corà, olim ejusdem Seminarii patavini alumno.

# VITA

# ANTONII SANDINI

Antonii Sandini vitam licet accurate jamdiu explicuerit Josephus Rinaldus, eamdem tamen paucis exponere et ipse aggredior, ne praetermittere videar, qui omnium maxime memoria dignus. Non illam aliis a me conscriptis intersero, ne, ut ita dicam, multicolor res evadat, ac propemodum sui dissimilis.

Antonius Sandinus honestis parentibus natus est Idibus Juniis ann. 1692 modico agri Vicetini pago, cui nomen Novae, ad ripam Medoaci, ibique liberaliter educatus. Jam tum videbatur boni exitus spem prae se ferre. Quare in patavinum Seminarium exceptus est cum onere solvendi partem tantummodo annui convictus pretii. Quam quidem gratiam Seminario idem abunde retulit.

Annum quintumdecimum jam compleverat, cum in hunc locum ingressus aliis exemplo esse coepit, et admirationi. Ferebatur ille natura ipsa ad omnem pietatis et artium bonarum cultum. Ejus aucta propensio est ex domestica disciplina. Tum vero ad optimi cujusque imitationem exarsit. Studiis impense deditus, diu noctuque in iisdem se exercuit, quanta maxima potuit contentione.

Qui suo diffidunt ingenio, vires intendunt; non admodum vero ( ut plurimum ) ingeniosi. Sandinus et ingeniosos antecedebat diligentia, et diligentes ingenio, hoc in dies acuebat industria. Politioribus itaque litteris institutus, ad severiores accessit. Philosophiae ac juris scientiae se dedit, cum utraque jungens ecclesiasticae historiae studium, quo potissimum ducebatur. In hac obeunda provincia peritissimum ducem habuit avunculum suum Vincentium Fugam nominis fama illustrem (1). Hoc praeeunte adeo progressus est,

(1) Vincentius Fuga Francisci filius ortum habuit Novis, et ann. 1688 cooptatus est in alumnos patavini Seminarii, duodeviginti annos natus. Confecto scholarum cursu, in praeceptorem electus ibi aliquandiu ecclesiasticam historiam docuit. Anno elapsi saeculi quintodecimo libellum edidit, cui titulus: *Notitiae Orbis sacri et profani, ab ejus exordio ad praesentia usque tempora compendium*. Exstat praeterea in hac bibliotheca mss. Lexicon geographicum ab eo non omnino absolutum, quod ita inscribitur: *Notitia geographica antiqui, medii et novi Ævi, litterarum ordine digesta*. A Seminario discessit, ut in cathedrali ecclesia hujus urbis sacerdotium (custodiam vocant) in se collatum iniret. Mortem nactus octogenarius, ibidem sepultus est cum hac inscriptione:

D. O. M.
VINCENTIO FVGA
HISTOR. ET GEOGRAPH.
CATHEDRAL. CVSTODI BENEMERITO
S.
P. C.
VIXIT. ANN. LXXX. OBIIT. III. NON. IAN.
A. D. CIↃIↃCCL.

Renovata tamdem ecclesiae area, sublata inscriptio.

ut eidem ipsum jam tum designaverit successorem Georgius Cornelius episcopus patavinus, ingeniorum et humanarum, quam qui maxime, rerum prudens.

Interim, absoluto studiorum cursu, tertio et vigesimo aetatis anno duplex tentamen subiit Antonius, historiae quidem ecclesiasticae in Seminario, in sacro autem collegio jurisprudentiae, et cum ei vertisset utrumque prospere, in magistrorum coetum describitur, ac primis grammaticae rudimentis tradendis ex Seminarii instituto addicitur. Non multo post destinatam sibi palaestram adiit, in qua vestigia reliquit alte ad immortalitatem impressa.

Viget adhuc, et efflorescit quotidie magis ejusdem nomen. Circumferuntur passim et usurpantur magna cum laude ejus opera, quibus ipsi consilium fuit totam Ecclesiae historiam ad communem scholarum usum redigere. Ac primum quidem ann. 1726, XII dissertationes ex eadem ecclesiastica historia excerptas propugnandas suscepit in magno lectissimorum virorum coetu. Res cessit omnino feliciter, eique ad alia prosperum praebuit quasi omen. Non curis Antonius pepercit, non laboribus, ut multo ante conceptum opus ac meditatum perficeret. Anno itaque 1731 historiam protulit apostolicam; historiam vero Familiae sacrae ann. 1734, ac tandem quinquennio post, vitas Pontificum romanorum ex antiquis monumentis descriptas (1).

(1) Scripsit et alia: ex his partim edita post ejus mortem, partim nondum edita exstant in bibliotheca Seminarii patavini.

Non mentiar, si dicam haec vix edita ubique plurimum placuisse, ubique nacta esse plurimos laudatores. Certe horum omnium parari statim debuit editio altera, ut eadem petentibus satisfieret. Neque vero ille quidquam de pristina contentione remisit, favoris publici confidentia. Dissertationes quamquam accurate scriptas, retractare coepit diligentius. Sic nova cura recognitas, quasique refectas et cumulatas insuper aliis octo, rursus in lucem misit anno 1742, et alia pariter deinceps, quae prius ediderat, aucta plenius et illustrata: historiam scilicet apostolicam anno 1744, anno autem sequenti historiam Familiae sacrae, vitas demum Pontificum romanorum triennio post.

Hinc aucta ejus fama et gloria cumulatior reddita. Eum suspexit non una Italia, sed etiam aliae provinciae, praecipue autem Germania. Herbipoli edita fuisse comperio Sandini opera ann. 1736, Augustae vero Vindelicorum ann. 1748, et, quod longe majus, praetulisse hunc titulum: *Basis historiae ecclesiasticae ad usum cleri augustani*. Joannes enim Bernardus episcopus chrysopolitanus, herbipolitani suffraganeus, et serenissimus Landgravius Hassiae Darmstat, episcopus et princeps augustanus, putarunt optime posse se suis prospicere, iisdem exhibitis Sandini libris.

Tam aperta existimationis indicia litteratorum virorum erga hominem sibi ignotum, ab eo non quaesita, non eblandita, non officio civili extorta, virtutem et laudem hominis plane ostendunt. Hanc prae oculis habuit eximiae sapientiae Pontifex Benedictus XIV, qui de Sandino praeclare, solitus praeterea quaedam ex

ejus libris excerpere, quae mox transferret in suos; non mediocri postea dolore affectus ex ejus morte. Clare perspicitur ex hoc uno, quantus Sandinus fuerit, qui talem tantumque Pontificem tantopere potuit afficere; et in quo ille eminebat, in eo ipso eidem magnopere se probare. Quamquam satis est consulere ejusdem libros; statim discimus quanta fuerit viri laus. Quam diligenter omnia persequitur! Si quid affert ab aliis auctoribus, hoc suis ipse oculis vidit in eorum operibus. Quaeque affirmat, ea non temere ab aliis accepta refert; sed hausit, ubi potuit, ex ipsis fontibus, indagare solitus conquisitione intentissima, quaecumque haberi possent monumenta. Quantum praeterea pondus in verbis atque sententiis! Quam nihil non consideratum exibat ex ore!

Atque hoc quidem elucet in illo praecipue libro, qui inscribitur: *Vitae Pontificum romanorum*. Fuerunt enim quidam ex his parum probi; fuerunt etiam, qui obnoxii vitiis non paucis. De his non tacuit Antonius, sed ita dixit, ut videatur invitus de illis dicere, quod sequius sit, historiae tantum veritate coactus, usus etiam propterea non semel aliorum verbis. Dixit, inquam, parce et circumspecte, ne quid illorum dignitas venerationis amitteret, praesertim apud juvenes nondum acri judicio et intelligentia pollentes: scripsit enim horum in primis gratia. In hoc quidquid nonnulli dicturi essent, maluit a se quidvis potius, quam prudentiam desiderari. Cavit etiam, ne videretur quodammodo eorum memoriam laedere, quos debemus honore et amore prosequi tamquam patres.

Veniamus ad extima. Ipsa dicendi ratio (uti in a-

liis quoque ejus libris) quam naturalis, et ad docendum idonea! Nullum verbum temere adscitum, nullum redundans. Concludit paucis multa; quin tamen eadem inobscuret, et obsit intelligentiae lectorum. Ubique subtili quadam et pressa oratione limatus, historico plane numero et modo. Qui plura desiderant, in subjectis annotationibus habent quo confugiant. Ibi ille praecipuos auctores indicat, et fontes, et verba non raro usurpat desumpta ex antiquis patribus et scriptoribus probatissimis, utpote quibus inest plus auctoritatis et ponderis.

Hinc ejus opera, prae ceteris vitae Pontificum romanorum, a multis quaesita, variis in locis edita, saepe ac saepius lecta, in deliciis habita, quasi exemplar proposita; quod quidam ingenuus dictionis color ac nitor, et multiplex eruditio cum insigni prudentia jungitur. Tantam sibi ille existimationem pepererat! Cui tamen non defuere censores.

Arma primum in eum expediit Jacobus Hyacinthus Serry, primarius theologus patavinus, cujus *Criticas exercitationes de Christo ejusque Virgine matre* Sandinus prior impugnaverat studio veritatis. Ea enim prima historiae est lex, *ne quid falsi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat* (1). Theologus itaque, ceteroquin celeberrimus, cum se videret lacessitum, vulgavit ann. 1735 *Animadversiones anticriticas* in historiam Familiae sacrae: quibus non modeste minus, quam erudite respondit Antonius in editione al-

(1) Cic. de orat. l. II. c. 15.

tera ejusdem historiae. Nova haec oblata ipsi est occasio prodendi sui. At ubi prodiere responsa, theologus finem vivendi fecerat.

Renovarunt postea bellum Lipsienses. Horum accusationes habentur in supplementis ad Nova Acta Eruditorum ann. 1737 Lipsiae editis Tom. II sect. 9 et 12. Singulas paucis quidem, sed prorsus Antonius diluit, integram in referendis et explicandis suis verbis requirens in accusatoribus fidem. Quae his respondit, tamquam mantissam historicis disputationibus subjicit.

Tamdem Christophorus Guilelmus Franciscus Walchius Jenae Professor scripsit contra disputationem illius vigesimam de constitutione Ludovici Pii ad S. Paschalem I. Quaeque scripserat, publici juris fecit per typos Lipsiae ann. 1749. Tum librum misit cum epistola ad Sandinum, eumdem benignissime ad respondendum alliciens, se paratissimum fore affirmans quaelibet retractare, si errorem nosset. Cui non potuit respondere Sandinus repentina morte praereptus, de qua dicam, cum prius de ejus moribus pauca dixero.

Fuit itaque acceptus omnibus, quamdiu vixit, candidae vitae laude et ingenuae. Minime pecuniae avidus et honoris, loquendi parcus, audiendi studiosus, unde aliquid posset discere, consideratus in omnibus et prudens, maxime vero diligens in implendis singulis partibus officii sui.

Seminarii bibliothecae praefectus eamdem auxit utilissimis libris, iis praesertim, qui ad ecclesiasticam historiam pertinent. In ea perstabat propemodum totos dies, cujuslibet incommodi quasi oblitus. Non deambulandi voluptas, non spectaculorum novitas pot-

erat hinc avellere hominem in studiis abditum. Excipiebat humaniter, quicumque accederet discendi cupidus, eumque, ubi opus esset, juvabat opera, consilio, libris. Arcebat autem quidquid interpellare se posset. Erat enim in illo comitati conjuncta gravitas. Ne particulam quidem temporis sinebat inutiliter sibi surripi.

Veteres latinos auctores studuit scribendo exprimere; nihil tamen sibi in hoc arrogabat, neque in aliis: immo severos exquirebat criticos, horum judicio certus emendare quaeque, vel tollere. *Opto*, inquit, *redargui me, et cupio refelli* (1).

Nihil ferre poterat, quod verteret in laudem sui: si quid hujusmodi audiret, suffundebatur pudore, nec patiebatur eum, quisquis esset, ulterius progredi, statim ejusdem verba intercipiens. Verum, quin ipse animadverteret, augebat laudem ipso contemptu laudis. Enimvero evasit laudatissimus, non ob eximiam tantum ecclesiasticae historiae scientiam, sed ob insignem praesertim hanc de se sentiendi modestiam, quam praeferebat cultu corporis, scripto, sermone, vultu; a notis propterea et ignotis, a suis et exteris magni factus. Audivi egomet jamdiu narrari, quosdam, qui Patavium venerant ex Polonia, de eo quaesivisse studio videndi ipsum; eo usque Sandini nomen pervenerat!

Idem electus ad patriciorum adolescentum institutionem, iisdem tradidit Ecclesiae historiam. Horum unus Romae emicuit romana purpura (2), Venetiis

(1) In epist. ad lectorem praemissa hist. Familiae sacrae;

(2) Carolus Cardinalis Rezzonicus Pontificis nepos,

alter fulsit patriarchatus honore (1), integerrimis uterque moribus. Quae porro ejus animi lenitas, mansuetudo, patientia! Nescio cui ex obtrectatoribus, qui exceperat eum acerbius, *Possum*, ait, *remordere, si velim; sed magis volo esse discipulus ejus, qui cum malediceretur, non maledixit* (2). Sententia sane digna christiano viro, cujus vitae regula et lex religio!

Religio erat prima Sandini cura. Religionis amore scripsit Disputationes, Historias, Vitas Pontificum romanorum, quibus, annotatione subjecta, inseruit illam B. Gregorii Barbadici (3), ut illi se praeberet gratum, et alios ejus amore incenderet. Ob religionem exercitam, vitam duxit labore assiduo, cui etiam forsitan tribuenda ejus mors praepropera. Hanc ille subiit ann. 1751, VII Cal. Mart. aetatis nono et quinquagesimo nondum expleto. Ab ingruente morbo superfuit paucas horas, sed ad ultimum hoc certamen se comparaverat tota vita. *Finis vitae ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit* (4). Hunc enim tunc ad eos propagarunt ephemerides litterariae (5), sed viri nomen ulterius semper ejus opera propagabunt.

(1) Fridericus Maria Giovanellius.

(2) In eadem epistola praemissa Hist. Familiae sacrae.

(3) Vide Benedicti XIII vitam annotatione 6.

(4) Tacitus in vita Julii Agricolae c. 43.

(5) Novelle della repubblica letteraria ann. 1751 pag. 72.

## ANTONII SANDINI OPERA

Dissertationes XII ex ecclesiastica historia depromptae. Patavii typ. Seminarii 1726 in 12.

Historia apostolica ex antiquis monumentis collecta. Ibid. 1731 in 8.

Historia Familiae sacrae ex antiquis monumentis collecta. Ibid. 1734 in 8.

Vitae Pontificum romanorum ex antiquis monumentis collectae. Ibid. 1739 in 8.

Disputationes historicae ad Vitas Pontificum romanorum Ferrariae ( *Patavii Typis Semin.* ) 1742 in 8.

Haec Sandini opera Herbipoli et Augustae Vindelicorum fuerunt edita: saepe autem Patavii typis Seminarii ab auctore retractata et aucta.

Discorso contro l'abuso di ammettere troppo tardi i fanciulli all'Eucaristia. Padova 1798 in 8.

# VITA
# ANTONII ZANOLINI

Calendis Maji, anno tertio et nonagesimo saeculi XVII editus est Patavii Antonius Zanolinus, litteratis quidem omnibus, sed amatoribus linguarum veterum praecipue carus. Parentes habuit Joannem Zanolinum et Annam de Carrariis, honesto genere utrumque natum. Annum quartum ac decimum is impleverat, cum hujus Seminarii alumnis adscriptus est, IV scilicet Calendas Decembr. ann. 1707. Institutus antea grammaticis praeceptionibus, statim coepit ad humanitatem politioribus litteris informari.

Plurimum memoria valuit; quaeque puer legerat vel audierat, senex meminerat. Erat peracri ingenio, flagranti studio, discendi aviditate inexhausta. His accedebat ingens corporis firmitas ac prope herculea, exantlandis quibuslibet vel improbis par laboribus. Hac tanta liberalitate naturae gaudens Antonius ceteris antistare solebat, praemia referre, mirum in modum progredi. Illud peculiare: quidquid discendum sibi proponeret, sive linguas, sive amoeniores litteras, sive scientias, in eo adeo excellebat, ut natus potissimum videretur ad illud; quem tamen ad omnia factum non sine admiratione testantur ipsius magistri,

Singularis tamen huic homini semper fuit ad orientalium linguarum studium propensio. His addicitur, cum versaretur adhuc in rhetorico ludo, si non temporibus illis novo, certe admodum raro exemplo.

Interim et philosophos audiit, et jurisprudentiam excoluit, nec omisit, quod ad elegantem eruditionem pertineret. Unum ac viginti annos natus, absoluto studiorum cursu, juris utriusque laurea donatur, nec abire e Seminario permittitur. Ubi hactenus auditor fuerat, praeceptoris exercere coepit officium, et ea primum tradere, quae ex consuetudine loci hujus a magistris junioribus tradi solent.

Cum jam anno 1720 Taurinum vocatur a sardo rege perhonorifice Josephus Pasinus orientalium linguarum in Seminario professor. Ad eas tradendas statim eligitur Zanolinus, quarum amorem, ut antea diximus, a primis annis imbiberat. Vix credibile, quae et quanta fuerit illius contentio. In hujusmodi studio assiduus erat et indefessus, nulla plerumque ratione habita vel importuni temporis, vel incommodi. Ad pluteum sedere solebat plures horas aliquando vel recens a prandio (quod valde noxium), nisi eum illinc scholae munus, vel alia res avocasset. Admittebat prorsus neminem zotheca inclusus, ut se oblectare pro lubito sine interpellatoribus posset. Totam etiam quandoque noctem, quin animadverteret, vel hiemis tempore insumpsit in haec studia, frigoris, somni, cibi potusque oblitus. Hinc tot pulcherrima monumenta, quibus optime et studiosae praesertim juventuti consultum, et dignitati linguarum. In his et multiplex, et exquisita eruditio. Quo anno singula prodierint, di-

cam post exitum hujus vitae, ne rem impediam. Quo in pretio fuerint, dicam nunc.

Lipsienses eruditi, quorum judicio exhibita fuerunt quaedam opera Zanolini ann. 1745, certatim effunduntur in ejus laudes. Eum nunquam nominant, quin ipsum praedicent virum doctissimum, politissimum, clarissimum, celeberrimum. Si quando ab ejus opinione recedunt, fatentur ipsi quae dicunt, se *uberiori* ejusdem *meditationi relinquere, et eidem, ejusque laudatissimo instituto se totos favere* (1). Loquuntur ibi de Grammatica institutione linguae syriacae ab eo confecta, Hanc, et lexicum syriacum cum annexa disputatione *de lingua syriaca, versionibus syriacis et maronitis* efferunt magnis laudibus. Rerum quae in ea continentur, summam ipsi exhibent, permoti, ut ajunt, *dignitate argumenti*. Tandem fatentur ingenue, *ita comparata esse omnia, ut plane persuadeant lectoribus, librum* sua *commendatione non indigere, sed propriis, quibus exsplendescit, virtutibus gratiam omnium ac singulorum haud difficulter initurum* (2).

Ex his intelligi potest, quid de reliquis Antonii operibus sentiendum sit: omnia enim ex eadem officina. Quare de illo homines passim loqui, omnes praedicare magnifice, de rebus his prae ceteris eum consulere, et ejus responsa excipere quasi oracula. Referam, quod ab eximio ejus temporis viro accepi.

Patavii non leve furtum patratum fuerat. Nomen

(1) Nova Acta erudit. ann. 1745 pag. 261.
(2) Ibidem pag. 264.

deferunt nescio cujus ex judaica gente, qui consors erat et socius criminis. Sed res difficillime cognosci poterat, Ne qui enim eam scirent, is obscuritatis latebram adhibuerat. Erant nimirum omnia notis rabbinicis valde implicita. Urbanus praetor ad se vocari jubet Zanolinum; rogat, num valeat scripturam legere et interpretari. Eamdem statim legit, et certam ejus interpretationem ostendit.

Neque solum hujusmodi scientia excelluit Antonius, sed etiam, et quidem plurimum, dicendi laude. Uno quasi tenore fluunt omnia, quae scribit, apta, numerosa, concinna. Ubique succus ille et sanguis incorruptus verae et ingenuae latinitatis apparet, ubique naturalis, non fucatus nitor. Hunc sibi adsciverat Zanolinus assiduo optimorum scriptorum usu et consuetudine. Solitus enim erat, licet tot aliis curis implicitus, quotannis studiosius legere latinorum auctorum principes, totosque percurrere. Jam vero, ut est in proverbio, qui ambulant in sole, necesse est colorari.

Ad poesin propensus, carmina feliciter exarabat, cum latina, tum aliis linguis. Prostant eadem in libellis, qui dicuntur vulgo *Raccolte*. Leguntur praeterea nonnulli latini versus admodum faciles et concinni, ab eodem praemissi disputationi *De Eucharistiae sacramento cum Christianorum orientalium ritibus in eo conficiendo et administrando*.

Vidi etiam non exiguum volumen epistolarum, quas ille latine scripserat. Utrum adhuc exstet, et apud quos, ignoro. Nondum certe, quod sciam, publicam lucem subiit.

Rinaldi orationes posthumas opportuno rerum in-

dice instruxit, et pulcherrima iisdem praemissa epistola ornavit. Riccii vero lugiensis opera locupletavit animadversionibus, synopsi, argumentis ac gemino indice copiosissimo, ad majorem eorum intelligentiam et studiosorum utilitatem. Plurima quoque contulit in editionem Hesiodi, Orphei et Procli, anno 1747 Seminarii patavini typis confectam (1). Callebat enim optime graecam linguam, et, ubi ferebat occasio, loquebatur graece. Sed omnia dicendo persequi difficillimum. Fuit enim ille, quamvis ingenio praestans, laborum patientissimus, quales plerumque non solent esse ingeniosi.

Atque hic tantus vir, cujus ingenium perspicax, scientia eximia, humanarum rerum, ut plurimum, videbatur ignarus. Loquitabatur cum pueris publice, cum infima de plebe hominibus. Homo simplex et plane antiquus. Plurimus vero sermo de rebus, quae deponi in aure qualibet tuto possunt. Quae quidem eo absurdiora videbantur, quo magis ab ejus externa specie abhorrebant.

Erat ille siquidem statura eminens, forma majestatis plena, et, ut ita dicam, imperatoria; nescio quid antiquitatis vestitu redolens; oculis, ore, vultu ad dignitatem compositus, ut ipso adspectu cuivis injiceret observantiam sui, et nominis celebritatem aequaret. In familiari sermone facundiae parum, in vertendis sacris Scripturis vivida verba, et omnino exprimentia.

Sua conditione contentus vixit. Ab illustribus Academiis magni factus, sapientibus viris notus, inter

(1) Novelle della repub. letteraria ann. 1747 pag. 211.

paucissimos insigni doctrina excellens, eximiis monumentis apud exteros etiam clarus, semper modestissime se continuit. Non ampliores honores petiit, non splendidas cathedras, non ampla stipendia. Tenuissima spe proposita, diurnis nocturnisque laboribus frangebatur religionis gratia. Hujus amore in tradendis orientalium populorum linguis vitam consumpsit, harum studium aliis inculcat (1), Pontifices earumdem fautores laudat, tum B. Gregorium Card. Barbadicum, qui iisdem et ipse auctus, Seminarium auxit patavinum (2).

Pietas solida vel a puero, jam tum praemio affecta. Religio sine fuco, sine artificio mores, non simulatio, non latebrae: apertus animus et plane ingenuus. In discendo docendoque exercitatio patientiae pertinax. Docuerat annos quinque et quadraginta circiter, cum repente III Cal. Martias ann. 1759 morbo corripitur, quem apoplexin vocant. Statim visus est a morte non longe abesse. Quare instrui coepit ad subeundum hoc ultimum christiano more discrimen. Morbus in dies remisit, ita ut e lecto surgere Antonius et ambulare potuerit. Dimissione obtenta, discessit e Seminario, stipendio aucto. Domum se recepit, ut reliquum vitae tempus transigeret inter suos. Cum diutius eum afflictasset morbi vis, tres circiter annos post ingravescens, XIV Cal. Martias oppressit hominem et exstinxit.

(1) In epist. ad lectorem, praemissa lexico syriaco.

(2) In epistola ad Benedictum XIV Pontificem Maximum praemissa eidem lexico.

Sic vir doctissimus, per se cognitus, sine ulla commendatione majorum, multis variisque perfunctus laboribus acquievit anno aetatis nono et sexagesimo nondum expleto. Corpus ejus elatum est, et in ecclesia parochiali S. Nicolai hujus urbis sepultum. Non parum damni fecere ejus interitu orientales linguae; quarum notitia nescio an in his regionibus tunc illo habuerit parem neminem. Magnum certe Seminario lumen ademptum est. Multam apud omnes inibit gratiam, qui illius jacturam et nomen reparabit.

## ANTONII ZANOLINI OPERA

Quaestiones e sacra Scriptura ex linguarum orientalium interpretatione ortae, ann. 1725 in 8.

Dissertationes ad sacram Scripturam spectantes, Joanni Francisco Cardinali Barbadico dicatae, ann. 1729 in 12.

Lexicon hebraicum ad usum Seminarii, Clementi XII dicatum, ann. 1732 in 4.

Grammatica linguae syriacae institutio ad usum Seminarii, Antonio Marino Priolo episcopo vicetino dicata, ann. 1742 in 8.

Lexicon syriacum, cui accedit disputatio de lingua syriaca, versionibus syriacis, et de Maronitis, quibus praecipue nunc lingua syriaca in usu est, ad usum Seminarii, Benedicto XIV dicatum, ann. 1742 in 4.

Lexicon chaldaico-rabbinicum cum Rabbinorum abbreviaturis. Accedit disputatio de targumin, sive paraphrasibus chaldaicis, thalmude, cabbala, commentariis Rabbinorum, et lingua chaldaica etc. ad usum Seminarii, dicatum Carolo Cardinali Rezzonico episcopo patavino, ann. 1747 tom. 2. in 4.

Ratio institutioque addiscendae linguae chaldaicae, rabbinicae, thalmudicae etc., Benedicto XIV dicata, ann. 1750 in 4.

Disputatio de Eucharistiae sacramento cum Christianorum orientalium ritibus in eo conficiendo et administrando, dicata Alphonso Zabborra ordinis S. Salvatoris procuratori generali, ann. 1755 in 8.

Haec omnia Seminarii patavini typis excusa.

Disputationes ad S. Scripturam spectantes de festis et sectis Judaeorum, cum ejusdem auctoris annotationibus, abbati Antonio Arrighio in Gymnasio patavino juris caesarei professori primario dicatae. Venetiis, ann. 1753 in 4.

# VITA

# JOSEPHI RINALDI

XVII Calendas Decembr. ann. 1697 natus est Patavii Josephus Rinaldus, parentibus Sebastiano Rinaldo, cive bergomensi et Angela Placentina, sorore Jacobi Placentini, in patavino Gymnasio theoreticae medicinae primarii professoris. Nondum decennis XII Cal. Novembr. ann. 1707 in patavinum Seminarium ingreditur, imbuendus primis grammaticae rudimentis. His ille diligentissime sese addixit, qua aetate alii plerumque ludis et otio indulgent.

Huic intentae curae accedebat facilis et constans memoria, laeta indoles et experrecta, perspicuum ingenium, et quaedam mentis maturitas aetatem praevertens. Hinc jam tum magistri coeperant quasi omen felicis illius progressus, ad quem et ipsi plurimum contulerunt. In primis enim rhetoricae exercitationibus praeceptore usus est Josepho Pasino; ducem vero habuit ad theologica Marcum Antonium Trivellatum. Utriusque nomen jam pridem fama vulgavit, et Seminarium grata recordatione prosequitur (1). Horum

(1) Vide utriusque vitam pag. 155. et pag. 166.

exemplo et praemiis, quae sua non semel industria retulit, excitatus, humaniorum graviorumque disciplinarum cursum cum laude absolvit.

Duos circiter ac viginti annos natus publicum de re theologica certamen iniit, quin ad subsidium quisquam haereret ejusdem lateri; et in sacro theologorum collegio, ut mos est, examen subiit, in quorum coetum cooptatus, ab eminentissimo Cardinali Georgio Cornelio episcopo patavino jussus est in Seminario fungi magistri munere. Utque erat eleganti ingenio, et ad litteras plane facto, studiis amoenioribus destinatur. Coepit itaque ad humanitatem clericos instituere, tum eosdem plenius excolere rhetoricis exercitationibus; post, ut ad majus theatrum, translatus est ad Academiam (1). Accidit per hos dies, ut Sebastianus Franzonus (2) a Seminario discederet, ubi rei litterariae curandae praeerat, Sufficitur Joseph in ejus locum, non in domesticorum oculis tantum, sed in totius etiam litteratissimae urbis adspectu positum. Quamdiu vixit, hunc ille tenuit, et ita tenuit, ut et optime suorum decessorum tueretur nomen, et redderet se spectabilem non modo aequalibus, sed et senioribus, iis etiam, quos praeceptores habuerat. Discipuli pariter ac magistri secum quodammodo in eo observando certabant. Tanta illi auctoritas! Hanc obtinuerat cum peculiari quadam existimatione eloquentiae, tum aequabili vitae constantia et gravitate; quam

(1) Vide annotat. pag. 116.
(2) Vide ejus vitam pag. 140.

comitati miscens et facilitate temperans, summis, infimis, mediis acceptus erat.

A nobis ille jampridem abiit, sed in orationibus formam sui reliquit expressam coloribus plane suis. Quae verborum elegantia! quae suavitas numerorum! Ubique nitidus et concinnus. Argumentorum vero delectus, sententiarum sanitas et utilitas pietatem hominis produnt ac religionem, cujus praesertim gratia se scripsisse fatetur ipse in epistola ad eminentiss. Carolum Cardin. Rezzonicum episcopum patavinum, cui suas orationes dicat. Qui eidem successit proxime in praefecturam, Laurentius Lorenzonus, duobus hisce versiculis ipsum pinxit:

*Quem legis eloquio suavem, cultumque, piumque,*
*Talis erat facie, moribus, ingenio.*

Et ad orationes quod attinet, quindecim editas ab ipso invenio ann. 1746 typis Seminarii patavini. Harum tredecim publice recitaverat in annua solemni studiorum Seminarii ejusdem instauratione. Ex duabus reliquis unam habuerat III Nonas Januar. ann. 1731 in sacro theologorum collegio patavino, ut eorum nomine Joanni archiepiscopo Minotto Othobono patavinae episcopalis cathedrae honorem gratularetur: alteram in ejus funere pridie Idus Decembr. ann. 1742 in aede cathedrali patavina. Utramque antea separatim ediderat, ac primam quidem dicaverat ipsi Joanni archiepiscopo, hanc ejus fratribus. Has omnes iisdem postea typis editas rursus video ann. 1757 cum aliis octo praeterea posthumis publice in Seminario habitis a Josepho, cum studiis ex instituto proluderet, et pari omnino laude conscriptis. Hanc alteram

editionem, quae omnes continet, promovit ejus avunculus Jacobus Placentinus, de quo hujus historiae initio, multae celebritatis professor. His praemittitur ab Antonio Zanolino viro clarissimo, et in Seminario patavino jamdiu linguarum orientalium magistro (1) latina epistola elegantissime scripta ad eumdem professorem.

Quo porro litteratis viris in pretio fuerint Rinaldi orationes, colligimus ex auctoris ipsius epistola ad lectorem, iisdem praemissa. Ait enim ille, tot a sapientibus viris admotos fuisse sibi stimulos ad eas edendas, *ut ne liberum quidem fuerit, sine pervicaciae nota, diutius reluctari*. Fuerint, opinor, isti, qui toties dicentem ipsum audierant, et lectissima corona ornaverant, publici scilicet professores et academici (uti ajebant) *Recuperati*, quos inter etiam Joseph recensebatur, et alii eruditi viri. At isti cives: quid exteri?

Litterariae ephemerides florentinae ad ann. 1746 de orationibus his commemorant, earumque nitorem, elegantiam, concinnitatem gratulantur auctori.

Eidem pergenti Romam ann. 1750, Faventiae, ut audivi, occurrit vir litteratus. Hic, utpote qui ejus orationes legerat, erat absentis maximus admirator, sed ipsum minime de facie norat. Ejus itaque adventu Patavio cognito, eum statim adit, rogat, nossetne Rinaldum, num is valeret, num alia scriberet, in ejus laudes effusus. Joseph de se, de rebus suis solitus

(1) Vide ejus vitam pag. 196.

numquam loqui, paucis admodum sese expediit. Mirari alter, ac propemodum subirasci, quod tam frigide responderet; cum jam admonitus ab itineris ejus socio, non sine admiratione intellexit, quicum scilicet loqueretur, esse illum ipsum, quem tantopere commendabat.

Is interim Romam venit, post Neapolim: utrobique, immo etiam in tota Etruria ab eximiis viris exceptus est honorifice: quod sane mirum, praesertim Romae, ubi, etiam quae magna sunt, assiduo usu prope vilescunt. Suas hic orationes Benedicto XIV exhibuit, de quibus cum laude Pontifex. Enimvero

*Principibus placuisse viris non ultima laus est* (1);

at tanto Pontifici insignis prorsus.

Quam vero splendide de iisdem senserint eruditi Lipsienses, quorum judicium subiere ann. 1748, patet ex publicis Academiae illius monumentis (2). Singularum primum exhibent argumenta, mox concludunt, ita omnes lucubratas esse, *ut neque puritas desit, neque ingenium vividius, neque alacritas atque ornatus* (3). Neque oratorem tantum earum auctorem vocant, sed etiam *philologum et philosophum* (4). Praeter editas orationes exstat epistola pulcherrima, qua ille lexicon hebraicum ab Antonio Zanolino ad usum Seminarii patavini confectum Clementi XII dicavit ann. 1732.

(1) Horat. l. 1. epist. 17. v. 35.
(2) Nova Acta eruditorum, ann. 1748 pag. 615.
(3) Ibid. pag. 618.
(4) Ibid. pag. 615.

Idem jussus ab eminentiss. Carolo Card. Rezzonico tunc episcopo patavino, Antonii Sandini, de historia ecclesiastica egregie meriti, sibique amicissimi, vitam scripsit. Naturalis ipse scribendi modus fidem legenti facit et clare ostendit, virum optimum a laudato viro laudari. Ex his omnibus magna existimationis accessio. Orationes non semel cusae, in illustres ille adscriptus Academias, a patavinis episcopis magni factus, sacris reditibus ab iisdem auctus, Cardinalium etiam epistolis honestatus, suis et exteris notus.

Sed de his hactenus: nunc de moribus, qui sane integri, liberales, honesti. Fuit enim perpetua vitae illius cum oratione consensio. Tam domi, quam in sociali congressu, politus Joseph et cultus; non multa tamen in familiari sermone facundia. *Omni diligentia munditiam, non affluentiam, affectabat* (1): ut videretur semper prae oculis habere illud, *Ne quid nimis*. Nihil ideo fucati in verbis, in vestibus, in capillis. Talis (liceat mihi ita loqui ad rem exprimendam, ut erat) talis omnino ornatus, qualem in dicendo postulat Quintilianus, *virilis* scilicet et *sanctus* (2). Decori amantissimus, et in eo servando diligens quam qui maxime. Dicam, quod animadverterint fortasse et alii. Quae vel communia, et parva, nescio quid dignitatis videbantur sumere ab ejus moribus.

(1) Nepos in Vita Attici cap. 13.
(2) Institut. lib. 8. cap. 3. n. 1.

Bibliothecam instruxerat multis, iisque optimae notae libris, non ad ostentationem ac pompam, sed ad suum et aliorum usum. Elegans in omnibus, non magnificus; splendidus, non sumptuosus. Aliis, quoad poterat, indulgens, sui censor severus, amicorum autem studiosus. Petentibus aderat, non petentibus etiam ultro occurrebat, ubi ejus opera indiguissent. Sibi parcus, largus in alios, praecipue in egenos, in eos prae ceteris, quos palam mendicare, et victum quaerere prohibet verecundia.

Vel ignotis eum commendabat naturalis quidam ingenuus pudor, ex ipso ejus vultu emicans, oculis ac fronte. Erat ille acerrimus sensuum custos, adeo ut aliquando videretur refugere etiam domesticorum adspectum. Magnifice de aliis praedicans, demisse omnino de se sentiebat. Quare sibi diffidens, sua quibusdam amicis legere consueverat, paratus eorum judicio eadem vel emendare vel tollere. Hoc quale sit, facilius judicabit, quicumque animadverterit indolem humanae mentis, quae impatiens superioris; unde illud:

*Qui velit ingenio cedere, nullus erit.*

Hac ille sentiendi de se modestia sibi omnium animos conciliaverat, arcteque devinxerat. Nemo illi obtrectabat invidus, nemo infensus. Illi ipsi, qui laudis aemuli, ejus erant laudatores: ad id non parum contulit etiam suavissima morum indoles, plurimum in eo laudanda. Erat enim natura aliquantulum irritabili.

Praefecti studiorum munus recte sustinuit plures annos. Ne quid praetermitteret, labori numquam pepercit, ad omnia promptus. Scholas frequenter idem invisere, illudque in primis cavere, ne quid novi;

tum omnia ex officio inquirere; ea tamen prudentia, ut non modo nihil offenderit, numquam incurrerit, sed etiam omnibus esset carissimus. Brevi: rem litterariam promovit studio, vigilantia, consilio.

Ejus pietatem ac religionem non multis persequar. Communis erat de illius probitate consensus. Erant enim in omnium oculis quae sapienter scripserat, agebatque praeclare. Ut aliis dignitate praestitit, sic exemplo praeluxit. Ad exitum vergente hieme an. 1755. Josephum letalis morbus oppressit: unde munitus est praesidiis ad ineundam aeternitatis viam necessariis. Mox cessit e vita, IV scilicet Non. Mart., octavum et quinquagesimum annum agens. Complorata ejus mors non a domesticis tantum, sed etiam a civibus, immo ab omnibus, qui eumdem noverant. De hac ephemerides litterariae non sine debito laudis praeconio (1). Qui vivens numquam passus fuerat se laudari, mortuus prohibere non potuit, quominus laudaretur. Id ejus affinibus et amicis non levi tunc solatio fuit; praecipue vero magna virtutis ejus opinio, et recordatio vitae anteactae.

Erit fortasse qui velit extimam quoque formam illius agnoscere. Fuit statura brevi, sed decora, lata fronte et explicita, naso aquilino (quod esse volunt acris ingenii indicium), colore inter album et rubrum, jucundo et grato adspectu. Satis id vel leviter indicasse, quod imitari neque licet, neque refert. Doctrina vero et virtus, praecipua illius ornamenta, imitationem efflagitant.

(1) Novelle della repub. letteraria, ann. 1755. pag. 112.

## JOSEPHI RINALDI OPERA

Orationes XIII pro solemni studiorum Seminarii patavini instauratione; quibus additae aliae orationes duae, una gratulatoria ad Joannem archiepiscopum Minotto Othobonum episc. patav.; altera in ejus funere, typis ejusdem Semin. ann. 1746 in 8.

Eaedem orationes additis VIII postumis, ibidem 1757 in 8.

Vita Antonii Sandini. Exstat haec initio *Familiae sacrae* ejusdem Sandini.

# VITA

# CLEMENTIS SIBILIATI

Ad meridiem Patavii occurrit vicus haud ignobilis Bubulenta, septem circiter millia passuum eadem ab urbe distans. Ibi ortus Clemens ann. 1719 IV Idus Februarias ex honesta familia, parentibus Jo. Baptista Sibiliato et Diana Alfonsi. Hi susceptum filium instituendum curarunt cum bonis moribus, tum etiam litteris. Erant enim probi, et satis fortunae bonis instructi.

Septimum annum Clemens supra decimum jam compleverat, cum ab exterioribus Seminarii patavini scholis in Seminarium ipsum translatus est, erudiendus rhetorica disciplina. Biennium in hanc insumpsit, ad philosophiam mox incubuit, tum ad theologiam, et utriusque gravissimas praeceptiones cum amoeniorum litterarum studio conjunxit. His ille plurimum delectabatur, praecipue vero poesi, cui erat in primis deditus: hanc excoluit tota vita.

Litterariae institutionis cursu confecto, eligitur in magistrum, et ex consuetudine Seminarii ad tradendam grammaticam destinatur, tum gradatim promo-

vetur ulterius, suoque munere egregie functus, rhetoricae provinciae addicitur, in qua traditos sibi alumnos exercuit non sine magno ipsorum progressu.

Hac porro utebatur docendi methodo. Ubi auctorum interpretationem susciperet, ad pleniorem intelligentiam aperiebat illorum mentem et ordinem rei ipsius: si quid offenderet, quod non obvium, non statim id explicabat ipse, sed explicandum et evolvendum suis auditoribus proponebat. Interrogabat singulos, quid sentirent, ut ita assuescerent periclitari suas vires. Nitebantur illi certatim assequi auctoris mentem, et introspicere. Pulcrum putabant videri ceteris acutiores.

Cum vero scribendum aliquid iis proponeret, edicebat ipsis, ut expoliendae et tornandae orationi instarent, nec quidquid temere et inconsulte effutirent. Ut fecunditatem in illis alere, ita garrulitatem coercere studuit impense. Quare aliquando iis praescribebat certum periodorum numerum, vel argumentum a se propositum cum iis et ipse texebat. Si cui ex discipulis prospere quid vertisset, id, audientibus omnibus, recitabat, iisque proponebat quasi exemplum: unde honesta illa inter eos ac nobilis aemulatio. Eidem autem maxime cordi erat optimorum scriptorum lectio atque imitatio. Ad hanc quotidie eos exercebat, ut plurimum ea proponens, quae nova ipsis accederent, et curiositatem incenderent.

His omnibus et adolescentes utilius progredi, et ejus nomen in dies clarere. Ad eum adibant viri illustres cum dignitate ac genere, tum doctrina, eique docenti intererant. Vidi egomet, cum ejus disciplina

instituerer, adesse prae aliis ipsum Petrum Grimanum Venetorum ducem, et in civili republica versatum splendide, et in litteraria honorifice; cujus mors defleta postea a Clemente, poetico quodam cantico.

Magna erat illius virtutis opinio, praesertim in re poetica, cujus specimen toties dederat. Nullus prope erat ex iis libellis, qui dicuntur vulgo *Raccolte*, in quo desiderarentur carmina Sibiliati, latina aut itala; multo tamen magis praestitit italis, quam latinis, et ea crebrius scripsit, faceto et gravi stilo, dissimili praeterea structura ac dimensione. Quidquid auderet, fere semper prospere et obsecundante natura. Id ille assequutus fuerat experrecto ingenio ac vivido, facilis ac firmae memoriae vi, assiduo usu ac studio, et accurata optimorum scriptorum imitatione. Florente aetate delectabatur Clemens illo praecipue poeseos genere, quod *Bernesco* dicitur. Venustum sane carminis genus! quod cum ad sermonis familiaritatem accedat, imitabile quidem facile videtur audienti, *sed nihil est experienti minus* (1).

*Speret idem, multum sudet, frustraque laboret*
*Ausus idem* (2).

Hoc usus feliciter admodum Sibiliatus; immo in hoc in primis excelluit. Opportunissimi eidem videbantur fluere sua sponte numeri; ut in epico quoque carmine, sive heroico, in quo sex primi versus alterni sibi invicem numerosa coagmentatione respondent, ultimi

(1) Cic. in orat. c. 23.
(2) Hor. de art. poet. v. 241.

vero duo similiter desinunt et cadunt; quod poetarum ingenia torquet et redigit saepe ad incitas. Apte admodum usus est etiam poeticis aliis modis, in his brevi illo epigrammate, quod appellatur *Sonetto*, quod omnes canunt: verum graculi longe plurimi, pauci cycni. Ceterum postremis annis, ne quid dissimulem, cum vellet doctius scribere, minus naturaliter scripsit; eo etiam forsitan, quod ex aetate exaruisset paullulum ejus vena. Sed hoc obesse non debet illius memoriae, quam tot alia commendant optime expressa.

Per haec coepit litteratissimorum virorum existimatione et consuetudine frui, Antonii de Comitibus prae ceteris et Algarotti. Atque hic cum *Georgica* Virgilii legeret, duo illi expedienda proposuit; quod admiratione non caret. Neque enim deerant, quos consuleret, magni nominis litterati viri. Hunc tamen adhuc juvenem litteratissimus ipse consuluit, cujus in judicando solertiam et eruditionem eximiam perspectam prorsus habebat. Rem in aperto posuit duabus italis epistolis Clemens, quas ille quidem delitescere voluit quoad vixit, alii vero post ejus mortem an. 1795 cum operibus Algarotti vulgarunt. Verum de existimatione, qua idem fruebatur, post: nunc de variis illius muneribus.

Itaque ex rhetorico ludo in bibliothecam traducitur, eique praeficitur. Repentina enim morte praereptus fuerat Antonius Sandinus, cujus nomen ad seram posteritatem extendent accuratissima, eademque pulcherrima relicta ab eo monumenta. Roma reversus est id temporis a gravissima legatione Carolus Cardinalis Rezzonicus episcopus patavinus. Eidem versibus gra-

tulatus est reditum Sibiliatus, plaudentibus viris litteratis (1).

Per eadem haec tempora Benedictus XIV Pontifex rebus gestis et scriptis Maximus, sua opera omnigena prope eruditione referta, ac Romae cusa, dono misit Seminario patavino. Ei omnium nomine, ut par erat, gratias egit praeclara epistola Clemens, quae ejusdem Seminarii typis tunc edita. Orationem quoque habuit in ejus funere, in cathedrali ecclesia hujus urbis, jussus ab eodem Carolo Cardinali Rezzonico, qui mox successit in regimen Benedicto. Haec Romam delata, et Cardinalibus in comitiis tradita, excepta fuit non tam approbatione, quam plausu, ut idem scripsit Cardinalis Rezzonicus ad Sanctem Veronesium (2), qui eum in tota dioecesi vicaria procuratione juvabat. Historiam quoque ecclesiasticam alumnis tradidit Seminarii. Sic multis magnisque litteris ad majora se comparavit.

(1) Novelle della repubblica letteraria, ann. 1752 pag. 57.

(2) Ea ejus verba: *Prima di tutto mi credo in dovere di render V. S. illustr. intesa dell' accoglimento, che ha avuto l' orazione del maestro Sibiliato, mentre so sarà di sua particolar consolazione. Le dirò dunque, che ne feci la distribuzione di due copie a tutto il sacro Collegio, di che ne ricevei non le dirò i ringraziamenti per il dono, ma universali gli applausi, che sono stati fatti all' autore, non meno per la saviezza, con la quale fu esposto il contenuto, che per la politezza della lingua latina: altri lodano il bell' ordine, altri lo stile terso, e tutti ne formarono dell' oratore un illustre vantaggioso concetto.*

Interim vertebat annus saeculi XVIII sexagesimus, cum Jo. Antonius Vulpius graecae tunc et latinae eloquentiae professor in publico patavino Gymnasio, famae celebritate clarissimus, missionem obtinuit ingenti non sine honore. Tum vero competitorum studia excitari. Aderant insignes litteris viri duo, Natalis Lastesius et Caspar Gozius, monumentis uterque clarus, uterque cum dignitate sustinendo tanto muneri plane par. Utrique anteponitur Clemens. Sic coepit non solum in hujus litteratissimae civitatis, sed etiam in totius Italiae luce versari.

Tum patuit, quae et quanta illi cognitio esset artis poeticae et oratoriae, quam ampla eruditio. Ad hanc pertinent, quae scripsit de comoedia, quae reliquit addenda lexico Forcellini; ejus animadversiones criticae in graecos latinosque scriptores, variae demum observationes in libros ab auctoribus ipsi exhibitos, tamquam optimo harum rerum aestimatori ac judici.

Tot vero latinae acroases ab eodem publice habitae, praesertim anno ineunte, perspicua sunt eloquentiae ipsius argumenta. In his quaerit, quid potissimum conferat ad dicendi vim tum acquirendam, tum etiam amplificandam; ad quae maxime vitia eadem hac aetate propensa sit, sive profana tractet, sive sacra; quas animi et ingenii dotes necessario prae se ferre debeat orator, ut bonus sit; et hujus generis alia. Omnia vero haec eleganter atque concinne; immo et quae fundebat ex tempore, ea exponebat latinitate, quae sola (ut animadvertit Joseph Fossatus in elogio, quod accuratissime et elegantissime texuit Sibiliato, unde haec accepimus) quae sola, inquam, posset o-

minimo refellere, quae de eadem latinitate scripserat Alembertius.

Negabat is (ita ferme Clemens in commentario de vita ac studiis Josephi Torelli (1)) negabat is *quempiam posse tam sero natum non improprie, incallide, invenuste Romulidum uti lingua. Qui quidem . . . tamquam alter Hermagoras a Tullio notatus, non quid ars, sed quid ipse potuit, exposuit*. Hactenus Clemens, qui cum studiis proluderet ann. 1767. oratione non minus concinna quam solida, dissolvit ad unum omnia: quae contra attulerat scriptor Gallus. Plures litterati viri, in primis Ferrius professor publicus Ferrariae in urbe, Clementem excitarunt ad acroasim hanc evulgandam, *ut non modo*, (ajebat ille (2)) *Italiam pervagaretur, sed Galliam quoque penetrans ad ipsius Alembertii manus accederet*. Hanc etiam delitescere Clemens voluit. Diutius cunctari solitus, multa inchoavit, pauca perfecit. Sed satis de illius eloquentia.

Quod autem pertinet ad poesin, non solum carmina feliciter, ut antea diximus, exarabat, sed funditus etiam noverat intimam vim poeticae artis, naturam, indolem, artificium. Id cum ex aliis aperte constat, tum ex ejus ingeniosa et erudita dissertatione (3), quam

(1) Commentarium editum fuit Oxonii ex typographeo clarendoniano ann. 1792.

(2) Epist. *pro usu linguae latinae*, Faventiae 1771.

(3) Argumentum propositum erat hujusmodi: *Se la poesia influisca sul bene della Società; e come possa essere oggetto della politica*.

praemio ornari sapienter jussit regia scientiarum et artium Academia mantuana. Exstat de illa judicium valde honorificum inter ephemeridas litterarias Pisis editas ann. 1771 (1). Eam legit Josephus II Romanorum imperator, et suspexit eruditissimi professoris ingenium; cui postea, Patavio transiens, non obscura praebuit suae hujus admirationis indicia. Illud praeterea eidem significavit, sibi fuisse gratissimum, quod audierat, eum scilicet celebrasse carminibus natalem diem Teresiae matris, imperatricis augustae.

Plerumque extemporalis erat ejus oratio ex cathedra; quod vitio tribui non debet homini affluenti multiplici rerum copia. Ad hanc latius explicandam alius illi insuper amplissimus quasi campus patuit.

Patavinae urbi jamdiu florenti artium bonarum cultu, unum adhuc deerat ad plenius litteraturae decus et incrementum. Non deerant sane scientissimi professores. Sed horum singuli singulas disciplinas colunt, suo muneri quisque intentus. Litteraria societas deerat, quae, ut in pluribus Europae partibus, communi bono consuleret communi cura, idque promoveret mutuis opibus et inventis. Hoc norunt, qui in tota Venetia studiis praeerant. Quare erigendam

(1) *Questa dissertazione è da capo a fondo un sottile ragionamento, elegante, tessuto di prove, di erudizione e di pensieri, cosicchè alla novità ed alla gravità del programma va del pari la fecondità e squisitezza dell' oratorio e filosofico ingegno dello scrittore di già rinomato per altre sue produzioni.* Giornale dei letterati Tom. III. Pisa 1771 pag. 309.

cerarunt novam scientiarum, litterarum et artium Academiam (1). In hanc inter alios adscribitur Sibiliatus. Tum vero suas ille intendere validius vires, quippe qui probe nosset, non utilia tantum ab Academicis peti, sed etiam nova (2). Minime tamen territus, ubi primum patuit publice Academia, primus omnium maxima in hominum frequentia legit. Magna enim exstiterat ex ipsa rei novitate curiositas. Magna etiam erat hominis exspectatio, quem primum legerant Academici ad rem difficilem ac novam.

Is itaque refellendam suscepit praeposteram nescio quam philosophandi rationem, non jam pridem in litteras vitio intrusam, bonis scriptoribus plane ignotam, quam quidam male interpretantes appellant *spiritum philosophicum*. Esse hunc ostendit litteris prorsus noxium, nec umquam posse cum iis coalescere, cum ab iisdem intimo naturae ingenio discordet. Idque evidenter et erudite. Nondum tamen ille contentus, opus postea refecit atque vulgavit. Edita dissertatio venit in manus Cl. Meriani, ex regia berolinensi Academia. Hic in eodem argumento versatus fuerat; candide tamen professus est, se a Clemente vinci. Eum sibi praeripuisse dicit, quae ipse cogitaverat, neque

(1) Erecta fuit ex decreto Senatus, die 18 Martii ann. 1779.

(2) *L' Università esige meno dell' Accademia; poichè in quella s' insegnano agli alunni le cose non nuove, e queste si hanno a lasciar fuori della soglia dell' Accademia, quando vi si ha da entrare*. Ita Clemens in quadam epist. ad Xaverium Bettinellum X Cal. Mart. ann. 1791.

scripserat; sibi tamen in eo placere, quod inciderit in ejus sensa (1). Ingenua confessio, et Sibiliato perhonorifica!

Inter dissertationes editas a regia Academia patavina sunt etiam aliquot a Sibiliato confectae; occurrunt insuper nonnullae italicae illius epistolae in collectione quadam epistolarum, duobus voluminibus comprehensa Venetiis edita ann. 1795 et 1796, et aliae in operibus Xaverii Mattei; tum latina epistola ad Lavagnolum, celebrem Virgilii locum illustrans. Pluries dixit de extemporali eloquentia, ad quam statuerat, si vixisset, quosdam juvenes domi instituere. Quae dixerat, volebat in lucem mittere. Irritum plane consilium fuit. Etenim natura insatiabilis, semper aliquid perfectius desiderabat. Cogitabat etiam multa reficere ex iis, quae scripserat, quod eadem sibi minime satisfacerent (2).

Habuit insuper pingendi non mediocre studium vel ab aetate ineunte. Diligebat etiam impense musicam, et musicum instrumentum pulsabat, non aliquo magistro, sed natura sola institutus. Vallotti, insignis in arte musica, amicitiam coluit, et amore prosequebatur qui excellerent artium bonarum cultu. Hinc magno ab aliis habebatur et ipse in pretio. Si quid alicujus mo-

(1) Vide ejus elogium a Josepho Fossato editum, pag. 22.

(2) Plurima edidit tum ligata numeris, tum soluta; et alia quidem separatim, alia operibus aliorum nexa, latina et itala. Quae vero nondum edita, exstant apud heredes. Utinam aliquando non pereant!

menti accideret, de quo dicendum esset, ad eum confugiebant.

Eloquentissimo Marco Foscareno Venetorum duci funera parabantur solemnia. Statim Sibiliati vox expetita, ut immortalem virum pro dignitate laudaret. Cessit ille oneri pariter et honori. Ut inserviret tamen laudi amplissimi Maecenatis, cui se maxime obstrictum noverat, opusculum edidit pulcherrimum de eloquentia Marci Foscareni, nepotibus illius dicatum. Postremo instructis magnifice a republica veneta parentalibus Angelo Emo rei nauticae instauratori, deposcitur orator Clemens, ad majus ornamentum et decus funeris. Sed ille splendido oblato muneri se subtraxit; forsitan quod aetate nimium progressus esset. Decessit enim non multo post.

Ut ut tamen res sit, certe magna erat ejus praestantiae opinio apud viros etiam litteratos. Nimius essem, si vellem singulos nominare. Neque enim fuit ab iis tantummodo magni factus, quos socios habuit cum in Academia, tum in publico patavino Gymnasio, praecipue a Cl. Cesarotto in eruditissima epistola ad Deninam (1); sed a remotis etiam, et exteris. In his occurrunt Bettinellus, Salander, Torellus, ab adolescentia eidem singulari amicitia junctus. Occurrunt Mattei, Andres, Albergatus, Pacciaudus, Fabronius, omnes litterarum gloria praestantes. His adde Algarottum et Antonium de Comitibus, de quibus antea. Hi Sibiliati fautores fuere, prae ceteris Fabronius, cu-

(1) Pag. 65. et 119.

jus hoc locuples testimonium in vita Joannis Antonii Vulpii. *Addemus* ( inquit ) *fortunatissimum nos putare Gymnasium patavinum, quod hac nostra aetate ( non lubet antiquiores nominare ) tres habuit humaniorum litterarum magistros, Lazzarinum, Vulpium, et qui huic successit, Sibiliatum, de cujus amicitia, dum vivam, gloriabor; qui pares omnibus magnis viris, quos exterae nationes nimium arroganter interdum jactant, et multis etiam superiores existimari possunt* (1). Haec Fabronius. Praeterea cum Roberto, Pompejo, Frugono, Ferrio, Caspare Gozio, cumque aliis litteratissimis viris, immo cum Maphejo, Apostolo Zeno, Metastasio, tota Europa celeberrimis, mutuum Clementi fuit epistolarum commercium, quibus continetur eximia et multiplex eruditio. Eadem apud patricios venetos fruebatur fama. Idem laudatus ab ephemeridum rei litterariae scriptoribus, ornatus ab academiis, principibus viris cognitus, Episcopis, Cardinalibus, summis Pontificibus. Adeo claruit Clementis nomen! eo pluris habendum, quod ipsum commendabant boni mores, de quibus breviter nunc.

Fuit itaque animo liberali et ingenuo, non simulato, non tecto; societatis amicus, laeta indole, aperto non modo sermone, sed etiam vultu, in deligendis amicis sagax, in colendis diligens, in excipiendis omnibus ad se adeuntibus plane humanus. Frequentabant autem non pauci ejus domum, non tantum juvenes di-

(1) Vitae ital. doctrina excell., Tom. XIII pag. 284, 285.

scendi cupidi, sed etiam viri. Utrisque quoties ejus opera indiguissent, praesto erat consilio pariter et scripto. Pleraque ex iis, quae scripserat, latere maluit ( ut antea diximus ), quam typis edere, non solum, quod hominum judicia extimesceret, sed etiam quod sentiret de se demisse; nec litteratis viris ipsum ad id hortantibus cessit. Multa vero edidit, suum nomen anagrammate involvens. Suis obtrectatoribus non respondit licet lacessitus.

Pecunia abundabat, ei tamen minime addictus erat. Hac multorum largiter sublevavit inopiam. Beneficum vero in primis se praebuit cuidam familiae, quae Patavium se receperat a Gallia extorris. Eidem statis temporibus, quamdiu vixit, numerare solitus erat certam nummorum vim, ut pro vitae suae conditione posset honeste degere. Plurimum quoque subsidii contulit in pios usus.

Nec unquam cessabat, quamvis quotidie surgeret bene mane. Domestico inclusus cubiculo, etiam postremis annis se se oblectabat assidua lectione, scriptione, commentatione. Nihil temporis patiebatur inutiliter sibi elabi, quam maxime infensus otio. Adeo autem nonnunquam erat in rerum cogitatione defixus, ut loquentes minime audiret.

Ad religionem quod attinet, vehementer afficiebatur ille ejus studio, quin immo sensu, de eadem identidem loqui solitus. Ab iis abhorrebat, qui in hoc non bene audirent. Pati non poterat juventutem ad eos accedere, eamque ab ipsis avocare tentabat cura ingenti, ne eorum consuetudine, integra depravarentur ingenia. Aliquot praeterea libros in italam linguam

vertit ex gallica, studio religionis, in quam propensum se ostendit et suis carminibus. Ob eamdem causam sacras etiam scripsisse dicitur orationes, quae cultis in locis multa cum laude exceptae. Erat illi (ut ajebat ipse) vel ampla eruditio, nihili, si a probitate disjuncta; probitas vero in pretio, vel expers litteris. Fuit porro ejus vita cum oratione consentiens.

Seminarium optime florere cupiebat, praesertim moribus, ejusque decus semper in majus provehi. Ipsum non raro adibat, praecipue bibliothecam, et litterariis exercitationibus, quae in eo publice haberi solent, intererat, eidem maxime addictus.

Usus fuerat prospera valetudine usque ad ultimum vitae tempus, cum derepente laborare coepit ex dissolutione membrorum. Dolebat, suo se non posse in posterum fungi munere; divinae tamen voluntati prorsus acquiescens, doloris vim temperabat. Aliquot menses cum eo luctatus, ad extremum victus Patavii occubuit XVI Cal. Mart. ann. 1795 vitae sexto ac septuagesimo vix completo.

Acerba pluribus ejus mors, quam deflevit concinnis et elegantibus epigrammatis Franciscus Pimbiolus de Engelfreddis obstrictus magnopere Sibiliato, cujus imaginem noscere volentibus hic subjicio. Fuit ille *decentior*, *quam sublimior* (1), capillo nigro, lata et exporrecta fronte, vividis oculis, modice inflexo naso, tota corporis conformatione decorus. Joannes Baptista fratris filius, heres rei ejus domesticae et litterariae,

(1) Tacit. in Agric. cap. 44.

eidem sepulcrum posuit in interiore vestibulo ecclesiae presbyterorum congregationis oratorii S. Philippi Nerii, quorum amantissimus Clemens. Sepulcri titulus est hujusmodi:

CLEMENTI . SIBILIATO
PRESBYTERO . PATAVINO
HVMANIORVM . LITTERARVM
IN . PATAVINO . GYMNASIO . DOCTORI
SCRIPTIS . EDITIS . CLARISS.
VIXIT . ANN. LXXVI.
DECESSIT . XVI. KAL. MAR. ANN. CIↃIↃCCVC.
IO. BAPT. FRATRIS . FILIVS
PATRVO . BE. ME. F.

Haec habui, quae dicerem de tanto viro, cujus litterariae institutioni plurimum me debere profiteor.

# VITA

# JO. FRANCISCI BARBADICI

## CARDINALIS

Inter eximios viros, qui Seminario huic ornamento fuere, principem locum tenere debet Joannes Franciscus Barbadicus B. Gregorii, olim Patavinorum episcopi, fratris filius. Is enim hoc ipso in loco a prima aetate patrui sui sanctissimis legibus institutus fuit (1), ac licet scriptis editis non claruerit, aliis tamen laudibus supra ceteros longe eminuit; unde magnum ac prorsus novum patavino Seminario decus accedit. De eo igitur nunc breviter. Erit id debitum grati animi testimonium in eum, cui Seminarium ipsum se totum omnino debet.

Joannes Franciscus Barbadicus III Cal. Majas ann. 1658 natus est Venetiis, parentibus ex patriciorum ordine nobilissimis, M. Antonio Barbadico D. Marci procuratore et Clara Duodo. Ibi patria in domo edu-

(1) Cordara vita del B. Gregorio Card. Barbarigo P. II. cap. 6. Ricchinius de vita et rebus gestis B. Gregorii Barbadici lib. 2. c. 8.

catus ad consuetudinem civitatis et religionis praescripta primis litteris imbui coepit. Post inter Alumnos Seminarii patavini descriptus est; et quamvis inter delicias ortus, vitam egit cum clericis laboriosam, totum se ad instituta hujus loci accommodans. His religiose adhaerens liberales abunde hausit disciplinas ac morum scientiam, quae illis praeire debet. In utroque studiis valde progressus magnarum rerum fundamenta jecerat, cum in patriam rediens reipublicae se se addixit. Explorata et cognita illius sollertia, ad amplum magni, ut ajunt, Sapientis munus adscisitur, ac non semel designatur orator ad Ludovicum XIV Galliarum regem.

Sed ille alio spectabat a Deo vocatus. Quare posthabitis terrenis curis, clericalem militiam statim amplexus est. Brevi in primicerium aedis marcianae eligitur, post extollitur ad altiores quosque ecclesiasticae dignitatis gradus. Ab Innocentio XII ann. 1697 subrogatur Petro Leonio Veronae antistiti vita functo; anno autem 1714 a Clemente XI brixianae ecclesiae praeficitur, ab eodem sex annos post Cardinalis creatus die 29 Novembris ann. 1719 (quod quidem anno tantum sequente innotuit pridie Cal. Octobris), et ab illius successore Innocentio XIII ann. 1723 ad episcopalem patavinam sedem transfertur. Sic plures Pontifices in illo ornando secum, ut ita dicam, certarunt.

Ubique ille in pastorali cura obeunda fideliter inhaerere vestigiis statuit a patruo impressis ad immortalem memoriam temporis. De optima in primis clericorum institutione sollicitus iisdem invigilabat at-

tente ; solitus ad sacros ordines promovere , sacro monialium ac populorum regimini praeficere non nisi pietate ac scientia praeditos. Hanc promovit fovendis privatis disputationibus ac publicis, theologicis, physicis , academicis et aliis pertinentibus ad mores, ad canones , ad historias, clericorum bono et publico. Pastoris sollicitudine incensus suscepit longa itinera, ut traditas sibi oves cognosceret et pasceret sacro eloquio. Harum amore obiit loca propemodum inaccessa, et plane inhospita. Aegrotis, praesertim morti proximis, in valetudinaria etiam domo, contempto quocumque vitae periculo, sacramenta suis ipse manibus administravit.

Legit viros doctos, prudentes ac probos, eosque apostolico more jussit circumire urbes, castella et pagos ad populos erudiendos. Autumnalibus autem feriis mos illi erat peragrare vicos, et animas venari; quaeque ad aeternam salutem pertinent, accommodato sermone exponere. Amplas Patavii instruxit aedes, in quas recepti caelestia tantum inquirerent, abjecta rerum terrenarum cura. Eodem consilio, cum esset Brixiae episcopus, palatio suo suburbano adjecit quasdam cellulas, in quas certo tempore, cum urbis licentia fureret, magno clericorum et virorum etiam nobilium comitatu, solebat idem secedere ad divini Numinis veniam exorandam (1). Qui quidem usus in aliis urbis

(1) Brixia sacra pag. 402. Vide etiam epistolam Muratorii ab eo praemissam libro, quem sic inscripsit: *Esercizj spirituali*.

agrique locis viguit non sine ingenti animarum fructu. Mirus ardor pietatis ac religionis excitandae, custodiendae, propagandae! Huic debentur tot ejus piae institutiones, magnifici sumptus, assidui labores.

In litteratos praeterea viros munificum, in pauperes vero effusum se praebuit. Hos opportunis subsidiis invitatos diebus festis volebat cum aliis interesse in templo christianae catechesi, quam sedulo et ipse obibat, importunis etiam horis ac tempestatibus, ut parvulis petentibus panem frangeret. Brixiae scholam praeterea ad peculiarem inopum institutionem adjecit. Quae hactenus, ejus pietatem et largitatem ostendunt; quae mox, etiam magnificentiam.

Mariam Casimiram invictissimi Joannis III Poloniae regis viduam ea magnificentia Veronae excepit, quae decet virum principem. Gregorii Barbadici patrui sui promovit cultum publicum cura et pecunia ingenti. Episcopos accitos ad exercendas de more quaestiones eodem tempore non uno in loco excepit omnino splendide et liberaliter. Cumque obtinuisset decreto almae Curiae romanae (1), ut ejus (qui rite titulo *venerabilis* auctus fuerat), ut ejus cadaver sepulcro erutum, et a constitutis judicibus repertum adhuc specie integra reponeretur loco digniore, sumptibus non pepercit, ut id ea honorificentia fieret, qua fieri posset maxima. Tabulam marmoream pilae ecclesiae cathedralis insertam et ornatam circum undi-

(1) Vide Sandinum in annotatione 6. ad vitam Benedicti XIII Pont. Max.

que Cardinalatus insignibus artificiose elaboratis et insculptis in onyche, poni voluit ad ejus tumulum cum accurata inscriptione. Et ad majus ejusdem sui patrui decus, vulgandam curavit suae gentis historiam ( quae tamen biennio tantum post ejus obitum in lucem exiit (1) ), additis imaginibus magnifico sumptu (2), ac prope regio. S. Zenonis scripta Veronae antistitis ab Augustino Valerio antea edita rursus edi splendidius jussit. Et ecclesiae veronensis historiam ab eruditis viris conscriptam jussu suo per typos publici juris fecit; ut etiam S. Gaudentii et aliorum episcoporum brixiensium opera novis annotationibus aucta (3), quae post in collectione veterum patrum brixianae ecclesiae splendide emisit eruditissimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus Brixiae episcopus.

Sacra virginum coenobia aedificavit, et annuis praeterea reditibus stabilivit. Seminaria partim refecit, partim amplificavit; Patavinum auxit nobiliter, magnifica praesertim exstructa aula libris continendis addicta: ejusque regulas servari voluit accuratissime.

Qui de omnibus magnifice cogitabat, de se admodum demisse. Cardinali Carolo Augustino Fabrono eum adhortanti, ut pateretur, se nominari episcopum brixiensem; tunc enim facilius ipsum ad sacram purpuram evehi posse; obstitit constantia singulari; nec

(1) Typis Seminarii patavini 1732 in fol. max.

(2) Vide Acta eruditorum lipsiensium ad annum 1735 pag 1.

(3) Prodiere Patavii typis cominianis anno 1720 in 4.

antea cessit, quam summus Pontifex eum deterruit imperio religionis (1). Bis Romam se contulit ad vaticana comitia celebranda; primum cum Innocentio XIII, post cum Benedicto pariter XIII traditum est regimen gentium christianarum. Omnium sibi devinxit animos moribus mitissimis, et ad pacem propensis. Repentinam paene mortem Patavii oppetiit oppressus rheumate VI Cal. Februar. an. 1730. Suum corpus sine titulo condi voluit communi episcoporum sepulcro, ut antea jusserat, et eo loco poni, in quo tamdiu quieverant venerabilis sui patrui ossa. Robusta et ampla oratione, quae postea edita (2), laudatus est a Sebastiano Franzono studiorum Seminarii patavini praefecto, die trigesima Januarii in cathedrali aede hujus urbis. Is ad exitum ejusdem orationis hanc exhibet Joannis Francisci imaginem, quam subjicio.

» Hae, inquit, nostri Antistitis et amplissimi prin-
» cipis fuere virtutes, pastoralis muneris partes tran-
» quillo semper et hilari obire vultu: nullis neque iti-
» nerum, neque tempestatum minis cedere, non hor-
» rida montium cacumina, non perplexos vallium an-
» fractus pertimescere; non aestu, non frigore, non vi-
» giliis, non ceteris incommodis concuti, ut gregi suae
» fidei potestatique concredito sedulo provideret ».

(1) Brixia sacra pag. 401. De thiara et purpura veneta pag. 295. Decad. VI. Franzonus Orat. in funere Joan. Francisci Barbadici. Cardella Memorie storiche dei Cardinali Tom. VIII pag. 184.

(2) Patavii typis Joan. Bapt. Conzatti ann. 1730 et 1737 cum aliis ejusdem orationibus.

# VITA

# JOANNIS BASSI

Joannes Bassus III Non. Septembris ann. 1680 ab Andrea et Candida honestis parentibus ortum traxit Dauli Patavium inter et Venetias Medoaci ad ripam positi. Quindecim annos natus Seminarii patavini alumnis adscriptus fuit Idibus Octobris, et studiis humanitatis addictus. Commendabatur celeritate ingenii et perspicacia, facilitate memoriae et firmitate, assidua et intenta cura; quare non mediocrem jam tum excitavit exspectationem sui. Politioribus litteris laudabiliter percursis, philosophiam ac jurisprudentiam excoluit. Ac de rebus quidem philosophicis in magna litteratorum virorum frequentia disserens iisdem magnopere satisfecit, eminentissimo in primis principi Cardinali Cornelio episcopo patavino, a quo propterea fuit praemio ornatus. Post ad sacram incubuit theologiam, ac simul se exercuit in mathematicis, ut etiam antea.

Interim aliquandiu domi mansit sua, ut opinor, coactus invaletudine; semper tamen Seminarii scholis interfuit: ubi etiam docuit philosophiam, qua valebat

plurimum, uti constat ex ejus ipsius epistola, seu potius dissertatione praeclara, quae publici juris facta anno 1713 typis ejusdem Seminarii patavini, et inserta operibus celeberrimi Antonii Vallisnerii (1).

Hac evidenter demonstrat, quae ab Aristotelicis afferuntur, ut probent, animalia quaedam sine semine sponte nasci, esse prorsus infirma, nec valere quidquam, imo ipsis eorum doctrinis destrui (2). Multa hinc transcripta invenies in opere, quod inscribitur, » Il Giornale dei Letterati d'Italia (3)». Memini etiam me audisse jamdiu, eum latinorum auctorum intelligentia, et eosdem interpretandi solertia praestitisse. Idem aliquandiu administravit rem domesticam Seminarii patavini : quae laus eruditis viris non admodum familiaris.

Vicetiam postea contendit ad regimen Seminarii illius capessendum. Quae fuerit illius praestantia in difficili obeundo munere, discimus ex Facciolo, cujus testimonium plurimi habendum. Ipsi enim proxime successit in idem munus, unde facile potuit hominem habere cognitum. Quaeque de illo scripserat, publice dixit, adstantibus civibus vicetinis, quibus quaelibet

(1) In lib. cui titulus : *Nuove osservazioni ed esperienze intorno alla storia medica e naturale* pag. 130.

(2) Haec itala dissertatio sic inscribitur : » Lettera del » sig. dott. D. Giovanni Basso, nella quale fa con evidenza » vedere, che le ragioni speculative degli Aristotelici intor- » no ai nascimenti spontanei sono vane ed insussistenti nel » loro sistema ».

(3) Tom. XV pag. 135.

Bassi laus perspecta prorsus et manifesta. Is igitur in oratione, quam primam apud eosdem habuit in nova studiorum instauratione, hujusmodi elogium texit optime merenti suo decessori (1).

» Acerbo sane et calamitoso fato hujus Seminarii » regimini ille ereptus est (Bassus scilicet) qui ad » id aptus videbatur unus, qui ita utilem huic loco » navavit operam, quo erat ingenio, qua prudentia, » doctrina blandaque natura, ut quantum ego homi- » num notitia valeo, illo e vivis sublato, nemo unus » mihi videatur eam calamitatem fuisse plene et o- » mnibus numeris reparaturus » . Et paulo post de eodem. » Cujus, inquit, vel ipsum nomen ad laudis » cumulum satis arbitror » . Bassus finem vivendi fecit, cum illud Seminarium florens magni incrementi spem exhiberet (2), ad quod plurimum et ipse contulerat. Ejus mortem tulere graviter vicetini Seminarienses in primis, eamdem prosequuti magno dolore et multis lacrimis.

(1) Hanc cum aliis duabus edidit typis Seminar. patav. 1747 in 8.

(2) Novelle letterarie dell'anno 1748 pag. 51. Mazzuchelli Scrittori d'Italia Vol. II P. I pag. 535.

# VITA

# JOANNIS OLIVAE

Joannes Oliva politiorum litterarum cultu praecipue clarus, Rhodigii natus est anno 1690 mense Julio. Sexto decimo aetatis suae jam completo, XII Cal. Novembris inter patavini Seminarii alumnos describitur imbuendus primis artis rhetoricae rudimentis. Erat ille moribus probis, eleganti ingenio et perspicaci, pollebat etiam facilitate memoriae, et multa, quae ingenium promovet, industria. Amoenioribus studiis expolitus ad excipienda philosophorum dogmata accessit, tum sacrae Scripturae operam navavit, mox ad Academiam translatus, se litteris rursus dedit, in primis poesi, ad quam ferebatur natura.

Quadriennio elapso e Seminario discedens in patriam rediit. Ibi Philippo a Turre episcopo adriensi, viro litteratissimo se se addixit, ludumque aperuit, in quem excepit quosdam juvenes ex nobilibus urbis illius familiis, inter hos Philippi nepotes, litteris erudiendos. Utque ipsos magis incenderet ad studia, eorum institutioni orationem praemisit maxime vividam et plenam sincerae et incorruptae elegantiae, ut affirmat vir doctissimus Hieronymus comes canonicus de

Silvestris, apud quem eadem remansit inedita cum pluribus aliis ejusdem scriptis, eruditis praecipue epistolis (1).

Post sacerdotio jam initiatus et doctoris laurea insignitus, Acelum se contulit, ut ibi fungeretur publici praeceptoris officio, quod illi fuerat oblatum. Quam gratus civibus iis acciderit Joannis adventus, colligimus cum ex ipsorum peculiari in eum observantia ac studio, tum ex assignato eidem annuo stipendio valde honorifico. Constat id ex quadam epistola (2) ipsius Olivae ad eruditissimum virum Camillum comitem de Silvestris, patruum Hieronymi, de quo paulo ante. Tunc ille coepit traditum sibi munus urgere. Non tamen ita occupabatur hoc uno, ut non posset etiam ad alia incumbere, quia propositae rei deesset. Quare statuit suae solertiae specimen dare. Est enim maxima commendatio nobilitas praeceptoris.

Erat apud Gallos et Italos magno in pretio liber, qui celeberrimum virum auctorem jactat Claudium Fleury. Ejus titulus ita gallico sermone exprimitur: *Traité du choix et de la méthode des études*. Ut hunc Joannes familiarem et illis redderet, qui ignorant linguam gallicam, ipsum itala lingua exposuit, dicavitque praemissa epistola Fortunato Mauroceno episcopo tarvisiano, cujus virtus cum dignitate certabat.

(1) Lettere erudite del Facciolati al co. Cammillo Silvestri lib. 1. p. 36. not. 6.

(2) Continetur haec in epistolarum collectione Venetiis edita ann. 1795 sub hoc titulo: *Epistolario* Tom. I pag. 25.

Liber editus est Venetiis (1). Qui de litteratis iis viris scribit, quorum praestantia floret Italia (2), de Oliva splendide et de Acelanis, quod eum elegerint ad suae juventutis institutionem.

Tam prospero rei successu crevit illius alacritas ad novos labores postea subeundos. Tempus non longe aberat, quo debebat studiis ex instituto loci prolude-re. Hinc quanta maxima diligentia potuit, aggressus est latinam orationem scribere ibidem habendam publice. Praevidebat enim praeter Acelanos ex finitimis etiam oppidis ac locis plurimos curiositate permotos sibi dicenti affuturos. Nondum siquidem ipse prodierat. Tum primum facturus erat sui periculum. Ut omnium exspectationem impleret, non pepercit contentioni. Exitus votis par. Elegantem orationem habuit et valde eruditam *Ad Cives acelanos, de numorum veterum cognitione cum historia conjungenda*, eique, Venetiis editae (3), praemisit epistolam *ad Triumviros rei acelanae constituendae, ac tres Gymnasio acelano praefectos*, in significationem sui in illos obsequii et grati animi (4).

Anno post, aliud argumentum sibi proposuit ex antiqua eruditione depromptum, de quo multa cum lau-

(1) Typis Joan. Manfrè ann. 1716 in 12.

(2) Giornale dei letterati d'Italia Tom. XXVII art. 12, pag. 472.

(3) Typis Jacobi Thomasini ann. 1717 in 8.

(4) Giornale de' letterati d'Italia Tom. XXVIII art. 2, pag. 466.

de ephemerides litterariae (1). Hoc ita enunciatur : *De antiqua in romanis scholis grammaticorum disciplina, Dissertatio ludicra*. Ea completam quandam et absolutam historiam continet methodi, ordinis, disciplinae tum intimae, tum externae in scholis grammaticorum veterum usurpatae. Lipsienses academici accuratam synopsim exhibent (2) hujus dissertationis, quam auctor adspersit multo sale. Eadem nomen Antonii Vairae episcopi adriensis ostentat in fronte. Sic dissitas etiam urbes Olivae fama pervasit, novo hoc tentamine clarior facta.

Ille interim invitatur ad omnium bonarum artium parentem Romam. Ne nos pigeat euntem prosequi. Roma majus illi theatrum aperit, in quo spectetur. Ibi Josephi Mariae Feronii ornatissimi et eruditissimi praesulis exceptus domo litteratorum virorum coepit consuetudine frui, in primis Joannis Mariae Lancisii Clementis XI Archiatri, quem ipse tertium ab Hippocrate et Galeno artis medicae lumen vocat totius Europae clarissimum (3). Hic illum deduxit novum hominem ad Pontificem, quo regnante, collis quirinalis evaserat arx sapientiae. Tunc illum Pontifex explicata fronte intueri, appellare humanissime, percunctari de rebus variis, hortari ad studia impense. Sua

(1) Giornale dei letterati d'Italia Tom. XXXI art. 13. pag. 463.

(2) In supplem. ad Acta eruditor. lips. ann. 1721 T. VII pag. 518. De eadem Dissertatione mentionem facit Hieronym. Tirabosch. Storia della letteratura italiana P. III l. 5. c. 1.

(3) In Epistola ad F. Antonium Cloche.

is sponte flagrans his stimulis vehementius exarsit cupiditate discendi. Hac incitatus, bibliothecas, quibus urbs refertissima, adibat, saepius vero casanatensem inter bibliothecas totius Italiae principes valde celebrem.

Accidit per haec tempora, ut idem Clemens dignitati animum parem gerens eamdem jusserit in majorem longitudinem splendoremque restitui. Tum solo aequari aedificia quaedam minervitano coenobio proxima, ad augenda ingentia illius bibliothecae spatia. His fossionibus detectum marmor Isidi sacrum, quod praeferebat figuris distincta elegantissime quatuor latera. Id contemplatus Joannes exposuit breviter quae sentiret. At rogatus a sapientissimis patribus bibliothecae praefectis sententiam suam uberiore sermone explicuit. Sic oblata eidem occasio fuit suae eruditionis prodendae opusculo illo, quod Romae prodiit (1) dicatum F. Antonino Cloche, totius dominicanae familiae generali.

Et multa et varia in hujus lapidis explicationem Oliva ex abdita antiquitate congessit. Rem totam perfecit exiguo spatio temporis, et vulgavit. Ejus operis honorifica mentio fit ab ephemeridum rei litterariae scriptoribus (2). De eodem effusius eruditi lipsienses, quorum judicio exhibitum ann. 1720. Immo ejusdem quasi summam conficiunt, et eam proponunt le-

(1) Apud Salvionum typographum vaticanum in Archigymnasio Sapientiae ann. 1719.

(2) Giornale dei letterati d'Italia Tom. XXXII pag. 562.

gendi studiosis. De auctore autem praeclare. Ajunt ipsum has exercitationes scripsisse *egregie et docte, et insigni etiam sermonis cultu* (1). Qui vitam Olivae gallice exposuit, hoc ipsum opusculum, a se habitum magno in pretio, vertit in patriam linguam. Idemque Pantaleon Borzius venustis ornavit hendecasyllabis, et Joanni valde honorificis, qui habentur in ultima opusculi ejusdem pagina. Transcribere mihi quatuor postremos liceat ad lectoris animum reficiendum:

» Viso marmore, quod tuo libello
» In magnum decus evocasti, amice,
» Quamvis Harpocrates (2) premat labellum,
» Te gens inclyta Romuli loquetur ».

Etsi autem Joannes distentus erat tot aliis curis, non propterea intermisit per epistolas exercere mutua cum viris litteratis officia. Suos etiam cives colebat, prae ceteris Com. Carolum de Silvestris Camilli filium. Huic inter alia non pauca scripserat de Josepho Maria Feronio, maxime vero de illius effuso in litteratos amore. Quare Carolus latinam quamdam Dissertationem a Camillo patre exaratam, et post obitum ab eo relictam in scriptis, Romam tanto praesuli dono misit. Camillus hac illustraverat graecum marmor jamdiu in agro atestino effossum et ab amico sibi ex testamento legatum (3). Excepit libentissime praesul

(1) Act. Erudit. lipsiens. ann. 1720. pag. 392.

(2) In uno ex quatuor lateribus isiaci marmoris eleganter expressus erat Harpocrates.

(3) Lettere erudite del Facciolati al co. Cammillo Silve-

munus, ipsumque in lucem proferri jussit impensis suis, ea mente, quemadmodum ipse ajebat, ut hoc libro vulgato, tamquam anniversario pietatis officio, Camilli manibus in urbe omnium principe parentaret (1). Joannes, cui demandatum hujusmodi negotium fuit, libellum editum XI Clementis nomine (quod vehementer optabat) ornavit, praemissa pulcherrima ad eum epistola. Totam autem aperit rem lectori in praefatione ad eumdem. Vitam quoque Camilli explicuit, eumque obtulit *urbis rhodiginae Duumviris ornatissimis, totique Patriciorum ordini nobilissimo*. Et quo honorificentius mereretur de eodem Camillo, et patria sua, duas praeterea excellentium hominum, Lancisii et Caryophili dissertationes adjecit, ut apparet ex titulo, quem subjicio (2). Inchoata hujus operis editione Lancisius moritur: unde breve texuit in eum elogium, et in latinas italorum, et transalpinorum virorum doctrinae fama praestantium ad Lancisium, et Lancisii ad eosdem litteras fere omnes a se recognitas et illustratas, praefationem elucubravit.

---

stri pag. 25. 26. not. 1. Alessi Ricerche istorico-critiche delle antichità di Este cap. 3.

(1) In praef. ad lectorem Oliva.

(2) Titulus hic Camilli vitae praemittitur: » Comitis Camilli Silvestri rhodigini in anaglyphum graecum interpretatio postuma, cui accedunt Dissertationes duae epistolares, altera Jo. Mariae Lancisii archiatri, atque ab intimo cubiculo Clementis XI P. M., altera abb. Blasii Caryophili neapolitani, cura Joannis Olivae rhodigini vulgatae. Romae 1720 typis Georgii Placho.

Interim obit Clemens, a quo Joannes non temere polliceri poterat sibi plurima, utpote qui eidem cognitus et acceptus. Persolutis novemdialibus sacris, comitia haberi coepta ad novum Pontificem eligendum. Oliva iis omnibus sacri Collegii auctoritate praeficitur, qui sunt, uti dicitur, a secretis. Prae ceteris ille eligitur ad amplum munus. Jubetur scilicet ex veteri Ecclesiae more epistolas latinas scribere ad omnes principes ac reges communionis catholicae; quod illi valde honorificum. Illud vero magis, quod plene tanto muneri satisfecerit, ac se probarit viris judicio et intelligentia praestantibus, inter hos Cardinali de Rohan, qui secum post traduxit ipsum in Galliam, et praefecit eximiae illi suae (quae olim Thuani fuerat) bibliothecae ac vere insigni, librorum pretio, editione, numero, varietate.

Joannes hanc in deliciis habebat, ac perstabat in ea diutius. Utque erat eruditionis appetentissimus, maximam sibi peperit historiarum et reconditae antiquitatis notitiam, imo multiplicem prorsus scientiam: quae quousque demum progressa fuerit tot librorum continuo usu et consuetudine? Eo autem bibliothecae custode facilis ad eamdem aditus eruditis omnibus viris, iis praesertim qui Ecclesiae addicti: ille omnibus adorat opera, consilio, libris. Hos accipiebant qui petierant; licebat vero quoscumque petere, et secum etiam eosdem transferre domum, iisque uti pro lubito. Ac si forte deerant, quos ii petissent, statim comparabantur ut petentibus satisfieret. Tanta erat Olivae humanitas et studium juvandi omnes! tanta quoque eminentissimi principis liberalitas! qui in litteras ac litteratos

valde propensus, libros undique conquirebat impensis maximis.

Laborabat ingenti librorum pondere bibliotheca. Hos in ordinem redigere, singulos recognoscere, accuratum indicem omnium texere Joannes non sine ingenti labore instabat, ad alia saepe hinc avocatus et multiplici cura implicitus; historia praesertim Pogii *De varietate fortunae*, quam Parisiis edi curavit, uti antea Romae convenerat. Cujus rei altius mihi repetenda narratio est ad pleniorem lectorum intelligentiam.

Prima itaque hujus operis detecti laus tribuenda est Leonardo Adami de Bolsena (1), qui bibliothecae Card. Josephi Renati Imperialis id temporis Romae praeerat. Is enim primus eamdem latentem reperit inter codices bibliothecae Card. Petri Othoboni, nepotis Alexandri VIII Pontificis, qui petenti ei veniam dedit historiae illius transcribendae, et ad communem utilitatem vulgandae. Ex quatuor libris, ex quibus constat historia ea, Leonardus descripserat tantum primum, cum adhuc aetate florens vitam bene actam immatura morte conclusit. Successit huic in bibliothecae custodiam Dominicus Georgius rhodiginus, qui Romae obiit extremum diem praesulis dignitate exornatus. Quod alter inchoaverat, hic absolvit, totumque opus exscriptum historicis insuper annotationibus auxit et eruditis. Cumque septem et quinquaginta prae-

(1) Prose e poesie di Antonio Conti Tom. II pag. 55, in nota.

terea epistolas ejusdem Pogii, editas nunquam prius, eodem reperisset in codice, et has exscripsit; tum Olivae, qui jam jam iturus erat in Galliam, opus utrumque tradidit, et historiam scilicet, et epistolas, ut Parisiis utrumque postea vulgaret. Hic quod jussus fuerat, omnino implevit, et amplissimo Cardinali de Rohan, cui se vel maxime obstrictum noverat, hujus operis editionem dicavit epistola, quae judicio historici galli, aureo Augusti seculo non indigna.

Cardinali morte sublato ann. 1749, bibliothecam illam adeptus est eminentissimus de Soubise, qui eodem et ipse custode est usus, eoque postea vita functo, idem munus Oliva exercuit, quamdiu vixit, jussu principis ejus fratris, cui admodum perspecta erat illius peritia (1). Ita nullum unquam tempus vacavit ipsi a bibliothecae negotio. Huic accedebat gallicae linguae studium, cui impense se dederat ad Gallorum animos sibi arctius devinciendos, a quibus habitus tamquam civis ea ibi obtinuit, quae obtineri ab exteris nunquam solent. Sed de his haetenus.

Videamus nunc quo idem in pretio fuerit apud viros litteratos. Philippo a Turre maxime acceptus erat, eique adhuc juveni, ut vidimus, vir litteratissimus erudiendos tradidit suos nepotes (2). Familiaris fuit Camillo Com. de Silvestris. Comes, dimissis omnibus,

(1) Lettere erudite del Facciolati al co. Cammillo Silvestri pag. 10. not. 7. Apostolo Zeno lettere Vol. V pag. 467. ediz. venet. 1785.

(2) Lettere cit. del Facciolati pag. 36. not. 6.

enum hunc in colloquium adhibebat (1). Canonicus Hieronymus de Silvestris Camilli nepos, vir et ipse admodum eruditus Olivam habuit magno in pretio: quaeque ille scripserat florente aetate, postremis annis, ut pulcra quaelibet, diligenter servabat, quemadmodum ipse affirmat in suis annotationibus ad epistolas italas Facciolati (2). Jacobus Jacobettus ipsum adhuc juvenem Acelanis proposuit, ut apud eos profiteretur in schola publica (3). Etiam Jacobus Facciolatus fuit ejus fautor (4). Antonius Vallisnerius editis monumentis clarissimus per epistolam aperuit illi aditum ad Lancisium (5). Hic Olivam habuit carissimum, et admisit ad interiora consilia (6), eumque doctissimum et eruditissimum virum vocat in meteorologica de Dioscuris disputatione, quam ipsi mittit. Apostolus Zenus passim in ephemeridum libris ample et honorifice de Joanne, eumque ut litteratum viris commendat litteratis (7). Antonius tamdem de Comitibus Joannis eruditionem extollit ad ipsum scribens; glo-

(1) Oliva in ejus vita.

(2) Lettere erudite cit. pag. 56. not. 6.

(3) Oliva in quadam epistola ad co. Camillum de Silvestris contenta in veneta collectione, quae inscribitur *Epistolario* cc. 1795 pag. 249.

(4) Lettere erudite del Facciolati al co. Cammillo Silvestri pag. 36. not. 6.

(5) In epist. ad lectorem praemissa interpretationi anaglyphi.

(6) Oliva in fine vitae Lancisii.

(7) Lettere Vol. III pag. 22. della citat. ediz.

riatur de litteraria cum eo consuetudine; revocat illi in mentem noctes, quas sermonibus eruditis traduxerant Parisiis apud Legatum venetum; eum hortatur, ut scribat sibi saepius; eidemque graecis praecipue in litteris erudito subjicit, tamquam judici, suas ex graeca lingua versiones et animadversiones publice edendas (1). Quin inibi Oliva fuit, ut graecam linguam profiteretur Parisiis ipsis. Tanta erat illius opinio apud Gallos, non admodum mirari solitos plerumque extraneos!

Quamquam id non miror. Erat enim Oliva praeditus non solum bonis artibus, sed etiam moribus, ad devinciendos sibi quoslibet opportunis. Gratus in patriam, licet absens, vixit semper ejusdem memor; et per epistolas, uti vidimus, coluit cives suos, quamvis in tanto vitae splendore. Nihil in illo arrogans, nihil tumidum: de se modeste sentiebat. Monitoribus non asper, se emendaturum profitebatur quae cognovisset jure reprehendi. *Non indignabor*, inquit, *objectum quod nesciam, sed gaudebo oblatum quod discam* (2). Excipiebat humaniter qui se adirent, comis iu omnes ac liberalis; suae tamen amicitiae non prodigus. Doctrinae minime avarus, quae didicerat communicabat et aliis.

Semper sui similis, qualem se impertiit semel, talem plerumque quovis tempore se se praebuit. Si quid molesti sibi accidisset, dissimulabat, ne quem offen-

(1) Prose e poesie di Antonio Conti pag. 259. 277.

(2) Exercitat. in marmor isiacum cap. 12. pag. 106.

deret vultu tristi. Veritati quam qui maxime addictus erat; at non propterea, si quam opinionem minus probaret, eamdem insectabatur acerbius. In iis vero quae dubia sunt et controversa, putabat esse delicatissimi animi eos aegre ferre qui contra sentirent. Aliorum afficiebatur miseriis. Praesto erat omnibus, praecipue advenis, qui contulerant se Parisios, iisdemque opportuna consilia impertiens, Italis omnium maxime. Versabatur autem in bibliotheca assiduitate paene incredibili, ad eam convenientibus doctis viris, et civili prudentia praeditis, ejus humanitate, crediderim, et eruditione pellectis.

At vigens animo deficiebat sensim corpore. Erat nimirum valetudine jamdiu affecta, et haec vitiabatur quotidie magis ex incommodis litteratae vitae et umbratilis. Tum pectus laborare coepit ex aqua intercute. Remediis frustra adhibitis, ventum est ad extrema. Acrius instante morbo, ac spiritum praecludente, jacuit exstinctus in eo ipso, quo fulciebatur, sedili XIV Cal. April. ann. 1757.

Haec et alia quaedam ab illo accepi, qui Olivae vitam ab amicis mihi benigne Rhodigio missam gallice dedit; quam tamen mancam dedit, et adspersam erroribus, ut animadvertit Hieronymus com. canonicus de Silvestris (1). Ea occurrit legenti librum, qui sic inscribitur: *Oeuvres diverses de M. l'abbé Oliva bibliothécaire de M. le Prince de Soubise*. Paris chez Martin 1757.

(1) Lettere erudite del Facciolati ec. pag. 10. not. 7.

## JOANNIS OLIVAE OPERA EDITA

Trattato della scelta e del metodo degli studj del sig. Claudio Fleury, tradotto dalla lingua francese nell' italiana, Venezia 1716 in 12.

Ad Cives acelanos de numorum veterum cognitione cum historia jungenda, Oratio Jo. Olivae cum studia altero anno repeteret. Ibid. 1717. in 8.

De antiqua in romanis scholis grammaticorum disciplina, Dissertatio ludicra. Ibid. 1718 in 8.

In marmor isiacum Romae nuper effossum, Exercitationes. Romae 1719 in 8.

Vita Camilli Silvestri, et elogium Jo. Mariae Lancisii. Exstat cum interpretatione postuma ejusdem Camilli in anaglyphum graecum ab Oliva edita Romae 1720 in 8.

Pogii historia *De varietate fortunae* cum 57 ejusdem epistolis, cura Joannis Olivae edita. Parisiis 1723 in 4.

Oeuvres diverses de l'abbé Oliva. Ibid. 1757.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Syntagma de gladiatoribus, deque saturnalibus,
De procuratoribus operum publicorum.
De urbis Romae vicis praecipuis.
De romana magnitudine.
De triumphis,
Initia urbis Romae.
Condendarum urbium modus ac delendarum
Expositio, Colles, Pomoerium.
Atriorum usus,
Portae et viae celebriores Romae,
Hortorum antiquorum elegantia et cultus.
Statua Marsiae in foro, et aliae sparsim exstantes

Tiberis cum aquis et fluminibus religiosis urbis Romae.
Aquaeductus, et aquae amoenae et frigidae et salubres.
Divinitas in aquis putata a Romanis.
Fluminum ornamenta.
Pontes tiberini quot, et a quibus curati.
Cloacae quam magnae, quot numero.
Doliola.
Balnea, thermae, deque lavandi usu modoque.
Nimphaea.
Pistrina.
Arae, earumque immunitas et impunitas, ad quas rei confugiebant, easque morituri et juraturi tangebant.

Breve trattato delle antichità romane, utile alla gioventù per la intelligenza sì degli storici, come de' poeti antichi.

Haec omnia simul collecta servantur in bibliotheca S. Michaelis Venetiarum prope Murianum, cum hoc titulo *Res romanae*. Cod. in 4. num. 566.

# VITA

# ANGELI SCLAVETTI

Angelus Sclavettus ex origine patris Bergomas, III Non. Novembr. ann. 1693 natus est Baptaleae, ubi primum fabricata dicitur charta linea. Septem millia passuum Patavio distat locus hic, ad Euganeorum montium radices positus, et longe extenditur ad utramque ripam interfluentis Medoaci. Vix Angelus annum tertium ac decimum inchoaverat, cum in patavinum Seminarium exceptus superioris grammaticae studio addicitur.

Ingenio ac diligentia plurimum valens jam tum videbatur boni exitus spem praeferre. Litterarum cursu absoluto, ad severiores philosophorum disciplinas incubuit, tum per triennium in theologicis se se exercuit; publicam etiam de his disputationem sustinuit tanta cum laude, ut aliis propositus fuerit quasi exemplar. Paucis diebus post in sacro theologorum collegio doctoris insignia sumpsit, et in eorum coetum cooptatus est. Mox electus a Cardinali Cornelio episcopo patavino in Seminarii magistrum, ibi degentibus clericis aliquandiu tradidit multiplicem philosophorum doctrinam. Quam quidem provinciam brevi reliquit, ut

canonicatum a Joanne Baptista Canali (1) sponte dimissum iniret Montesilice.

XIV Cal. Majas ann. 1722 renuntiatus canonicus theologus, locum tenuit usque ad tertium et octogesimum. Illud autem obtinuerat tredecim circiter annos ante, XVI Cal. Julias a sacra Congregatione concilii, ut sibi liceret in posterum vel absenti non solum reditus omnes ex canonicatu percipere, sed ea praeterea, quorum inter praesentes tantum fieri solet distributio. Idem publicae utilitatis studiosus Collegium quoddam erexit domi suae ad nonnullorum adolescentum institutionem. Inter hos habuit celebrem Brunatium (2).

Interim vertebat annus 1740, cum decernentis Senatus veneti auctoritate vocatur in magnum patavinum Lyceum *ad regendam scholam, quae loci secundi metaphysica et logica dici coepit. Decretum illi stipendium est florenorum ducentorum et quinquaginta* (3). Quadriennio elapso, traductus est *ad locum primum, servato priore stipendio* (4), quod pluribus vicibus auctum postea ad magnitudinem creverat plane ingentem. Splendidum sibi collatum munus obivit usque ad ultimam senectutem; et ea dignitate obivit, ut qui ad eum audiendum convenerant, mirarentur, quod tam subtiliter et intrepide disputaret homo major octogenario. Audientiam sibi faciebat ipsa diserti senis oratio. Eo enim dicendi stilo utebatur, ut videretur qua-

(1) Vide ejus vitam pag. 96.
(2) Vide in hoc volumine ejus vitam.
(3) Facciolatus Fast. Gymnas. pat. P. III pag. 266.
(4) Ibid. pag. 262.

si alter Tullius de officiis disserens. Ceteri illius aequales, si recte valent, satis habent; nemo litterariam operam ab illis postulat. Is ea aetate non solum integra vigebat mente ac sensibus, sed experrectas ac promptas intimas facultates habuit. Meminerat, commentabatur, scribebat. Nihil propemodum in eo senile, praeter sapientiam.

Sed ne videar historiae modum praetergredi, mihi tempero, et ea recenseo, quae in lucem protulit. Anno itaque 1730 lucubrationem emisit *de aere Montissilicis*, brevi eidem praemissa epistola ad Joannem Petrum Paschalicum senatorem venetum, et patavini Gymnasii moderatorem, quae utrum doctrina magis, an linguae praestantia excellat, non definio.

Anno ante publici juris fecerat epistolam *de aquis Montissilicis* ad eumdem: anno autem 1758 *Disputationes* edidit *metaphysicas ad obscura quaedam Aristotelis loca illustranda*, quas typographus non rursus edidit, sed, mutata tantummodo nota temporis, anno post vulgavit, triumviris litterariis dicatas. Utrumque opus solida momenta rerum commendant, et nobilis elegantia. De utroque praeclare ephemeridum rei litterariae scriptores (1). Ac disputationes quidem expendunt accuratissime, et cum eruditionem et rerum sanitatem plurimum laudant, tum oratoriam etiam concinnitatem et ordinem, quo inter se aptae ac nexae.

Latinas insuper orationes duas donavit luce publi-

(1) Novelle della repubbl. letter. per l'anno 1758 pag. 585 587. Annali letterarj d'Italia Vol. III. P. I cap. 5. pag. 86.

ca; quarum una Zachariae Canali, altera Aurelio Rezzonico, utrique patricio veneto, dignitatem procuratoris amplissimam gratulatur non diserte minus, quam sententiose et graviter: et oratio quidem de Zacharia Canali, paucissimis immutatis, fuit rursus ab alio, nescio qua fronte, Venetiis edita (1) anno 1762 cum Sebastianus Venerius divi Marci procuratoris dignitate auctus, eamdem primum inivit (2). Alia plurima reliquit inedita ad philosophiam pertinentia. Servantur ista ab heredibus.

Ad haec ingenii decora etiam animi bona accesserant. Ut suo muneri satisfaceret, laboribus non pepercit. Cathedram quotidie adscendere, operi assidue instare etiam postrema aetate solebat. Nec propterea canonici officio deerat. Cum aliis et ipse aderat, quoties poterat; suas partes sedulo obibat. Quin aliquando ferebatur ultro citroque, ut utrumque munus impleret, et publici professoris scilicet et canonici. Nihil sibi arroganter tribuebat, modeste de se sentire solitus, et loqui. Seminarium, unde discesserat, grata recordatione prosequebatur. Clericos aliquandiu subsicivis horis erudiendos excepit Montesilice.

Amicorum studiosus eosdem colebat impense: his gratificari, his bene facere, et adesse in omnibus mos illi erat. Horum gratia alios adibat, eos prensabat, iis supplicabat, nullum defugiebat incommodum. Nec in amicos tantum, erat in omnes benignus, huma-

(1) Typis Antonii Zatta.

(2) Vide la Minerva num. XI Gennaro 1762 pag. 127.

nus, mirum in modum officiosus: solitus etiam conferre in aliorum usum quae haberet, perinde ac si essent ipsi cum iis communia.

Magnam singulis annis pecuniae vim, ut diximus, percipiebat ex publica munificentia. Hac alios alieno aere levabat, aliorum recreabat inopiam; quin alebat ac sustentabat familias integras. Medias inter opes vixit semper inops usque ad annum circiter nonagesimum. Defecit in pervigilio S. Laurentii ann. 1783. Non tam cito tamen deficiet illius memoria.

## ANGELI SCLAVETTI OPERA

De aquis Montissilicis epistola. Sine loco ( Venetiis ) ann. 1729 in 4.

Eadem exst. nelle Novelle della repubblica delle lettere per l' anno 1729.

De aere Montissilicis lucubratio cum epistola. Sine loco ( Venetiis ) ann. 1730 in 4.

Eadem exst. nelle Novelle della repubblica delle lettere per l' anno 1730.

Oratio de Zacharia Canali patricio veneto , equite, divi Marci procuratore. Venetiis typis Aloysii Valvasensis ann. 1735 in 4.

Disputationes metaphysicae habitae in Gymnasio patavino ad obscura quaedam Aristotelis loca illustranda. Ibid. typis Jo. Baptistae Novelli ann. 1758 in 8.

Eaedem litterariis triumviris dicatae. Ibid. ann. 1759 in 8.

Oratio ad Aurelium Rezzonicum equitem, et fratrem Clementis XIII, cum divi Marci procurator electus in dignitatis possessionem veniret. Ibid, typis Antonii Zatta ann. 1759 in fol.

Multa ad philosophiam pertinentia nondum edita.

# VITA
# ANTONII JUDICI

Qua die Natalis Lastesius et Vincentius Rota (1), viri scribendi laude praeclari, eadem (XI scilicet Cal. Novembris anno 1717) Seminarium patavinum ingressus est etiam Antonius Judici eorum utrique par. Is quindecim annos ante (VII Cal. Junias) natus fuerat atestino in oppido. Ibi grammatica institutione praecultus ad nos accessit. Quare jussus fuit statim ad illa incumbere, quae ab humanitate nomen sortiuntur.

Experrectus adolescentis animus, intelligentiae sagacitas, memoriae firmitas, assiduus usus videbantur plane ominari non mediocrem fore in arte rhetorica illius progressum. Exspectationem omnino implevit eventus. Hujus disciplinae cursu confecto, biennium philosophis se se addixit, biennium pariter post theologis, cum utrisque politiorum litterarum studia conjunxit, ad quae praecipue a natura fuerat comparatus. Ac de rebus quidem theologicis cum publice disputasset anno 1724, adeo se Joanni Francisco Bar-

(1) Vide utriusque vitam in hoc volumine.

badico Cardinali eminentissimo episcopo patavino (1) commendavit, ut praemium ab eo retulerit, iis quidem temporibus dari solitum, sed illis tantum, qui supra ceteros non ingenii minus, quam vitae laude eminerent. Paulo post in sacro patavino theologorum Collegio doctoris insignibus exornatus in eorum coetum describitur. Mox cooptatur inter pataviui Seminarii magistros.

Quod quidem munus urgere coepit impense. Utque erat ad eloquentiam in primis factus, ideo ad eamdem Seminarienses Alumnos aliquandiu jussus fuit instituere; idque eximia cum laude praestitit et eorum utilitate. Plurimum quoque valuit graeca lingua, adeo illi cognita, ut graecum scriptorem quemlibet vix ipsi exhibitum assequeretur facile sine interprete, exceptis poetis. Sunt enim hi ceteris longe difficiliores, quod alia propemodum lingua utantur. Antiqua eruditione pollebat, et explicandi peritia veterum lapidum inscriptiones.

Delectabatur praeterea maxime lactea illa ubertate Livii, et hanc in eum propensionem semper servavit. Gravioribus expeditus Paroeciae curis ( cui, ut mox videbimus, se se addixerat ) detinebatur in eo legendo: eum studuit scribendo exprimere, et tulliana elegantia adspergere. Cessit res ex voto. Constat id ex oratione, quam dedit de Carolo Pisano equite ( quicum ipsi magna necessitudo ) cum in D. Marci procuratorem electus dignitatis amplissimae possessionem

(1) Vide ejus vitam pag. 228.

caperet. Hanc anno 1732 Seminarii patavini typis vulgavit, nec minus Caroli, quam sui, memoriam illustrem reddidit.

Quam sapienter enim in hac persequitur ejus laudes! easque cum reipublicae laude jungit, ac totius nobilissimae illius familiae! quam opportuna eruditio! stilus quam vividus et expressus! sive pugnantem exhibeat ipsum Carolum, sive obeuntem legati imperatoris officia. Brevi praecidam. Sententiosa oratio et gravis, eloquentiae et succi plena rei magnitudinem omnino exaequat.

Utinam et alia exstarent eloquentiae illius monumenta! Quominus plura haberemus, prohibuit ipsius modestia. Quamquam vel in sermone domestico et familiari ita res colorabat, ut eas videretur potius pingere, quam narrare. Erat nimirum illi hoc insitum a natura, ut res quasque ad vivum exprimeret et efferret. Hoc non mediocrem existimationem ei conciliavit apud viros etiam nobiles et doctos; et propagavit ejusdem nomen. Apud nos hoc certe viget adhuc ac recens floret, licet e Seminario discesserit octoginta circiter abhinc annis. Tantam sui exspectationem commoverat!

Cum jam, Deo vocante, Saletum se confert, non longe ab oppido montaneanensi situm, ad animarum illarum regimen capessendum. Vix credibile est, quae et quanta fuerit pastoralis ejus sollicitudo. Bene mane surgere mos illi erat, omnes perhumaniter ad se accedentes excipere, audire omnes, omnibus praesto esse, consilio, monitis, opera, pecunia; et hac quidem adeo pro suo censu profuse, ut non raro ipse indiguerit, ad aliorum inopiam sublevandam.

Aegrotantes vero peculiari caritate complectebatur. Iisdem aderat diu noctuque, nec patiebatur, ubi unus posset, alterum obire suas vices, ne si ultro quidem ad id se offerret. Suae enim fidei commissum gregem sciebat, cui propterea docendo, hortando, monendo qua privatim, qua publice institit tanto studio, ut numquam laboribus pepercerit. Totum se devoverat ejus bono. Hoc spectabat, cum templum in multo ampliorem, quam antea, formam erigendum a fundamentis suscepit, ipsumque perfecit cura et impensa magna. Maxime vero, cum sedulo in id incumberet, ne quod existeret privatis in domibus dissidium, neve ulla populi dissensio. Ad id obtinendum plurimum contulit ejus vigilantia, prudentia, auctoritas. Magna enim erat apud omnes illius opinio; apud patavinos praecipue episcopos optime de eo sentire solitos et loqui. Hunc relatum inter vicarios foraneos voluerunt aliis praeesse, et obire partem officii sui; quod quidem is administravit magna cum laude prudentiae, et ecclesiasticae disciplinae profectu. Cardinalis Veronesius eum designaverat patavini Seminarii studiis praeficere. Habebat siquidem perspectam et cognitam illius doctrinam. Sed oblatam provinciam recusavit Antonius, quod ad alia jampridem studia animum adjecisset addictus gregi.

Atestini, Colonienses, Montaneanenses, aliique eum habuerant magno in pretio. Solebant ipsum adire, eum consulere, de eo praedicare. Quin et extranei illac transeuntes eum conveniebant studio videndi ipsum. Ille unus de se demisse sentiebat, de aliis vero praeclare. Non gloriae cupiditas, non pecuniae eumdem

sollicitum umquam habuit, utramque contempsit. In amicorum congressu jucundus; hilarari videbatur societas, ubi ille adesset. Erat, ut ita dicam, tractabilis ejus virtus, facilis et humana. Religio solida, non severa. Magna illius in omni vita aequabilitas; magna in hospites liberalitas. Comiter hos excipere consueverat, hos detinere suaviter. Difficile autem dictu est, quantum conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Is enimvero fuit omnibus carissimus. Iis prae ceteris, quibus praeerat, non tam potestatem in eos exercens, quam singulos sibi amore devinciens. Neminem unquam non re, non verbo, non vultu offendit. Quare certatim omnes eum colebant et amabant. Atque hoc postremo vitae ejus tempore in primis cognitum.

Non multo scilicet ante mortem, dum sacrum faceret, se repente ictum sensit ἀποπληξίᾳ. Ingens statim ex inopino casu adstantis populi consternatio. Flere omnes, et vicem miserari. Mox undique accurritur et discurritur. Parantur illico plures currus; plures ad medicos passim convolant. Mitigari morbus potuit, at non depelli; imo eodem denuo perculsus aliquantum temporis post exstinctus jacuit Antonius V Idus Martias ann. 1776, magnum omnibus sui desiderium relinquens. Quod tamen minuit Alexander, fratris ejusdem filius, quem jamdiu habet in pastorali munere successorem.

# VITA

# VINCENTII ROTAE

Non pauca mihi dicenda suppeterent de hujusmodi eximio viro ; sed cum occupatam invenerim hanc provinciam aliena industria, ne quis mihi objiciat Horatianum illud, *in silvam ne ligna feras* (1), tantum *summa sequar fastigia rerum* (2).

XI Cal. Novembres ann. 1717 inter hujus Seminarii Alumnos cooptatus est Vincentius Rota patavinus, natus tertio saeculi ejusdem anno, Idibus Majis. Hic ille studiorum cursum aggressus est a primordiis artis rhetoricae. Quaque erat praestantia ingenii, facile arripuit litteras ac scientias, praecipue theologicas, de quibus publicam iniit disputationem ann. 1725, duce M. Antonio Trivellato (3), quem peculiari existimatione prosequutus est et coluit semper plurimum. Mox doctoris insignia sumpsit, et relatus inter Collegii patavini theologos discessit e Seminario, cui ta-

(1) Lib. 1. Satyr. 10 v. 34.
(2) Æneid. lib. 1. v. 346.
(3) Vide ejus vitam pag. 166.

men gratum se se ostendit, quamdiu vixit. Ejus multa cum laude meminit in suis libris (1).

Anno proxime sequente sacerdotio initiatus est XII Cal. Aprilis. Suae aliquamdiu domui privatus mansit; ibi tamen se in litteris exercebat assidue, maxime ab otio abhorrens. Evoluto triennio, Rhodigium petiit, ut illius Seminarii clericos rhetoricis praeceptionibus institueret. Ubi praeterea quotannis debuit ex consuetudine loci publice latina oratione studiis proludere, et academicam exercitationem habere, magno politiorum civium concursu, quibus satisfacere non tam facile, praesertim juveni. Utrumque multa cum laude Vincentius praestitit biennii spatio, quo elapso, Serravallem se transtulit. Illic nobiles quosdam adolescentes Minuciae gentis litteris erudiendos suscepit; in his Andream, qui civilia temperavit et sacra firmanus archiepiscopus et princeps.

Hinc Venetias petiit, ubi duos alios juvenes, Angelum scilicet et Octavium marchiones de Gabrielis, romanos principes coepit excolere. Eo enim accitus fuerat ab eorum parente, viro graecis praecipue litteris admodum erudito. Paulo post hoc mortuo, Romam cum iis se contulit. In illa omnium nationum luce litteratis viris familiariter utebatur Rota. Hi frequentabant domum juvenum illorum principum. Ibi splen-

(1) In libro, cui titulus: *L'Incendio del tempio di S. Antonio di Padova:*

» Non obbliar l'almo soggiorno io deggio,
» In cui ecc. ecc.». Canto 1. St. 8.

didae habebantur academiae. In his prae ceteris excipiebatur Vincentius acclamatione et plausu. Valebat enim non parum oratoria facultate pariter et poetica. Discipulorum institutione absoluta, cum iisdem ab urbe Venetias rediit. Ibi apud illos mansit toto vitae suae cursu. *Vivo*, inquit, *ubi maxime optabam; beatissimus, otioque fruor honestissimo, quod ne cum regno quidem commutem* (1).

Litteratus ipse litterarum cultum promovit privatis publicisque exercitationibus et scriptis. Multa enim scripsit latina et itala, gravia et ludicra, soluta numeris et nexa; et haec inter se varia ac dissimilia structura et dimensione. Multa etiam edidit, in his quasdam epistolas, et metro carentes dialogos sex latinos (2), in quibus leporis plurimum et ingenii, non nihil etiam acrimoniae. Hanc hauserat ex Luciano, in cujus lectione assiduus. Apparet eadem praesertim in annotationibus et palinodia, quam subjicit. His omnibus salse, seu potius acriter carpit latinam orationem a Jacobo Facciolato exaratam *pro funere Aloysii Pisani Venetiarum ducis* (3). Vellem exercuisset suum illud ingenium et vim poeticam in re meliore. Adhibeatur quidem, ubi opus sit, sed sine acerbitate censura. Ad alia nunc, quae occurrunt, ejusdem opera.

Ac mihi quidem primum objicit se poema praeferens

(1) In epistola ad patricium venetum, eumdemque senatorem amplissimum, Venetiis edita VIII Id. Jul. 1743.

(2) Venetiis anno 1741 in 8.

(3) Ejusdem orationis titulus.

hunc titulum; *L' incendio del tempio di S. Antonio di Padova* (1): in quo sane magna exprimendi omnia facilitas, non semper tamen necessarium expolitionis studium, et usus limae; non semper rerum magnitudini stilus par. Hoc idem postea recognovit, et ad meliorem formam redigendum curavit.

Plures insuper comoedias protulit multa, judicio Apostoli Zeni, cum elegantia et plausu. Tum ad suam et aliorum pietatem fovendam et excitandam, Davidis psalmos ad poenitentiam spectantes, in italum carmen vertit, quod tribus versibus constat, qui sibi alterni respondent, vulgo *terzine*. Huic autem operi praeire voluit, et viam quodammodo ad ipsum sternere, alios quosdam versus a se confectos, qui non modo continent utilia moribus, sed etiam legentes movent (2).

Italam quoque inter alias versionem dedit Nasonis libri, qui inscribitur *de remedio amoris*, iis provido consilio exclusis, quae virum probum dedecent et honestum (3).

Neque hoc contentus eidem praemisit epistolam, qua praemunit adolescentum animos in has praestigias.

Valuit quoque plurimum, ut antea dixi, latinis versibus. Atque hoc perspicue ostendunt quae scripsit

(1) Romae primum, postea Patavii editum typis Conzatti anno 1753 in 8.

(2) Venetiis anno 1748 editio altera.

(3) Ibid. anno 1750.

de Hercule pharnesiano, rogatus a Philippo Farsetio patricio veneto, antiquorum operum scientissimo, maximeque studioso: tum duae epistolae ad Octavium de Gabrielis horatiano carmine exaratae (1).

Supersunt adhuc et alia inedita; quaedam illius opuscula, et versiones, et alia plura ab eodem partim italo, partim latino sermone exposita, in quibus se prodit illius ingenium, quod enimvero multiplex et versatile. Erat enim ille non tantum italis et latinis, sed graecis etiam litteris eruditus. Idem pulcherrimas artes coluit magno studio. Penicillo et acu solerter utebatur pro lubito, pictor non infimi nominis in utroque, ut indicant ejus tabulae, et phrygia opera ab intelligentibus magni facta. Tanta vero in pulsandis musicis instrumentis peritia excelluit, ut eum Tartinus ipse consuleret, cujus pulcriora quaeque Rota descripsit (2), quemadmodum et aliorum ceteris hac ipsa in arte praestantium. Musicis numeris commendavit poetica quaedam cantica et hymnos a se conscriptos ad honestam amicorum oblectationem.

Viros coluit litteratos, in primis Natalem Lastesium pulcherrimis monumentis insignem, sibi vel ab aetate prima amicitia junctum, et eximios pariter coluit bonarum artium professores, ab iisdem et ipse habitus magno in pretio. Neque solum existimatione eum homines prosequebantur, sed et amore. Eum

(1) Huic elogium texit Facciolatus epist. 110, in qua ejus matrem incomparabilem matronam praedicat.

(2) Fanzagus in ipsius Rotae elogio pag. 13. 14.

scilicet habuere carissimum, quod esset laeta indole (fuit autem usque ad finem vitae) quod faceto sermone, mente experrecta, animo grato et ingenuo. His ille dotibus societatem sibi devinxerat. In quo profecto laudandus; maxime vero in eo, quod se spoliaverit, ut suorum inopiam tegeret; quod in eos erogaverit, quae sibi omnium carissima; quod in eosdem liberalissimus fuerit; ac paene prodigus; quod in religionem propensus.

Bonis animi non omnino respondit species corporis. Erat enim statura humilis, et tumens gibba. Eum facile contempsisset, qui non nosset. Interim morbo implicitus, integris tamen adhuc vigens sensibus, ecclesiae sibi praesidia adscivit. Munitus his vitae discrimen ultimum Patavii subiit IV Idus Septembris ann. 1785 cum tertium supra octogesimum annum ageret.

Haec ego modice ac strictim de Vincentii moribus ac studiis, de quibus multo copiosius ac fusius Franciscus Fanzagus (1) vir admodum eruditus, amantissimus patriae suae, Seminariensium studiosus ac Seminarii, cujus in exterioribus scholis (2) se a puero institutum fuisse meminit.

(1) Memorie intorno la vita e gli ameni studj dell'ab. Vincenzo Rota. In Pad. nella stamp. Conzatti 1798 in 8.

(2) De scholis exterioribus Seminarii vide pag. 68.

# VITA

# JACOBI BELLOGRADI

Nollem mihi aliquem succensere recensenti inter patavini Seminarii viros illustres Jacobum Bellogradum virum doctissimum; perinde ac si velim alios suis ornamentis spoliare, nec ementiri dubitem in historia ad ejusdem Seminarii decus augendum. Ex monumentis enim domesticis certo constat, inter Seminarii hujus Alumnos sexennium illum fuisse. Hic clericorum more institutus quoddam veluti tirocinium posuit illius doctrinae, quae insigniter postea crevit. Omnium autem magnarum artium, sicut arborum altitudinem suspicimus, radices stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest. Jam vero is in patavino Seminario, ut dixi, inchoavit, quod in Societate Jesu perfecit. Id apparebit clarius ex ejus vita, quam ordior.

Jacobus Bellogradus ex utinensi familia nobilitate et antiquitate praestante ortus est XVI Cal. Decembris ann. 1704 Hieronymo et Magdalena parentibus de Bellogradis. Tam multi ex eadem gente litteris floruere, ut inter eos quasi quodam hereditario jure videatur propagata doctrina. Inter hos enimvero ha-

bendus comes Carolus Bellogradus metropolitanae utinensis ecclesiae canonicus primicerius, patavini Seminarii jampridem et ipse alumnus, qui Jacobi vitam accuratissime explicuit (1). Ejus vestigiis in hoc insistam; non omnia tamen dicendo persequar, ut eumdem, quem in ceteris, modum teneam. Sed ad Jacobum redeo.

Hic itaque Patavium missus, in Seminarium exceptus pridie Nonas Novembris ann. 1716 statim se grammaticae studio dedit. Ad felicem ejus progressum plurimum contulere naturae et artis praesidia plurima. Valebat enim admodum expedito ingenio et perspicaci; ea autem utebatur memoria, quae et facile quaeque perciperet, et diutissime retineret, quae perceperat. His accedebat eminendi studium, assiduus labor, magna contentio. Praemia vero, quae saepius retu-

(1) Commentario della vita e delle opere dell' ab. co. Jacopo Belgrado. Parma 1795. Alia praeterea scripsit, inter haec italam orationem, quam habuit in funere Hieronymi Gradonici archiepiscopi utinensis, et Friderico Mariae Joannellio Venetorum Patriarchae dicavit. Utini eadem in lucem prodiit ann. 1786 futura doctrinae pariter ac pietatis eximiae illius archiepiscopi apud posteros monumentum illustre. Edidit quoque librum, quem ex gallica in italam linguam vertit, hunc titulum praeferentem:

» Della decadenza delle lettere e de' costumi degli antichi » Greci e Romani sino a' nostri giorni: Opera del sig. Ri» golus di Juvignes ec. » ipsumque ornavit nomine Caesaris de comitibus Brancadoro archiepiscopi, nunc cardinalis eminentissimi, ad eumdem praemissa valde erudita epistola.

lit, eidem maximo incitamento fuere ad hunc studiorum cursum feliciter obeundum. Ita ex grammaticorum salebris evadens prospere ad audiendos rhetores se se contulit. Graecas litteras et latinas didicit a Sebastiano Melchiorio et Hieronymo Cypriano (1) id temporis patavini Seminarii magistris, quorum alterum, Cyprianum scilicet, archipresbyterum atestino in oppido jamdiu vidimus. Utriusque ope Jacobus non exiguam sibi dicendi peperit facultatem, quam expoliit postea et auxit egressus e Seminario, praeeunte ipsi in patavino quidem Archigymnasio Dominico Lazarino magni nominis professore, et in graecis praecipue litteris erudito; in Societate autem Jesu (cui, ut mox videbimus, nomen dedit) Francisco Quadrio, viro clarissimo, et ad omnem humanitatem exculto.

Atque hujus quidem oratoriae suae facultatis specimen primum dedit, cum eminentissimus princeps Jo. Franciscus Barbadicus (2) ab ecclesia brixiensi ad regendam patavinam accedens renovavit memoriam patrui, de quo nulla umquam posteritas conticescet. Orationem enim latinam in lucem misit (3), Francisci fratris consilio scriptam (4), in qua omnia adeo in-

(1) Vide Mazzuchelli *Scrittori d' Italia* Vol. II part. 2. pag. 626. De Melchiorio mentionem fecimus pag. 87.

(2) Vide ejus vitam pag. 228.

(3) Patavii typis Conzatti in 4. Vide etiam Caroli Bellogradi *Commentario* ecc. pag. 5.

(4) Is Jacobo fratre quinquennio major in patavino Seminario jampridem litteras ac scientias feliciter coluit circiter annos octo, egressus hinc easdem impense fovit. Ad altiores

ter se apta ac nexa, adeo graviter et eleganter exposita, ut videatur maturitas aetati illius antevertisse. Adhuc enim annum vigesimum non compleverat.

Interim Novellaram se confert, ibique rebus terrestribus vale dicto, ingreditur Societatem Jesu Idibus Octobris ann. 1723, unde post Bononiam mittitur. Hic philosophiam et mathesim a veronensi Marchentio accepit, cui necessitudo multa intercesserat cum Varignone a Fontanellio descripto inter celeberrimos totius Europae geometras. Mox hinc Venetias petiit ad politiores litteras profitendas. Utque easdem pleniores redderet, in historicorum veterum, poetarum et oratorum lectione diutius versabatur. Adeo vero se in eo munere commendavit, ut non discipulos minus sibi devinxerit, quam eorum parentes; et habuerit conjunctissimos, prae ceteris viris illustribus et doctis, Antonium de Comitibus et Apostolum Zenum.

Parmam post, sexennio elapso, se transtulit ad theologiam percipiendam; ibique absoluto ejus cursu, magna animi alacritate sustinuit, ut loquebantur ipsi, *actum magnum*. Quod quidem quantum fuerit, praesertim juveni, facile quisque intelligit. Neque enim id agebatur, ut partem tantum aliquam hujus amplissimae disciplinae tueretur, quod adhuc sane magnum

---

postea dignitatis gradus in metropolitano utinensi capitulo evectus fuit: quin postremus ex patriarchis, et primus ex archiepiscopis utinensibus eumdem sibi socium adscivit in pastorali regimine. Utrumque plurimum Franciscus juvit, ecclesiasticam disciplinam promovens studio ingenti. Ann. 1766 laudabilis vitae cursum absolvit.

fuisset, sed illud, quod multo majus, ut nimirum paratus esset apte scienterque disserere, de qualibet re theologica, quae in disputationem venisset: idque in magna eruditorum corona. Quare hoc certamen non nisi paucissimis, et ingenio prae aliis omnibus excellentibus subire concessum erat; in his Bellogrado. Ubi hoc percrebuit, magna hominum exspectatio. Ubi autem praescriptum tempus advenit, ingens repente factus ex tota urbe concursus. Aderant ex quolibet ordine litterati viri et illustres: omnium oculi in eo defixi. Ille omnibus prompte occurrere, seu peteretur (ut dici solet) a tergo, sive a lateribus, sive a fronte: explicare omnia et enodare solerter. Idem postridie rursus renovari certamen. Biduum enim eidem fuerat constitutum: unde ille pari felicitate se expedivit, cunctis, qui disputanti intererant, admirantibus.

Per haec eadem tempora librum scripsit *de interpretatione*, cujus nullum potuit adhuc vestigium detegi. Scripsit et poetica, inter quae duo lyrica quaedam cantica, quorum alterum cum aliis canticis editum a Frugonio sub nomine Amphrysii Uranii; prolatum alterum, cum solemniter agerentur festa Joannis Francisci Regis divorum numero inserti. Utrumque feliciter. Doctorem etiam angelicum extulit latino carmine, in quo ingenii plurimum, et reconditae Malebranchii doctrinae. Unde non defuit, qui eum de obscuritate accusaverit; cui ipse respondit, se quidem scripsisse incognita, non obscura (1). Neque solum

(1) Commentar. della vita ecc. pag. 18.

scripsit carmina, sed et habuit non semel publice; praesertim Parmae descriptus in eam coloniam, quae illuc ex romana Arcadia, eo quoque agente, deducta fuerat. Ad haec ille declinare nonnumquam solitus erat etiam postrema aetate, haec quasi diverticula amoena quaerere, ut relaxaret tantisper animum ac remitteret a contentionibus summis, quas impendebat assidue in disciplinarum sublimia, praecipue in res mathematicas.

Ferebatur enim is ad hujusmodi studia cum intimo quodam naturae impulsu, tum condiscipuli Vincentii Riccatii exemplo (1), quem futurum in mathematicis longe eximium jam tum homines non temere sibi pollicebantur. Plurimum contulit similitudo studiorum ad alterum alteri conciliandum, et ad incrementum illius disciplinae, quae utrumque maxime ornavit, et spectatissimum reddidit.

Ac Bellogradi quidem nomen celebrari coepit in tota Italia et in regionibus etiam exteris et remotis. Praeter italas plures urbes, ipse Hispaniarum rex Ferdinandus Jacobum ad se invitavit, ut mathesim profiteretur Matriti. Votis omnium ac studiis Parma praevaluit. Ea in suo illo regio Archigymnasio locum patere voluit Bellogrado adhuc juveni ejus virtutis conscia; ac suis quasi manibus ipsum sustulit et collocavit in cathedra. Nimis praepropere videbatur tantus honor in eum conferri, nec id pati religiosi ejus ordinis consuetudo. At haec cessit communi bono et

(1) Comment. cit. pag. 20. 21.

publico. Hoc eodem ille consilio Congregationi praeficitur, penes quam publicum studiorum regimen (1).

Noverat idem optime utriusque muneris dignitatem ac pondus; nihil propterea omisit, quo eidem se parem redderet. Et mathematicis quidem ac physicis disciplinis instabat assidue, has promovebat diurna nocturnaque commentatione, libris, machinis, instrumentis. Praecipue vero eleganti specula, quam in parmensi suae Societatis Collegio erigendam curavit, et muniendam necessariis omnibus ad id praesidiis (2).

Ibi anno 1748 accuratas observationes instituit in solis lunaeque eclipsin, quarum altera, nempe solis, accidit die vigesima quinta Julii, altera octava Augusti, easque Parmae eodem anno ad communem utilitatem vulgavit (3). Utramque eclipsin jamdiu exposui versibus, quos transcribo.

» Omnia, quae sursum vertuntur, corpora certum
» Percurrunt spatium, sibique occurrentia certis
» Momentis secum pugnas et praelia miscent.
» Adspicis? En properis raptus per inane quadrigis
» Sol coeptam petit ire viam: luna invida cursum
» Interjecta negat; flammantia spicula contra
» Sol jacit; immissos radiorum intercipit ictus
» Occurrens inimica soror: tunc ille, reflexis
» Ignibus, inficitur vultum pallore, magisque
» Deficit, atque oculis se se mortalibus aufert

(1) Comment. cit. pag. 20, 21.
(2) Ibidem pag. 25.
(3) Ibidem pag. 49.

» Interdum, et multa tellus involvitur umbra.
» Ereptae tum terra dolens dispendia lucis
» Occupat os solis subter labentis, et ipsi
» Adversa occurrens inimicam corporis umbram
» Projicit in lunam, propriasque ulciscitur iras.

Sed ne avertamus animum a Jacobo. Studio promovendi hujusmodi disciplinas idem quotannis voluit ab aliquo ex suis auditoribus publicam de rebus his disputationem iniri (1). Ad hoc bibliothecam sibi instruxerat plane ingentem. In ea optimi quique auctores, et in singulis scientiis, earumque partibus principes; praecipue vero acta a florentissimis edita Academiis, ac prae ceteris illustribus tota Europa, in quibus physica quaeque et mathematica non accurate minus, quam penitus expenduntur. Ad id ab eodem inita cum viris doctrina praestantibus consuetudo.

His omnibus simul confluentibus quasi rivulis aucta est Jacobi mirum in modum scientia. Is enim physicae ac mathematicae disciplinae, pro ea, qua ambae junguntur, affinitate, intimos quosque sinus latebrasque pervaserat. Hoc apertissime evincunt relicta ab eo monumenta, quorum paucissima tantum dabo, ne longum faciam, et patientia lectorum abuti videar; praecipue cum vel pauca sufficiant. Notabo autem singula completa historia.

Anno itaque 1749 instituit accuratissimam in *electricitatis phaenomena*, uti ajunt, disquisitionem, eamque publici juris factam Philippo Borbonio Par-

(1) Comment. cit. pag. 55.

mae ac Placentiae duci dicavit, ad eumdem praemissa epistola. Sic porro inscribitur disquisitio: » I fe» nomeni elettrici con i corollarj da lor dedotti, e con » i fonti di ciò, che rende malagevole la ricerca del » principio elettrico ».

In hac paucis Bellogradus multa concludit, eademque aperte et eleganter exponit. Tum eos accusat (Noletium praesertim et Dalembertium), qui de *electricitate*, re scilicet non plane cognita, vana protulere *systemata*, sibique placere ostendit cautius philosophari. Nimirum prae oculis habebat illud *aetatem unam non sufficere ad inquisitionem tantorum* (1). Hinc Parthenius pleraque desumpsit experimenta, quae versibus libro primo electricorum explicuit severitatem doctrinae temperans suavitate poeseos (2).

Doctis arrisit plurimum dissertatio (3): plurimum Maecenati. Hic id Bellogrado significari voluit per epistolam ab eo ipso, qui sibi a secretis erat, cujus consilio utebatur in ducatus totius regimine. Per eumdem mitti praeterea jussit ad illum literas suo stemmate gentili impressas. In his ajebat Jacobum a se constitutum fuisse moderatorem conscientiae suae sponsae Augustae (4) et regium aulicum insuper mathematicum. Quare eumdem in posterum frui debere iis

(1) Seneca l. 7. natural. quaest. c. 25.

(2) Comment. cit. pag. 31.

(3) Mem. pour l'hist. des scienc. et beaux arts.

(4) Cui idem additus postea comes in itinere in Galliam ab ipsa inito. Eam comitatus est Genuam usque et Augustam Taurinorum cum eadem ubique exceptus perhonorifice;

omnibus praerogativis, honoribus, privilegiis, quae virum decent titulis ac muneribus adeo splendidis exornatum. Esse enim haec praemia cum doctrinae, tum pietati debita illius eximiae. Nec his contentus usus et ipse est ejus ductu in privata et intima vitae suae institutione.

Facile hinc unusquisque intelligit, quanto haec incitamento Jacobo fuerint ad progrediendum in scientiis. Honor siquidem et favor virorum principum alit artes. Enimvero Bellogradus totum se hujusmodi studiis dedit; ac secum reputans, quanta esset in se Borbonii ducis munificentia, statuit grati in illum animi sensum publice ostendere. Duas itaque per typos protulit dissertationes, quarum prima ita enuntiatur:

» Della riflessione dei corpi dall' acqua »:

altera sic inscribitur:

» Della diminuzione di mole de' sassi ne' torrenti e » ne' fiumi ».

Utramque obtulit per epistolam tanto principi, de eximiis animi et ingenii dotibus ejus praedicans. Et ad primam quod attinet, causam quaerit, cur in aquam conjecta corpora resiliant. Unde enim repetenda haec vis repellens, si aqua neque *solida*, neque *elastica?* Atque hoc illud est, quod Bellogradus pro certo sumit, *elasticitatem* scilicet aquae inesse. At contrarium prorsus evincunt (ut existimant adversarii) instituta tentamina ab academicis florentinis. Ex his enim certo constat, aquam non posse comprimi. Hoc unum (reponit auctor) ex illis constat, nondum eam potuisse comprimi; non illud, non posse comprimi omnino. Tum concludit, quae de hac re certo

novimus, quae animadvertimus, quae experimur sententiae suae suffragari, eamque prope in aperto ponere.

Dissertatio publici juris facta pervenit in Galliam, et a litteratissimis viris laudes expressit amplissimas (1). Eamdem legit etiam doctissimus Spallanzanius, contrariae opinionis fautor, atque inibi prope fuit, ut manus daret. Ad experimenta tamen, ut scribit, rem traduxit; atque hinc sibi clarius oblatum lumen fatetur, quod se magis magisque confirmaverit in sua sententia, ac dimoverit ab opinione Bellogradi; quae tamen hac nostra aetate, novis institutis experimentis, extra omnem dubitationis aleam videtur posita.

Quod autem spectat ad alteram ex propositis dissertationibus, animadvertit Jacobus, quo ulterius torrens progreditur, eo magis aquae velocitatem imminui, et sensim decrescere vim pellendi ex iis, quae identidem offendit sibi obstantia; proptereaque decipi, qui contendunt, saxa a montibus imbre avulsa ad pelagus usque torqueri ab aqua et impelli, atque ita collidi mutuo ac premi, ut se gradatim comminuant ac deterant, dum in arenam desinant. Perinde scilicet ac si rotae admota essent, quae circumacta partes ab iis abraderet, et in pulverem eadem solve-

(1) » Ella ci sembrò (sic illi) così istruttiva e dilettevo-
» le, che avremmo bramato di poterla tradurre seguitamente.
» Un compendio ne altera necessariamente la forza, e ne fa
» dileguare le grazie. Mémoires pour l'hist. des scienc. et
» beaux-arts ann. 1755 ».

ret. Eruditi viri, de quibus antea, dissertationem hanc in breve quoddam redegere compendium, judicantes eamdem aliqua ex parte posse majorem, quam alteram, curiositatem incendere. Aliam praeterea doctam et eruditam dissertationem emisit sic inscriptam: » Sopra i torrenti »; in qua de ipsorum natura disserens et origine, multa de aquarum cursu adjicit scitu digna. Est haec in libro, qui sic inscribitur: » Rac- » colta di autori, che trattano dell' acque ».

His ita constitutis, veritatis detegendae studiosus ad inquirendum aggreditur, quid sibi adscribere casus possit, in tot scientiarum artiumque inventis. Ac primum quaerit, quae origo et indoles casus sit; quae necessario requirantur, ut dici possit, aliquid casu fieri; quid casus cum arte valeat efficere. Post ad humanae mentis notiones ideasque descendit; quae cum sint inter se plurimum varietate dissimiles, numero quasi infinitae, nexae simul et implicatae, et referantur insuper ad plurima, intelligentia comprehendi nequeunt. Hinc patefit casui aditus et fortunae.

Ad extremum cum iis congreditur, qui hanc pulcherrimam mundi molem fortuito casui, caeco scilicet principio, affingunt; et hoc prae ceteris argumento dissipat delirantium somnia. Probat nimirum casum neque materiae, neque motus, neque legum, quibus regitur idem motus, neque inertiae auctorem ullo modo esse posse. Ubique ingeniosae imagines, ubique opes depromptae a physicis, metaphysicis, mathematicis disciplinis (1).

(1) » Tutti questi sistemi immaginati per concedere al

Huic aliam dissertationem annexuit, quam sic inscripsit : » Dell' influsso degli astri ne' corpi terrestri ». In prima operis hujus parte affert multa ex iis, quae solent vulgo repeti a vi, qua astra, praesertim luna putatur agere in haec terrestria corpora. Argumenta nimirum profert desumpta a reciproco maris aestu, a piscibus, morbis, plantis, quae varias pro variis astrorum et lunae vicibus vices subeunt. Esse haec ajunt, qui ab hac opinione stant, certa sibi observatione comperta.

Eadem accurate expendit in altera dissertationis parte Bellogradus, eorumque partim arguit falsitatis, partim inter incerta rejicit, quae autem admittit tamquam vera, ab alio prorsus principio repetit. Tum affert ea, quae demonstrant, ut credit, lunam non posse agere in terram, multoque minus in atmosphaeram, et producere quaecumque ipsi ab ejus fautoribus tribuuntur. Dissertatio haec cum praecedenti anno 1757 e typis prodiit Seminarii patavini.

Properare cogor et praeterire silentio Archimedis cochleam diligenter ab eo descriptam, novis tentaminibus illustratam, et ad plures, quam antea, usus tradu-

---

» caso gli onori, che niegansi alla Divinità, cadono a terra » dinanzi alle dimostrazioni vittoriose, che trae il P. Belgrado » dalla più solida metafisica e dalla più esatta geometria, ch' e» gli maneggia con una forza di logica, la di cui impressione » invincibile porta i caratteri della più sensibile evidenza ». Mém. pour l'hist. des scienc. et beaux-arts ann. 1758.

Vedi la lettera 70 nel Vol. VI delle opere varie di Jacopo Stellini pag. 233.

ctam (1). Mitto quae *de phialis vitreis ex minimi silicis casu dissilientibus, de atmosphaerae altitudine aestimanda, de gravitatis legibus, de corporibus elasticis, de telluris viriditate*; de aliis plurimis disputavit et edidit, plaudentibus rei litterariae scriptoribus (2). Mitto, inquam, omnes hujusmodi dissertationes, quibus aptari potest illud Ovidii de natis Doridos:

» . . . . . facies non omnibus una,
» Nec diversa tamen; qualem decet esse sororum (3) » .

Opus vero illud praeterire omnino non possum, quod hunc praeferre voluit in fronte titulum; » De utriusque analyseos usu in re physica » ; Opus ab eo susceptum hoc in primis consilio, ut amatoribus physicae disciplinae ostenderet, quantum splendoris eadem et soliditatis amitteret, detracta analysi. Duplici continetur volumine. Primum anno 1761, anno sequente alterum Parmae prodiit, utrumque ornatum nomine Ferdinandi, tum quidem principis hereditarii, post autem sedentis ad regimen loco patris, tamdem magno omnium dolore extincti. Utrique dissertationem

(1) » Questa dissertazione è dotta, è ben ragionata, è » metodica, è convincente. L' analisi, l' esperienza, l' os- » servazione vi si combinan nel modo il più acconcio a por- » tar la certezza, l' evidenza in un' opera di matematica » . De La-Lande. Carolus Bellogradus in vita Jacobi pag. 110.

(2) Novelle lett. di Firenze dell' anno 1755 col. 285. Tom. VIII della stor. letter. d' Italia pag. 62 e segg. e nelle Novelle lett. di Venezia dell' anno 1754 pag. 72 e segg. Mazzuchelli. Volum. II P. II pag. 628 n. 11.

(3) Lib. 2 Metamorph. v. 13. 14.

praemisit, quae viam quasi sterneret ad argumentum sibi propositum. Hanc sequi voluit ducenta et amplius problemata, quorum alia ad rem mechanicam spectant, et dynamicam: referuntur alia ad hydraulicam et hydrostaticam, ad architecturam, astrorum scientiam, geographiam, et similia; quae omnia Jacobus solvit per analysin. Ostendunt haec ipsum in tam subtili negotio ceteris praeire quasi quemdam antesignanum. Certe nemo antea, aeque ac ille, analysis usum auxerat, nemo eamdem in tot disciplinas traduxerat. Ipsius est in exquirendis rebus magna sagacitas, in exponendis summa felicitas; unde apparet, eum haec non nosse tantum, sed scientia et cognitione comprehendere.

Vix eadem in lucem missa retulere laudes, plausus, gratulationes a viris totius Europae doctissimis (1). Tum regia scientiarum Academia parisiensis Jacobum sibi socium adscivit ultro perhonorifico suae in eum existimationis testimonio ad eumdem misso per litteras suo stemmate ornatas (2). Quod quidem instar praeconii ingentis videri debet consideranti nationis illius ingenium non admodum propensae in extraneos.

(1) Prae ceteris comes d'Albon magnifice de Jacobo. Ea ejus sententia italo sermone exposita. » L'alta geometria » s'è abbassata dinanzi al sig. abate Belgrado. Il suo li» bro sopra l'uso dell'analisi nella fisica è d'un osservatore » profondo ». Disc. polit. hist. et crit. sur quelques nat. de l'Europe, 1782 Vol. II pag. 201.

(2) Die 10 Febr. 1762. Commentario della vita ecc. di Jacopo Belgrado pag. 82.

Hactenus inter philosophos Bellogradum vidimus; inter eruditos nunc inspiciamus. In quadam acroasi disputans de re nautica, quam multa de navigationis origine ejusque progressu; de navium, quibus veteres utebantur, magnitudine et forma, de multiplici remorum ordine, et aliis quae latent in abdito antiquitatis recessu (1)! Quidquid superarat sibi temporis a rebus gravioribus, in haec studia impendebat.

Accidit per haec tempora, ut idem Neapolim se conferret. Tum Caroli regis Borbonii jussu ingentibus effossionibus detectum fuerat Herculanum, vetus Campaniae oppidum, inter Pompejos et Neapolim, prope Vesuvium, Neronis tempore terraemotu semirutum, postea sub Tito, erumpentibus Vesuvii immani mole cineribus, prorsus obrutum. Hinc ille occasionem nactus suae eruditionis prodendae, tres latinas epistolas (praeter aliam de rebus physicis) ad Maffejum misit (2), et unam praeterea ad Gorium (3),

(1) Commentar. ecc. pag. 34.

(2) De quatuor latinis epistolis ad Maffejum, vid. le Novelle lett. dell' anno 1749 pag. 65. Leguntur autem haec in fine elogii pag. 66.

» Queste quattro lettere sono distese con tutta l' eleganza » latina, ed essendo ripiene di soda e pulita erudizione, » meritano d' esser lette da qualunque ingegno studioso.

(3) Hic epistolam ad se missam, et tres praeterea ad Maffejum *de antiquis monumentis sub Retina recens inventis*, in suam collectionem inseruit sic inscriptam: » Symbolorum » decas romana Vol. I, in quo admiranda antiquitatum her- » culanensium continuantur ». Mazzuchellius Vol. II P. II pag. 628. n. 10.

viros in hujusmodi studio principes. In his de statuis, picturis, inscriptionibus, numismatibus ita disserit, ut multam praeferat antiquitatis notitiam. Eadem apparet et in duabus aliis ejusdem epistolis ad eumdem Gorium, quae continentur voluinine quarto operis sic inscripti: *Simbole letterarie* (1). Eadem in dissertatione, cui titulum hunc praeire voluit: *Il trono di Nettuno* (2). Hanc postea exhibuit Ravennatum Academiae, in quam et ipse descriptus fuit. Academia hanc ipsam exceptam plausibus edi Caesenae jussit suis impensis; quae paulo post cum aliis dissertationibus rursus edita. Auctori vero duo numismata dono dedit, argenteum unum, sed inauratum, aereum alterum; ut ei declararet aperte, quam gratum sibi fuisset oblatum opus. De eodem splendide vir doctissimus de la-Lande (3).

Quae tamdem de Ægyptiorum architectura exaravit, perspicue ostendunt hominem non solum eruditae antiquitatis peritum, sed mathematicis insuper disciplinis et architecturae arte insigniter institutum (4).

(1) Commentar. cit. pag. 53.

(2) Ibid. pag. 125.

(3) » Quest'opera (sic de la-Lande) è piena di erudizione e di filosofia: ciascuna delle sue parti è dimostrata in » un modo, che appaga: i suoi giudizj son giusti e solidi, » e questo libro non può non accrescere la riputazione, che » gode già il padre Belgrado nel mondo erudito ». Vide Commentar. cit. pag. 145.

(4) Giornale delle belle arti di Roma 1787. Commentario cit. pag. 145.

Quod sane mirum. Erat enim major octogenario, cum ita scripsit. Prodierunt haec ex regia parmensi typographia jussu ipsius Ferdinandi Borbonii ducis, in Jacobum vel ab aetate prima propensi.

Venio nunc ad sacra. Latino sermone explicuit vitam B. Torelli Puppiensis ex ordine Vallis Umbrosae, eamque dicavit eminentiss. Carolo Card. Rezzonico, tum patavinae, post summo totius Ecclesiae pastori. Ad hanc scribendam hortatorem habuit (ut fatetur ipse in epistola ad lectorem) spectabilem episcopum ex eadem familia, qua vir beatus. Eo porro elegantiae nitore usus est, ut videatur prae oculis habuisse Cornelium Nepotem (1).

Vitam quoque Fulcherii sacerdotis ex Societate Jesu, qui sanguinem pro religione profuderat, expositam hispana lingua eleganter vertit in italam, ut pietati viri nobilis satisfaceret (2).

His annecto dissertationem admodum ingeniosam jamdiu vulgatam Utini cum hoc titulo: » Della esisten- » za di Dio da' teoremi geometrici dimostrata «. Scripsit etiam de Dei et Beatorum in caelis aeternitate; unde apparet fuisse eidem omnino cognita vel intima sacrae theologiae penetralia.

Aliquot praeterea sermones sacros reliquit, et sacras panegyricas orationes, quibus non delectat tantum et docet, sed etiam movet.

Funebrem tandem orationem habuit in obitu Al-

(1) Commentar. cit. pag. 46.
(2) Ibid. pag. 156.

phonsi fratris (1), cujus immortalitati studens consulere, suae consuluit. Siquidem ejus laudes nomen propagabunt laudatoris. Cujus ingenium multiplex multiplici doctrina excelluit, politioribus litteris, et severioribus scientiis, arte poetica et oratoria, profana eruditione et sacra. Idem theologica probe noverat, multum valebat in physicis, in metaphysicis vero plurimum, erat in mathematicis longe eximius. Calluit insuper plures linguas transalpinas et transmarinas, in primis graecam, eaque delectabatur magnopere: intimam vero latinae et italae scientiam habuit; utramque scribendo adhibuit multa cum elegantia et venustate; quae laus eo gloriosior, quo rarior. Alii enim alia re ceteris praestant: » huic versatile ingenium sic » pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres » quodcumque ageret. Liv. l. 39. c. 26. ».

(1) Nonis Novembris ann. 1713, quinto decimo vero aetatis, in patavini Seminarii alumnos descriptus fuerat Alphonsus. Nitido ingenio erat ille et perspicaci, tum plurima, quae ipsum ingenium acuit, industria. Quinquennium circiter hic exegit, et praeter rhetoricam graviores etiam didicit disciplinas, Post rediit in patriam, ibique medicinam professus est. Eruditus ipse eruditos coluit. Antiquitatis studiosus fragmentum veteris gemmae sibi illustrandum proposuit erudita epistola, in qua illud quoque ostendit, ad bonam corporis valetudinem conferre plurimum artem musicam. De hoc opere multa cum laude ephemeridum rei litterariae scriptores (Annali letterarj d'Italia Tom. III pag. 417.). Praecipua tamen ejusdem laus petenda nobis ab ejus moribus. Fuit religioni maxime addictus, ad societatem factus, modestus, liberalis, ingenuus, omnibus carissimus ».

Atque haec quidem πολυμαθία, quae paucis omnino concessa, singularem ei existimationem pepererat apud omnes, apud viros etiam in primis doctos et litteratos. Et jam edendam ille paraverat, uti narrat Mazzuchellius (1), pulcherrimam collectionem epistolarum, quarum alias aliis Bellogradus scripserat, alias ab iis acceperat de rebus mathematicis et eruditis. Quid harum plerisque evenerit, plane ignotum: exstant tantum paucae; clare tamen ex istis constat, quam late pateret litterarium ipsius commercium. Modum transgrederer ab initio mihi praescriptum, si vellem singulos nominare, quibuscum illud exercuit. Recensebo tantum aliquos, qui mihi occurrunt.

Erant illi mutuo litterarum officio juncti Franciscus Zanottus, Blancus, Casalius, Bentivolus, Paleottus, Mazzuchellius. Cum Maffejo, Gorio, Torrellio, cum utroque Riccatio, Jacobo scilicet ac Jordano, Toaldo, Jaquierio, Zuliano, Cognolato, cum aliis plurimis et doctissimis ex sua praesertim Societate, cum Roberto, Vincentio Riccatio, Boscovichio, Sanseverino, Zaccharia, Tiraboschio, eidem mutua haec litterarum necessitudo intercessit. Brevi: eadem haec consuetudo illi communis fuit cum aliis viris, qui et in Italia, et in remotissimis etiam Europae partibus vigent exquisitae doctrinae fama conspicui. Hinc excitari in eum studia hominum, et in dies crescere. De illo in suis operibus plures meminisse cum laude (2); eum

(1) Volume II P. II degli scrittori italiani pag. 629.

(2) Praeter eos, quos antea nominavi, Xaverius Bettinellius passim in suis epistolis ad Franciscum comitem de Alga-

sibi socium adsciscere florentissimae Academiae (1), de eo gloriari, suos describere in fastos ejusdem nomen, et annalium memoria posteris tradere, eum denique honoribus, titulis ac praemiis prosequi.

Quin eum honorare visi sunt primi virorum principum administri et consiliarii pluribus epistolis, quae vel erudita continent, vel indicant ea praesidia, quibus promoveri res litteraria facilius posset (2).

Ferdinandus ipse Borbonius infans parmensis dux, cum duabus epistolis non aliena manu, sed sua scriptis eum honestavit, tum etiam ultro titulo comitis ipsum auxit, totamque gentem ipsius vel in posterum, honorificentissimis litteris ad eumdem missis, praeferentibus regium stemma (3). Quod licet magnum sit, non tamen miror. Erant enim in ejus oculis monumenta pulcherrima a Bellogrado nobis relicta. Erant viri illustres ab eodem scientiis gravioribus instituti, quos in-

rottis, et hic vicissim in suis ad Bettinellium. Vide Tom. XIV operum Francisci comitis Algarotti, quae Venetiis edita ann. 1764 typis Caroli Palese. Josephus etiam Bartholus splendide admodum de Jacobo in opere, quod inscripsit: *Ragionamento primo sopra l'antichità del Dittico quiriniano*.

(1) Fuit inter Arcadas Parmam deductos nomine Damageti Cryptei; inter Intronatos, Physiocriticos et Etruscos. Eum socium habuit regia scientiarum Academia parisiensis, et regia pariter scientiarum, litterarum et artium Academia patavina, ipsum jactat suum bononiensis, quam Institutum vocant, ravennatensis et utinensis. Passim in Commentario cit.

(2) Ibidem pag. 160.

(3) Die 25 Augusti ann. 1777 Commentar. cit. pag. 137.

ter eminet, qui tunc praeerat parmensi ecclesiae, eamque maxime ornabat, sapientissimus praesul Adeodatus Turchi, non virtute minus spectabilis quam aureis scriptis, ac solida religione plenissimis. Is affirmabat solitum se fuisse Jacobum prosequi intimo quodam existimationis atque venerationis sensu, quod eximiam pietatem cum ingenio conjungeret prorsus raro (1). Id eum praestitisse apparebit ex ejus moribus, de quibus pauca nunc afferam.

Magna erat ille vitae integritate, et continentia; et quamvis Parmae cum aulicis tamdiu fuerit, domestice cum illis vixerit, nihil tamen in illo, quod Aulam saperet. Non tectus animus, non fictus vultus, non arrogans sermo. Noverat quidem se doctum et eruditum haberi; ab elati tamen animi sensu, et fastu abhorruit. Non illum extulit honorum splendor, non populi studium, non favor principum, non omnium plausus (2).

In deligendis amicis sapiens, in colendis diligens fuit. Franciscum Trentum utinensis ecclesiae metropolitanae canonicum, virum eximium, et insignis pietatis fama conspicuum, viventem admiratione, mortuum prosequutus est italis epigrammatis ex tempore fusis, et intimo dolore expressis. Idem omnibus subsidio erat, sive rogaretur per litteras, sive coram; iisque indicabat, per quae possent in studiis progredi.

De communi bono sollicitus vehementer obstitit,

(1) Commentar. cit. pag. 162.
(2) Ibid. pag. 154.

ne lex ferretur reipublicae perniciosa. Statim obtinuit, quod optabat. Hoc uno sibi maxime obstrinxit Parmensium animos jam ante addictos, praesertim vero ducis. Is adstantes viros nobiles dicitur sic affatus: » Vestrum neminem tam amicum mihi comperi, quam » Bellogradum (1). Hic museum sibi splendidum adornaverat, et paraverat plures machinas inservientes naturalis historiae studio. Utrumque regio-ducali Universitati liberaliter dono dedit. Cui dux ea munificentia respondit, quae decet virum principem. Magna utrimque liberalitas!

Non minor Jacobi vitae aequabilitas inter tam varias ac tristes, quibus fuit idem obnoxius, vices; insons tamen, Carolo Bellogrado teste, ejusdem vitae scriptore. Splendidis muneribus, de quibus antea, spoliatur. Incumbentibus noctis tenebris, hyemis tempore, obsessa domo a militibus, abire Parma cum sociis cogitur de repente, ac se Bononiam transferre, ubi suis praefuit. Mox acerbiora expertus: carcerem scilicet et exilium. Quanta rerum, quam inopina conversio! Ejicitur ille ab iis, quorum paulo ante in caelum fuerat elatus laudibus. Jacet, qui tot honoribus antea floruit. Sic est: humana quaelibet miscet dolor et gaudium. Immo nonnulli cum ad summum ante pervenerint, non raro post in infimum prolabuntur. Mentiar, si dicam, ipsum harum rerum otiosum spectatorem fuisse. Quin intentatum nihil reliquit, quo occurreret calamitati jam jam impendenti. Scripsit,

(1) Commentar. cit. pag. 77.

oravit, institit. At cum cerneret in irritum omnia cadere, et aboleri religiosam suam Societatem, qua illi erat nihil carius; graviter quidem doluit, praeferens tamen dignam christiano viro constantiam.

Tum discessit ad suos reversurus. Mutina transeunti eidem offertur cathedra ab augusto duce Francisco III, ut physicam profiteatur in publico ejus urbis Archigymnasio (1). Abeundi veniam Bellogradus impetrat aetate valde provectus. Ita quolibet expeditus negotio venit in patriam. Numquam tamen indulsit otio studiis assidue intentus usque ad ultimum longae ac diutinae vitae tempus. Quin etiam aeger, ubi paululum remitteret morbi vis, inter famulorum sublatus manus deferri volebat identidem ad pluteum. Ibi legere solitus erat, et recognoscere, quae nondum typis tradiderat (2).

Quid de illius pietate ac religione commemorem? Utramque exercuit cura magna, et apud alios promovit adhortationibus et exemplo. Mos illi erat sacras confessiones excipere, studiosam juventutem colere et erudire in timore Domini (3).

Diligentissimus ipse pati non poterat quemquam sua minus sollicite obire munera. Ægros invisere, iis assidere in deliciis habuit. Deum scilicet in iis spectabat, quem matutinis precibus colere solebat, ac saepius die; quicum detinebatur, extremo praeser-

(1) Commentario cit. pag. 122.
(2) Ibid. pag. 151.
(3) Ibid. pag. 87. 153.

tim tempore, plures horas. Ut eodem liberius frueretur atque diutius, minus saepe domesticos admittebat, nedum extraneos; minus libenter cum aliis versabatur; numquam laetior, quam cum solus: ibi exspectabat vocem Domini. Cui ut se magis acceptum redderet, studuit quascumque noxas eluere, in se ipsum ad sanguinem usque saeviens (1).

Interim febris, nervorumque distentio invadit hominem annis et laboribus paene tritum, eumdemque lente consumens redigit ad extrema. Sacra parantur Ecclesiae more praesidia. Adest Christi corpus, quo se reficiat ad aeternitatis viam capessendam. Tunc is profiteri, se apostolicam sedem colere, eique firmiter adhaerere: se ab omnibus veniam petere, si cui nocuisset vel injuria, vel pravo exemplo. Inter haec uberrimam vim lacrymarum profudit, animo tamen constans. Eumdem sacramentis munitum mors sustulit VII Cal. Aprilis ann. 1789, cum quintum supra octogesimum annum ageret. Habent in hoc docti praesertim homines clarum, quod imitentur, exemplum.

(1) Commentario cit. pag. 152.

## JACOBI BELLOGRADI OPERA EDITA

Gratulatio Jo. Cardinali Francisco Barbadico patavinam sedem ineunti, Patavii 1723 in 4.

Ad disciplinam mechanicam, nauticam et geographicam Acroasis critica et historica. Parmae 1741 in 4.

Ad disciplinam hydrostaticam Acroasis historica et critica, Ibid. 1742 in 4.

De altitudine atmosphaerae aestimanda critica Disquisitio, Ibid. 1743 in 4.

De phialis vitreis ex minimi silicis casu dissilientibus Acroasis, Patavii 1743 in 4.

De gravitatis legibus Acroasis physico-mathematica, Parmae 1744 in 4.

De vita B. Torelli Puppiensis Commentarius, Patavii 1745 in 8.

De corporibus elasticis Disquisit. physico-mathemat. Parmae 1747 in 4.

Observatio solis defectus et lunae, Ibid. 1748.

Epistolae duae, altera de crassitie laterum, et altera de inscriptione militari basis ariminensis, Exstant in opere, quod inscribitur: *Symbolae litterariae ab Antonio Francisco Gorio vulgatae*. Florentiae 1748 Vol. IV.

Epistola de inscriptione militari etc. edita quoque fuit Mutinae 1749.

I Fenomeni elettrici con i corollarj da lor dedotti. Parma 1749 in 4.

Ad marchionem Scipionem Maphejum epistolae IV. Venet. 1749 in 8.

Epistola V ad Antonium Franciscum Gorium cum ceteris ad Maphejum exstant in Vol. I *Symbolarum litterariarum*, Florentiae 1751.

Della riflessione de' corpi dall' acqua, e della diminuzione

della mole dei sassi nei torrenti e nei fiumi, Dissertazione. Parma 1753 in 4.

Observatio defectus lunae habita die 30 Julii in novo observatorio 1757.

Dell' azione del caso nelle invenzioni, e dell' influsso degli astri nei corpi terrestri, Dissertazioni due. Padova 1757 in 4.

Observatio defectus lunae. Parmae 1761.

De utriusque analyseos usu in re physica. Ibid. 1761 Vol. 2 in 4.

Delle sensazioni del calore e del freddo, Dissertazione. Ivi 1764 in 8.

Il trono di Nettuno illustrato. Cesena 1766 in 4.

Theoria Cochleae Archimedis. Parmae 1767 in 8.

Dissertazione sopra i torrenti. Sta nel Vol. VII della nuova Raccolta di autori, che trattano del moto dell' acque da lui pubblicata. Ivi 1768 in 4.

La stessa Dissertazione inserita nel Vol. VII della Raccolta di Firenze. Dalla stamp. R. 1770.

Della rapidità delle idee, Dissertazione. Modena 1770.

Della proporzione tra i talenti dell' uomo, e i loro usi, Dissertazione. Padova 1773.

De telluris viriditate Dissertatio. Utini 1777.

Della esistenza di Dio dai teoremi geometrici dimostrata, Dissertazione. Ivi 1777.

Dalla esistenza di una sola specie di esseri ragionevoli e liberi si arguisce l' esistenza di Dio, Dissertazione. Ivi 1782.

Del Sole bisognevole di alimento, e dell' Oceano abile a procacciarglielo, Dissertaz. fisico-matematica. Ferrara 1783.

Dell' architettura egiziana, Dissertazione. Parma 1786.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Apologia della suddetta Dissert. dell' esistenza di Dio dai teoremi geometrici dimostrata.

Dissertazione sul terremoto accaduto in Parma nel 1738, coll' aggiunta alla medesima.

Osservazioni sull' aurora boreale veduta in Parma nell' anno stesso 1738.

Dissertazione sull' innesto del vajuolo: se debba praticarsi ad un figliuolo unico di un sovrano.

Delle tre prigionie, di S. Giovambatista in Tiberiade, di S. Pietro in Gerusalemme, e di S. Paolo in Filippi di Macedonia.

Della eternità di Dio e dei Beati in cielo.

Elogio del co. Alfonso Belgrado.

Panegirici, orazioni sacre, varj sermoni e conferenze.

Poesie latine ed italiane.

Vita del P. Fulcherio di Spilimbergo gesuita e martire, tradotta dalla lingua spagnuola.

# VITA

# NATALIS LASTESII

Bassano proficiscentibus ad occidentem versus offert se Marostica, vetus oppidum, et satis clarum; in agro vicetino situm. Ibi III Cal. Aprilis ann. 1707 ortum habuit Natalis Lastesius, politiorum praecipue litterarum cultoribus gratum nomen. XI Cal. Novemb. ann. 1717 in patavinum Seminarium excipitur grammaticorum praeceptionibus imbuendus. Jam tum pollebat aliquo ingenii acumine, magna utebatur facilitate memoriae, et eximia in omnibus diligentia; quam collato non semel praemio excitarunt praeceptores sibi plurimum ab eo polliciti. Grammaticae et rhetoricae cursu feliciter absoluto, ad severiores philosophorum disquisitiones accessit. Tunc exercere se rursus coepit in litteris, ad quas natura propensus magna dicendi elegantia et copia floruit, sive numeris soluta scriberet, sive nexa. Post jurisprudentiam excoluit, mox se dedit theologiae. Duos ac viginti annos natus in sacro patavino theologorum Collegio, cum de more periculum sui fecisset, laurea ornatur, et in eorum coetum describitur. Dein eligitur in patavini Seminarii magistrum, ac licet nondum sacerdotio insignitus, ju-

betur statim praeter consuetudinem loci humanitatem profiteri.

Vix dici potest, quanta alacritate susceperit collatum munus, quanta cum dignitate et utilitate praestiterit. Suis discipulis assidue instabat, de eorum progressu sollicitus quam qui maxime. Solebat eos perhumaniter ad studia hortari et incendere, familiariter se iisdem dedere, et aperire intima quaeque et abdita oratorum ac rhetorum artificia. Tanta ejus comitas affabilitasque sermonis adeo eosdem ei conciliaverat, ut aegre admodum discederent ab ejus ludo: quin gloriabantur saepe apud alios postea, se ab illius disciplina extitisse.

Interim invitatur Natalis Cenetam ad philosophiam profitendam in eo Seminario, cui rector praeerat Ægidius Forcellinus (1). Hic enim optime Lastesium noverat. Is minime passus est, se a patavino Seminario divelli, cui se debere plurimum fatebatur. Ab eodem tamen non multo post discessit invitus.

Vertebat ann. 1733 cum Patavio Venetias petiit, ibique diversatus est apud patricium virum Jacobum de Cavallis, cujus filium instituendum suscepit conditione valde honorifica. Atque ut is, et alii pariter juvenes latinae linguae principia facilius discerent, librum edidit ita inscriptum, *Regole della costruzione latina*, qui rursus Venetiis prodiit ejus utilitate comperta. Triennio elapso, Vicetiam repente adsciscitur ad litterariam institutionem Collegii. Hoc eodem consilio

(1) Vide ejus vitam pag. 176.

anno post Patavium accersitur a Franzono, tum rursus vocatur Cenetam ad Alumnos Seminarii illius erudiendos in arte rhetorica, mox Acelum, et eodem iterum paulo post, dein Feltriam perhonorifice ad obeundum simile munus. Tanta scilicet viri laus! ut illum omnes expeterent, secum paene urbes ac populi in eo poscendo certarent. Quibus omnibus, ut par erat, gratiis actis, noluit ille a proposito dimoveri, noluit inceptum opus deserere.

Ineunte nimirum ann. 1738 Venetiis ludum privatim domi aperuerat. Frequentes eo conveniebant non solum patricii juvenes, sed et alii, cum veneta ex urbe, tum ex ditione honeste omnes ac liberaliter educati. Docebantur ibi tum litteras, tum logicam et metaphysicam, praecipue vero juris naturalis atque civilis scientiam. Sic illi poterant et apte, quae sint in jure, describere, et ornate illustrare. Quod apud Romanos jamdiu Mutius Scaevola, hoc idem apud Venetos hac nostra aetate Lastesius institit annos septem circiter et viginti, in litterario labore assiduus, et agendo plane indefessus, studio parandi reipublicae cives doctos, quo nihil majus et optabilius. Nec ejus consilium irritum. Hinc enim senatores amplissimi, et experientissimi viri a secretis. Illi honores, quibus aucti fuerant, referebant acceptos hujusmodi institutioni. » Magna laus et grata hominibus, unum hominem e» laborare in ea scientia, quae sit multis profutu» ra (1)».

(1) Cicero pro Murena c. 9.

Sed ejus virtus tam angustis finibus claudi nequit. Ab aestuariis illis Taurinum volat ejusdem nomen. Ibi cogitant honestam missionem dare celeberrimo Tagliazucchio, et Natalem in ejus locum sufficere, ut eloquentiam profiteatur in regio illo Athenaeo. Eum sustinendo tanto muneri, et nomini parem ducunt. Caruit res eventu, quod Lastesius abstinuit officio quolibet. Hoc ipsum illi aditum interclusit ad munus aeque splendidum obtinendum in publico patavino Lyceo.

At praemium retulit ejus virtutis praestantia cognita, et honor cumulatior rediit. Eum omnes magna existimatione prosequi visi sunt, magna observantia colere, nobiles etiam viri, litterisque conspicui; prae ceteris celeberrimus Marcus Foscarenus eum honorifice privatim habuit, et in re litteraria non semel usus est ejus opera; illud dolere solitus, quod serius agnovisset tantum virum, cui et ipsi detulere plurimum magistratus. Et ab his quidem electus ad scribendam historiam publici Archigymnasii patavini, fuit hoc ab iisdem postea levatus onere. Fuit etiam ab ipsis jussus librorum Inspectoris (1) officio fungi in iis, quae religionem attingunt. Eidem praeterea facultas tradita (2) expediendi Brevia apostolica. Invitus quod sequius sit, de hoc viro loquor. In hoc non omnibus satisfecit: quin in offensionem incurrit. Non tamen propterea destitit rogari a pluribus et consuli. Fre-

(1) Anno 1765.
(2) Anno 1769.

quens erat ad eum concursus. Ille omnibus aderat, ubi opus esset: cumque plurimum valeret gratia apud viros principes, ideo plurimis auxilium praebere poterat, et perfugium.

Eum tot tantisque rebus distentum numquam amoeniorum studiorum coepit oblivio. Identidem ad ea redibat, quae tanta cum laude coluerat semper antea. Scripsit latina et itala, ligata numeris et soluta. Quantum porro valeret ille in poesi italica, perspicue constat ex monumentis ab eo jelictis; ex gratulatione praesertim ad Joannem Baptistam Corneliae gentis in ejus nuptiis: ex versione carminis a S. Gregorio Nazianzeno conscripti in laudem Virginitatis jamdiu Venetiis ab eo vulgata, cum virgo ex eadem Cornelia gente regularem observantiam profiteretur. Quem utinam ii sibi ad imitandum proponerent, quos aliquando nugari non pudet in re gravissima. Constat etiam (ut alia similia omittam) ex versione Publii Virgilii Æneidos, cujus editio postuma.

Quin diuturno italae poeseos usu eo facilitatis pervenerat, ut versus funderet plane ex tempore. Cui rei luculento argumento est poema ab eo et Marco Forcellino viro illius amantissimo (1) repente fusum, ac postea editum in nuptiis Catharinae de Bellatis feltrensis comitissae. Socium praeterea eumdem habuit Forcellinum in adornanda editione operum Speronii Speroni viri doctissimi; quae anno 1740 in lucem prolata magnam iniit gratiam ab eruditis.

(1) Vide ejus vitam in hoc volumine.

Quod vero pertinet ad latina carmina, haec quoque feliciter ei fluebant. Multa ex his continentur volumine, quod ann. 1774 Patavii prodiit Lastesii nomen praeportans. Passim etiam non pauca occurrunt pluribus in libellis, vulgo *Raccolte*. Poema autem, quod anno 1767 Venetiis, post Patavii cum aliis editum, sic inscripsit, *Apollo Vaticanus*, ubique sane maxime acceptum fuit, sed Romae excitavit ingentem plausum. Opus enimvero praeclarum, in quo rapit legentium animos ingenium plane poeticum, et eximia facilitas difficilia quaeque exprimendi. Ne exaggerare rem videar, pauca transcribam, quibus sculptorem ponit ob oculos fingentem statuam Apollinis. En illa.

» Ecce autem primos ferri mollescit ad ictus
» Marmor, caesa cadunt ultro molimine parvo
» Fragmina, nec tenues levis assula verberat aura.
» Ter reprimit dextram sacra formidine sculptor
» Attonitus monstris.

Et paucis interjectis, haec addit:

» At lapis argillae, vel cerae ductilis instar
» Membrorum formas docilis se se aptat in omnes:
» Nunc aequa in spatia excurrit, nunc tramite vergit
» Devexo, nunc se leni discrimine tollit:
» Hic junctura decens, hic prodit musculus, illic
» Parva monent oculos tecti vestigia nervi (1).

Sed haec hactenus: quamquam necesse esset exscribere totum carmen. De quo ita ad adolescentem Vincentius Rota. » Opera delle più belle, ch' io m' abbia

(1) Paulo post initium.

» mai letto. Lo legga, e lo rilegga, e lo studj, che tro-
» verà sempre nuovo motivo d'ammirarlo (1).

Neque poetam tantum; egit quoque historicum. Vitam dedit Francisci Algarotti et Laurentii Pataroli, et hanc praemisit illius operibus. Insuper Venetiis protulit additamentum ad numismata gentis Barbadicae, in quo paucis comprehensam exhibet quorumdam vitam, qui ex hac eadem gente profecti.

Per haec illustris et pervagata nominis ejus fama; maxime vero per orationes, praecipue latinas, quibus litteratorum hominum studia movit et admirationem. Splendidam quamdam, minimeque vulgarem rationem dicendi tenet, numerosus in verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis, romanae autem antiquitatis litterate peritus, ad pleniorem illam Ciceronis copiam accedens. Ea vero est latini sermonis proprietas, ut in eo nativus appareat, non adscitus. Legendus hic, si quisquam alius, eloquentiae studiosis. *Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest* (2).

Cum his orationibus (3) conjunxit auctor *Epistolam*

(1) Franciscus Fanzago in elogio Vincentii Rotae, cujus titulus est hujusmodi: *Memorie intorno alla vita* ecc. *dell' ab. Vincenzo Rota* pag. 11.

(2) Cic. de clar. orator. c. 35.

(3) De his litterariae ephemerides, La Minerva num. 8. pag. 152. num. 4. pag. 12.

Auctor annotationum in opus Andresii, cui titulus *dell' origine* ecc. *di ogni letteratura* Tom. III pag. 248. haec habet: » Ai Lagomarsini e ai Zanotti niuno sdegnerà certa-
» mente di aggiungere i dalle Laste, le cui orazioni, piuc-

*de museo Philippi Farsetii ad cortonensium Academiam*, in qua non solum de museo illo ornatissimo, ut sibi proposuerat, sed etiam de re omni antiquaria non eleganter minus, quam scite disserit. Intimam scilicet et recondi.tam pulcherrimarum artium cognitionem ostendit. Harum initia exponit, tum demonstrat quomodo progressae fuerint, et perfectionem attigerint, quibus et de causis ab ea desciverint, et sensim corruptae ac depravatae evaserint ad extremum omnino degeneres. His identidem utilissimae animadversiones immixtae; ubique eximia judicandi solertia. Selecta verba, accurata, exprimentia, singula ad artis trutinam explorata et expensa.

Celeberrimus Lagomarsinus cum vellet praeconium texere orationi de picturae, sculpturae, architecturae artibus ab eruditissimo Jo. Baptista Roberto habitae in Academia bononiensi, quam *Institutum* vocant, sic loquitur:

» Atque hujus quidem eloquentissimae orationis ma» jus a me praeconium fieri non posse video, quam » si eam cum disertissima Lastesii epistola confe» ram; etenim quod latino sermone Lastesius, etrusco » Robertus perfecit; singulari uterque et rerum, quas » tractant, peritia, et eximia sermonis, qua res ipsas » efferunt, elegantia (1) » . Et alibi: » Hac de re,

---

» chè altre della nostra età, mi sembrano avere non solo co» pia e rotondità, ma spirito e vita affatto ciceroniana.

(1) In quadam annotatione ad electricorum poema Josephi Mariani Parthenii lib. 6. pag. 226.

» inquit, legenda omnino epistola Natalis Lastesii de » museo Philippi Farsetii ad clar. cortonens. Acade- » miam (1) ».

Eruditi lipsienses, quibus eadem epistola oblata fuerat, integram transcripsere, ingenue professi, se *nosse neminem*, qui nostris temporibus de rebus his *tam eloquenter*, *tamque latine scripserit* (2).

Propagata et confirmata honorificentissimis hisce judiciis fama, honorari impensius ab omnibus et celebrari Lastesius. Si quid contingeret, de quo ample dicendum esset, omnes statim ad eum confugere, putantes ipsum et rei magnitudinem aequare posse eloquentia, et communem exspectationem implere. Is cum doctissimis viris exercere mutua epistolarum officia, ejus sententia exquiri et haberi plurimi: idem cooptari in coetus litteratorum virorum splendidos (3), et ab iis appellari vir in politioribus ac severioribus disciplinis eximius. Tanta erat ejus doctrinae opinio!

Hac permotus Cardinalis Veronesius episcopus patavinus, vir doctissimus curavit ipsum sui Seminarii studiis praeficere; idque diutius institit. Quominus hoc fieret, plura obstitere incommoda. Ætas provecta, valetudo non satis firma, quiescendi necessitas in causa fuere, cur is a Cardinali veniam impetraverit remanendi. Scripsit tamen ab eo rogatus, quae ad

(1) In alia annotat. ad idem poema lib. 5. pag. 95.

(2) Ad ann. 1763 pag. 185.

(3) In utinensem et patavinam Academiam. Qui huic erant adscripti, dicebantur *Recuperati*.

optimum studiorum praecipue Seminarii regimen crederet opportuna, iisque titulum hunc praefixit: *Considerazioni sopra il Seminario.*

Iisdem de causis a triumviris litterariis obtinuit, ne in theologum consultorem reipublicae eligeretur. Recusavit etiam oblatum a canonicis opitergiensibus decanatum, nec passus est se renuntiari archipresbyterum lendinariensis ecclesiae. Ajebat enim, se ad haec munera minime a Deo vocari.

Communem hanc existimationem ei conciliaverant ejus opera, quae prodierant. Ex his alia latina sunt, alia itala; soluta alia, alia certis conclusa pedibus et mensuris. Anno 1805 editae sunt illius italae familiares epistolae; plerasque ornat arguta brevitas et concinnitas. His clarissimus vir Jacobus Morellius divi Marci bibliothecae custos, et Lastesio, dum viveret, amicissimus praeire voluit ejusdem vitam a se accuratissime scriptam. Sed ne longum faciam, de illius moribus pauca subjiciam.

Fuit itaque ingenio acuto prorsus et expedito, aliquando etiam non nihil acri; animo liberaliter instituto, a fuco, a fastu, ab ostentatione remoto. Magna erat hominis jucunditas sociali in coetu, ejus sermo lepore urbano quasi sale aspersus; idem comis in omnes, officiosus. Quare multis erat acceptus, omnibus magno in pretio ex opinione doctrinae. Ab ejus studio non molestia, non labor eum avocabat. In juventutem instituendam maximam vitae partem insumpsit libentissime.

De Seminario patavino, in quo altus et educatus, alibi minus quandoque honorifice, alibi meminit cum

honore, ut plurimum *laudator temporis acti* (1). Eidem dono misit libros a se confectos, et in quodam ex his illud Horatii inscripsit: *Quod spiro, et placeo, si placeo, tuum est* (2). Ejusdem Seminarii magistris dicavit ann. 1774 Dialogum Francisci Prendilaquae de vita Victorini Feltrensis ex codice Vaticano.

Gratus in patriam, cui se beneficum vivens praebuit, moriens perenne contulit beneficium. Scholam erexit, in qua politiores litteras docerentur Juvenes marosticenses, qui dare vellent ecclesiae nomen (3); et

(1) Horat. de arte poetica v. 173.

(2) Idem lib. 4. ode 3. v. 24.

(3) Cives marosticenses eidem post obitum grati animi ergo posuere lapidem sic inscriptum:

CINERIBVS ET MEMORIAE
NATALIS LASTESII
PRESBYTERI MAROSTICENSIS
VENETAE REIPVBLICAE DVM STABAT
A CONSILIIS LIBRORVMQ. CENSVRA
HISTORIAE GYMNASII PATAVINI SCRIPTORIS
LATINA ELEGANTIA ET ELOQVENTIA
PRAESTANTISSIMI
OPTIME DE PATRIA MERITI
AEDIBVS D. ROCHI INFIRMIS RECIPIVNDIS
EIVS OPERA ADSIGNATIS
ANNVA PECVNIA VI. ADOLESCENTIBVS
AD SACRA INSTITVENDIS
VEL AD LITERARVM STVDIA
TESTAMENTO ADTRIBVTA
CIVES MONVMENTVM POSVERVNT
SYNDICO IOSEPHO FRANCO.
VIXIT ANN. LXXXV. MENS. II. D. XXII.
VITA FVNCTVS XII. KAL. IVLII ANNO MDCCXCII.

ob id testamento legavit certam pecuniae vim ex suarum possessionum fructibus percipiendam in annos singulos. Suam domum patere voluit hospitibus: hi ejus mensam saepius ornabant. Plures amicos habuit, in his M. Antonium Forcellinum, de quo ante, sibi prope aequalem ejusdem laudis aemulum et virtutis. Haec porro aemulatio tantum abfuit ab obtrectatione et invidia, quae solet lacerare plerosque, ut maximam inter eos benevolentiam conciliarit et gratiam. Iis nemo, quam alter alteri carior fuit. Magna haec in societate hominum commendatio!

Magna quoque victus frugalitas. Inter assiduos labores haec illum servavit incolumem, licet esset valetudine non robusta. Opportuna etiam exercitatio, et operae intermissio non parum contulit ad prosperitatem vitae, quam produxit usque ad ultimam senectutem, usus integris animi facultatibus, et sensibus corporis, praesertim oculis, quorum acies omnino perspicax instrumento vitreo non eguit.

Anno ante obitum ex casu quodam fortuito non nihil torpuerat laesum brachium et manus dextera. Aliis subinde incommodis vitiata illius valetudo. Voluit tamen ad rusticandum de more secedere in suum Tusculanum. Appellabat ille hoc nomine possessionem quamdam Bassano et Marosticae moenibus interjacentem, a se coemptam cum aedificio, quod ornaverat idem splendide.

Eo se receperat, cum vehementi viscerum inflammatione corripitur. Tum christianae pietatis editis argumentis XII Cal. Julias ann. 1792 cum annum sextum supra octogesimum inchoasset, vitam reliquit, iis

omnibus communitus antea praesidiis, quae morientibus Ecclesia impertit. Postridie elatus est honorifice, laudatusque. Corpus latet conditum in sepulcro, quod prope altare majus archipresbyteralis ecclesiae marosticensis.

Non deerit forsitan, qui desideret extimam viri formam agnoscere. Fuit statura justa, non humili, non procera; apta dispositione membrorum, adusto corpore, nervoso et agili, colore rubro, caeruleis oculis, vividis, renidentibus; jucundo et gravi adspectu. Pleraque mihi significavit per epistolam Franciscus Horatius Bussolus, vir humanissimus, cui Lastesius, quaeque ad ipsum pertinent, prorsus cognita.

## NATALIS LASTESII OPERA EDITA

Vita Laurentii Pataroli praemissa ejus operibus. Venetiis 1746 Tom. 2. in 4.

Gratulazione nuziale a S. E. Giambatista Cornaro. Ivi 1746 in 4.

Canto di S. Gregorio Nazianzeno in lode della virginità, tradotto dal greco in verso italiano nella professione della nobilissima vergine Bianca Maria Cornaro. Ivi in 4.

Documenti di S. Gregorio Nazianzeno alle vergini, tradotti del pari nella vestizione delle nobilissime vergini D. Maria Lisabetta e D. Maria Luisa Cornaro. Ivi 1754 in 4.

Oratio ad Hieronymum Venerium D. Marci procuratorem. Ibid. 1759 et 1760 in 4.

Oratio ad virum principem Ludovicum Rezzonicum divi Marci procuratorem. Ibid. 1762 in 4.

Laudatio in funere Francisci Lauredani ducis Venetiarum. Ibid. 1762 in 4.

De museo Philippi Farsetii Epistola ad Cortonensium Academiam. Ibid. 1764 in 4.

De Jo. Marco Calbo divi Marci procuratore Oratio ad viros patricios. Ibid. 1764 in 4.

Gratulazione a S. E. Lodovico Manin procuratore di S. Marco. Ivi 1764 in 4.

Natalis Lastesii marosticensis Gratulationes. Accedit Epistola de museo. Patavii 1767 in 8.

Apollo Vaticanus, Carmen hexametrum, absque ulla nota. (Venetiis 1767) in 8.

Laudatio in funere Clementis XIII P. M. habita coram serenissimo principe ac venetis patribus. Ibid. 1769 in 4.

Oratio de Jo. Hieronymo Zuccato equite, magno reipub. venetae cancellario. Ibid. 1772 in 4.

Carmina. Patavii 1774 in 4.

De vita Victorini Feltrensis Dialogus Francisci Prendilaquae mantuani ex codice Vaticano: praemissa epistola Natalis Lastesii Seminarii patavini magistris. Ibid. 1774 in 8.

Vita Francisci Algarotti, absque ulla nota (Venetiis) in 8.

Epistola di S. Bernardo à Sofia vergine, tradotta in prosa toscana, nella vestizione della nob. donna Cecilia Cornaro, Venezia 1778 in 8.

Epistola ad Jacobum Morellium. Haec inserta est libello, qui sic inscriptus: *Componimenti nella morte di Daniele Farsetti patrizio veneto*. Venezia 1787 in 12.

Additamentum ad numismata gentis Barbadicae. Patavii typis Seminarii 1732-1760 in fol. max.

L' Eneide di P. Virgilio Marone volgarizzata. Venezia 1795. Opera postuma Tom. 2 in 8.

Regole della costruzione latina. Questo libretto fu tre volte stampato in Venezia 1741, 1751 e 1792 in 12.

Lettere familiari. Bassano 1805. in 8.

## OPERA, QUAE RELIQUIT INEDITA

Multa latina et itala, alia certis soluta numeris, alia adstricta.

Epistolae numero plane ingenti, quas Franciscus Horatius Bussolus diligentissime collegerat, ab hujus heredibus nuper bibliothecae Seminarii patavini dono datae.

# VITA
# PETRI FACCIOLI

Petrus Facciolus Patavii natus est anno saeculi superioris octavo, Nonis Quintilis. Ad religionem ipsum mature institui, et primis etiam litteris informari voluerunt illius parentes, tum Seminarium patavinum ingredi, ut facilius hujus disciplinae praesidio in moribus studiisque proficeret. Annum is agebat tertium decimum, cum in Alumnos ejusdem Seminarii cooptatus superioris grammaticae cursum iniit, eodemque confecto prospere, in artis rhetoricae stadium prodiit. Quod quidem triennium persequens cum laude percurrit non exigua; erat enim illi experrecta ingenii indoles ac perspicax, memoriae firmitas, multa contentio. Mox adiit philosophos, tum jurisperitos consuluit, denique theologiae se se dedit, ac de rebus ad eam spectantibus biennio post publicam disputationem sustinuit felici eventu. Nunquam tamen politiorum litterarum studia intermisit. Haec simul cum severioribus disciplinis excoluit. In utrisque aliis praeibat. Theologica demum laurea donatus fuit in sacro patavino Collegio, et in ordinem illorum patrum descriptus.

Itaque cognita illius peritia in humanioribus praesertim litteris, eligitur in Seminarii magistrum. Suas opes conferre jubetur ad usum loci, unde illas ubertim hauserat. Litterariae institutionis munus exortus, et ad altiora gradatim semper ascendens ad rhetoricam pervenit. Ibi non uno labore exercitus. Quotidianis enim occupationibus alia extrinsecus accessere. Latinitate donavit Jacobi Sponii rei antiquariae selectas quaestiones, ab eodem gallice scriptas, et in varias dissertationes distributas, quibus nummi, anaglypta, statuae, musiva et inscriptiones antiquae, multis ex aere adjectis figuris, illustrantur (1).

Idem insuper Latio dedit Marchionis Scipionis Mapheji de amphitheatris Galliae epistolam italam ad Marchionem Joannem Polenum in publico patavino Gymnasio matheseos professorem (2). Et alteram ejusdem Mapheji de antiquis Galliae theatris ad Bernardinum Zendrinum serenissimae venetae reipublicae mathematicum (3).

Hinc evectus est ad scholam Academiae, earum facile principem, quae humaniores litteras profitentur. Hic suos auditores exercere solebat accuratissime in re poetica et oratoria; ad utramque eos informabat optimis praeceptis pariter, et exemplis. Neve in scribendo errarent, antequam ad id aggrederentur, vo-

(1) Poleni in romanas et graecas antiquitates nova Supplementa. Tom. IV. pag. 369.

(2) Tom. V. ejusdem operis pag. 312.

(3) Ibidem pag. 364.

lebat eos sibi exponere, quid sentirent. Facile enim est adolescentes peccare ex infirmitate judicii. Quare eos docebat invenire argumento idonea, quaeque invenissent ordinare omnia, omnia ad certam rationis normam expendere, a fucatis vera secernere, a probabilibus falsa, uno verbo, recte ratiocinari.

Idque studebat perficere in explicandis praecipue auctoribus. Tunc enim varias eruditus ipse afferebat eruditorum interpretum opiniones, nec eas facilis admittebat, quin prius explorasset singulas diligentissime, solitus causam prodere, cur easdem vel exciperet, vel respueret; suamque interponere, quotics illae non satisfacerent. Sic ille assuefaciebat, qui suae intererant disciplinae, non temere probare quidquid ab aliis dicitur, sed suo opportune judicio uti. Si enim falluntur aliquando et magni auctores, multo facilius falli poterunt, qui ab illis distant. Modeste tamen et circumspecte incedendum praesertim juveni in hoc negotio; ne (quod plerisque accidit) damnet, quae non intelligit. Sic ille suis discipulis praesto erat. At non his tantum utilem se praebuit, sed et aliis latinos auctores opportunis ac brevibus annotationibus illustrando.

Ac Livium quidem (ut rerum servem, ordinem inverto temporum) ac Livium quidem explanandum suscipiens illud in primis curavit, ut omnia studiosis adolescentibus (quos prae ceteris in his spectavit) planiora faceret, et brevitati inserviret. Quare multa praeterit, res geographicas non attingit, nisi si quid visum est notatu dignius. Ubi occurrit quid obscurius, id illustrare studet, qua mutata verborum structura,

ut Livius ipse se aperiat; qua substituto ejusdem significationis vocabulo, modo alia vocula apposita, modo varia lectione tradita. In iis vero, quae explicationem longiorem postulant, itale gessit, ut quam paucissimis complecteretur, quod satis esset.

Quoties id praestare nequit, fontes indicat, unde erui copiosa eruditio possit. Maximus autem labor, ut ille ait, in indicem adornandum impensus fuit, quem et pluribus rebus auxit (1), et a multis erroribus expurgavit. In eo denique totus est in praefatione scripta non tamen edita, ut XVII capita Livio vindicet, quae tamquam suppositicia, et a Livii ingenio abhorrentia remondiniana editio ab eodem omnino abjudicat. His omnibus auctus prodiit Livius ex Seminarii patavini typis ann. 1751. Triennio post iisdem typis excusus fuit Cornelius Nepos ejusdem Faccioli industria illustratus, qui de se sic: »Pleraque, inquit, a Cellario » mutuati sumus, ab aliis vix quidquam carpsimus, » de nostro paucula quaedam addidimus (2) » . Anno tamdem 1762 indidem Petrus protulit P. Ovidii Nas. Fast. libros VI, Trist. V et IV de Pont. Ad faciliorem vero puerorum intelligentiam breviores animadversiones huic editioni adjecit, ea cura, ut neque copia molestus esset, neque omitteret necessaria. Libellum autem in Ibin, qui cum praecedentibus jungi solet, non attigit, quod eum explicandi in scholis usus non sit, ex nimia fabularum et historiarum veterum abun-

(1) In praefat. ms. ad lectorem.

(2) Ibidem.

dantia. Haec prodierunt sine nomine, quia ille tunc latere voluit, nunc se prodit, et monet exstare inter schedas suas librum quoque in Ibin, immo et quindecim libros Metamorphoseon cum aliis plurimis selectis ejusdem auctoris elegiis, et P. etiam Virgilii opera a se explanata. Sed de his satis; ad superiora tempora redeo. Vicetiam itaque Petrus accersitur a Marino Antonio Priolo ejusdem urbis episcopo, quem Cardinalem amplissimum postea vidimus, et ab eodem suorum Seminariensium moribus studiisque praeficitur. Decesserat enim Joannes Bassus (1) multis quidem nominibus vir eximius, sed ad Seminarii regimen plane factus, ut ab eodem Facciolo intelligo (2). Tanto proposito sibi exemplo, nulli rei pepercit vel labori, ut responderet civium exspectationi, et episcopi desiderio. Curabat optimam disciplinam fovere, mores componere, studiis consulere. Atque haec quidem promovit cum pluribus aliis modis, tum praesertim latinis orationibus, quas quotannis ex Seminarii illius instituto ibidem publice habuit.

His emendare studet eorum praeposteram consuetudinem, qui filios suos litteris imbuendos curant nimis sero; et adolescentes hortatur ad studia naviter capessenda, ut eximant se se a vulgo, et illustres fiant. Tum contendit profanos auctores ablegandos

(1) Vide ejus vitam pag. 234.

(2) In oratione, quam primam publice Vicetiae habuit; Patavii hanc edidit typis Seminarii ann. 1747 cum duabus aliis.

nostris non esse a scholis, eo quod multa contineant utilia moribus ac religioni. Multa in iisdem fusius exposita, quaedam etiam conclusa adstrictius. Dictio non semper numerosa, nec lima elaborata, semper tamen satis elegans et polita; sententiae ad probandum accommodatae. Non desunt, quae leviora fortasse alicui videri poterunt, nec omnino dignitati oratoris consona. Numquam autem ingenium deest, vis, eruditio: haec tamen non nihil aliquando conferta. Has orationes Seminarii patavini typis in lucem protulit anno 1747, et Priolo episcopo vicetino dicavit, ad eumdem praemissa epistola, ut etiam orationem aliam *de ratione scriptores ethnicos legendi*, quam refertam pariter eruditione multiplici iisdem typis in lucem misit anno sequenti, et ejusdem Prioli nomine ornavit, alia ad ipsum praeeunte epistola.

Circa eadem haec tempora, discessit e Seminario, quod illud non posset caelum pati. Patavium reversus aliquandiu mansit domi suae, mox (uti convenerat) in Seminarium patavinum rursus exceptus est, ibique primum rhetoricam, paulo post iterum Academiam suscepit profitendam.

Interim Carolus Cardinalis Rezzonicus episcopus patavinus summi Pontificis dignitate insignitur (1). Tempus non longe aberat, quo Seminarii Alumni dimitti solent ad animos relaxandos. Litterarius annus concludi solet Academia litteraria. Fuit hujus argumentum locuplex novus Pontifex. Nihil accidere gra-

(1) Accidit id pridie Nonas Julias ann. 1758.

tius poterat civitati exultanti laetitia prorsus effusa. Res excepta publica propemodum acclamatione et plausu.

Vix evoluto mense ab electione Pontificis, nobis nuntiatum fuit, Sanctem Veronesium virum doctissimum et amantissimum veteris disciplinae, subrogatum ab eo fuisse sibi in episcopatum, in quo ipsi jamdiu vicaria rerum procuratione subsidio fuerat. Tum Facciolus a sacri theologorum Collegii patribus viva voce orator deposcitur, ut eorum nomine dignitatem tantam novo episcopo ex consuetudine gratuletur. Munus ille honorificum sibi oblatum suscepit, et orationem habuit argumento parem. In ea Veronesium oculis paene subjicit expressum coloribus prorsus suis. Audiamus ipsum eum alloquentem.

» Tu, inquit, inter multos dignos dignissimus, cui » summa rerum nostrarum potissimum concredere- » tur (1)». Et mox: » hortatore te, cui deerat episco- » pi nomen, inerat auctoritas, qui onus sustinebas, » de honore minime cogitabas, cui non in sermone » tantum, sed in vultu ipso, ac nutu episcopalis emi- » cuit semper gravitas, qui verbo, exemplo, factis » eras episcopus, antequam esses (2).

Hactenus ille, qui praeterea orationem habuit admodum eruditam de lingua graeca in solemni studiorum instauratione Seminarii patavini ann. 1760, quo curam habuit morum disciplinae (3).

(1) In libro, cui titulus *Certamina litteraria* pag. 263. a Facciolo Venetiis edito ann. 1767.

(2) Ibidem pag. 264.

(3) Ibidem pag. 275.

Accidit anno post res ad commemorandum gratissima, quae temporis illius memoriam ad seram posteritatem extendet. Gregorium Cardinalem Barbadicum, olim episcopum patavinum, in Beatorum numero habendum et venerandum decrevit Clemens XIII ejus antea in eodem episcopatu successor. Quod jam eventurum omnes sibi pollicebantur, ubi id contigit, totam patavinam dioeceesim, ac Seminarium in primis maxima laetitia implevit.

Atque hoc quidem, tam prospera sibi occasione oblata, suam in beatum Virum, cui totum se debet, propensionem, seu potius pietatem atque veneration nem testari voluit amplissime. Templum domesticum, quo majore potuit splendore, ornavit: argentea scilicet supellectile, cereis facibus, pictura beatissimi Viri gesta et miracula referente. Parietes, altaria, fornices late emicabant. Ingens interea populi eo properantis ex tota urbe concursus, qui haec intuendo nequibat expleri. Personare omnia musicis concentibus et instrumentis, omnia ad magnificentiam et hilaritatem composita. Qui dies illi! quam jucundi ac fortunati! quam posteris memorandi (1)! Utinam renovetur spectaculum!

His omnibus coronidem quasi quamdam imposuit Academia litteraria a Petro Facciolo instructa, qui rursus tunc, ut diximus, scholae praeerat Academiae. In ea prae laetitia exultantes et gratulabundae inducebantur singulae disciplinae in Seminarium invectae

(1) 24 et 25 mensis Novembr. ann. 1762.

a Gregorio Barbadico Beatorum fastis adscripto. Huic idem Petrus praeivit latina oratione cum multa ubertate, tum magno pietatis sensu conscripta, qui incurrit in oculos, et legentem movet. Quo tamen nondum contentus, duobus annis proxime sequentibus in Alumnorum discessu publicam habuit academiam de ejusdem B. Gregorii laudibus.

Per haec ille sibi nominis celebritatem pepererat; cum jam ineunte anno 1765 Seminarium reliquit. Tum subiit plures ac tristes vices; quin sua innocentia fretus ultro iisdem se se commisit. In quo a nonnullis reprehensus, qui sibi ab iis praecavere satius putabant. *Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent* (1). Non multo post Venetias se contulit ad litterariam institutionem adolescentis patritii veneti, cui dicavit librum ibidem editum (2), titulum hunc prae se ferentem: *Certamina litteraria ab academicis Seminarii patavini instituta et habita, praeceptore Petro Facciolo, ipsoque prima oratione praeeunte, additis ad calcem duabus aliis ejusdem orationibus.*

Aliquo temporis spatio elapso, Ferrariam petiit, et eo nonnulla hujus libri secum transtulit exemplaria, quae postea ibi exposuit. Haec viderant Jesuitae, eumque publice ex instituto habituri essent Academiam, Facciolum quoque ad eam invitarunt. Jam vero qui argumentum proposuit ita conclusit: ad hoc per-

(1) Nepos in vita Attici cap. 10.
(2) Ann. 1767.

tractandum, ut decet, vel Facciolato opus esset, vel Facciolo.

Ad extremum Parmam perrexit eo publica auctoritate invitatus, ut in regio illo Lyceo graecas latinasque litteras profiteretur. Ibi juvenes ad humanitatem excoluit, ac studiis praefuit. Ubi primum hoc munus iniit, latinam orationem habuit, in qua contendit, falso illud percrebuisse, *nec bonum oratorem, poetam; nec bonum poetam, oratorem futurum*. Idque ostendendum suscepit ea mente, ut suam in disciplinam traditos adolescentes erigeret, utriusque ipsis proposita laudis spe. Dicenti aderant rei litterariae moderatores, professores eximii, virique lectissimi ex quovis ordine. Habita oratio fuit in aula publici regii illius Lycei IV Cal. Decembr. an. 1770, cum paulo ante Maria Amalia Ferdinandi parmensis ducis augusta conjux prolem feliciter edidisset, et praecedenti nocte saepius tonuisset praeter morem. Idque in causa fuit, cur Petrus ( ut ipse de se fatetur ) confecerit latinum carmen praepropere, et post orationem illico recitaverit. Quod quidem exceptum arbitror magnis plausibus in re tam fausta.

Anno vero, qui proxime secutus est, ejusdem regii Lycei studiis oratione prolusit, cui multa eruditio, ut etiam alteri, de qua modo diximus. Utraque reperitur in volumine manu scripto. In eo continentur plurima, et quidem inter se varia: latina et itala; sacra et profana; silvae, oratiunculae, praefationes, annotationes, academiae, in quibus carmina structura ac numero dissimilia, quorum aliqua minus fluida, ut etiam in libro, quem ipse inscripsit: *Certamina litteraria*:

quamquam haec, uti monet (1), discipulis fere in omnibus adscribenda. Occurrunt etiam profana sacris immixta; quod non probo. Haec sunt, quae potui ex ejus scriptis colligere. Nihil praeterea cognitum mihi est. Quare ad mores transeo.

Fuit ille ingenio minime obscuro, sermone aperto, assentationi inimicus, laboris patiens. Nullum illi erat tempus vacuum a litterarum exercitatione ac studio. In id impendebat dies noctesque usus valetudine semper prospera. Vicetia ad Seminarium patavinum regressus, licet aetate provectus esset, non recusavit subire rursus gravissima inferiorum scholarum taedia. Quin et alia suscepit insuper libentissime, quae non parum molesta, Alumnorum votis indulgens. Nullum defugiebat incommodum desiderio bene merendi de omnibus.

Petentibus numquam deerat, immo aderat opera, pecunia, libris. Non petentes peramanter incusans, ad petendum alliciebat, et affirmabat, tum se eosdem habiturum in amicorum aere, cum aliquid a se petissent. Magna in hoc erat de illo opinio, magna liberalitatis commendatio, in eos etiam ab illo adhibitae, quos minime gratos expertus postea. Vir propositi tenax non tam facile dimoveri se patiebatur a sua sententia, quod id fortasse crederet levioris animi indicium. Quae sibi persuaserat, ea conabatur tueri ratiocinando. Hoc illi erat in sermone quoque domestico familiare.

(1) Epist. ad lect. pag. 9.

Grati animi sensu prosequebatur Seminarium patavinum, in quo altus idem et educatus. Ait illud *juvantae studiosae juventutis studiosissimum semper fuisse* (1). Et alibi appellat ipsum *Seminariorum exemplar* (2). In hoc Seminarium maxima illius affectio. Nec umquam mutavit animum caelum mutans, cum Patavium Parma vacationum tempore rediisset, nihil potius habuit, quam ut rursus inviseret Seminarium, cui sua legavit moriens scripta, quibus litterato homini nihil carius. Servantur haec in Seminarii ipsius bibliotheca, mihique plurimum profuere de illius moribus studiisque scribenti. Plurimum vero Petrus se commendat demisse de se sentiendo. » Ego vero, in» quit, tam longe absum, ut nemo minus in ejus lo» cum (Bassi scilicet) fuisset sufficiendus (3) ».

Quam diligenter obivit religionis officia! Haec ex ejus gestis emicat, et scriptis. Quae praecipue de beato Gregorio Barbadico scripsit, rem pervincunt. Ea enim hominem pietate ac religione ferventem produnt. Pati non poterat laudari quemquam ex Heterodoxis vel in iis, quae non pertinent ad religionem, eidem prorsus addictus. Parmae obiit extremum diem, ut audivi, ann. 1779. Nihil aliud compertum habeo ex distantia loci ac temporis.

(1) In libro manu scripto, pag. 243.

(2) In orat. 1 ex tribus simul editis typis ejusdem Seminarii patav. ann. 1747 pag. 25.

(3) Ibid. pag. 22.

## PETRI FACCIOLI OPERA EDITA

Jacobi Sponii rei antiquariae selectae quaestiones, gallice scriptae, et in varias dissertationes distributae etc. a Petro Facciolo latine redditae. Vide Poleni in romanas et graecas antiquitates nova supplementa Tom. IV pag. 369.

Scipionis Mapheji de amphiteatris Galliae, Epistola ad Joannem Polenum ab eodem latine exposita Tom. V. ejusdem operis pag. 312.

Altera ejusdem Mapheji Epistola de antiquis Galliae theatris ad Bernardinum Zendrinum, ab eodem Facciolo in linguam latinam versa. Ibidem pag. 364.

Orationes tres Patavii typis Seminarii ann. 1747 in 8.

Oratio pro solemni studiorum Seminarii vicetini instauratione. Ibid. ann. 1748 in 8.

Titi Livii patavini opera obscuriorum locorum interpretationibus, et selectis annotationibus illustrata. Ibidem ann. 1751 Tomi VI in 12.

Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum brevioribus annotationibus illustratae. Ibidem ann. 1754 in 8.

Publ. Ovidii Nasonis Fastorum libri VI, Tristium libri V, de Ponto libri IV cum brevioribus annotationibus. Ibidem ann. 1762 in 12.

Certamina litteraria ab Academicis Seminarii patavini instituta et habita, praeceptore Petro Facciolo, ipsoque prima oratione praeeunte, additis ad calcem duabus aliis ejusdem orationibus. Venetiis ann. 1767 in 8.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Multa partim latina, partim itala, partim sacra, partim profana: silvae, oratiunculae, praefationes et alia politioris litteraturae, quae recensui in ejus vita.

# VITA

# MARCI ANTONII FORCELLINI

VII Cal. Majas ann. 1712 Marcus Antonius Forcellinus editus est Campi, patavinae dioecesis paroecia in agro tarvisiano sita. Recte vivendi disciplina a parentibus institutus cenetense adiit Seminarium, ut bonas artes adjungeret bonis moribus. Quo quidem loco nullus alius eidem esse poterat opportunior. Ibi enim domesticam praefecturam gerebat, et artem insuper profitebatur rhetoricam amantissimus ejus frater Ægidius (1), in litteraria republica nomen celebre. Magno illi erat incitamento ad proficiendum tam illustre non doctrinae minus, quam integritatis, exemplum. Plurimum vero juvit ea, qua pollebat, agendi industria, intelligentiae celeritas, memoriae praestantia. Politioribus litteris eruditus ann. 1731 ad Seminarium patavinum se transtulit, quo revocatus fuerat Ægidius, septennio circiter postquam ab eo discesserat. Hic biennium commoratus ad severiora philosophorum dogmata incubuit, et ad subtilia mathematiço-

(1) Vide ejus vitam pag. 176.

rum problemata, eo successu, ut ad eadem natura factus magistrorum judicio videretur. Brevi hoc evoluto spatio, domum se contulit, hinc Venetias, ibique aliquanto post nonnullos ex patricio genere adolescentes informandos suscepit scientia juris.

Ea tempestate in hac urbe cum amplitudine honorum, tum litterarum gloria florebat insigniter Marcus Foscarenus, vir litteris et litteratis addictus. Hic Forcellino plurimum suae benignitatis impertiit, usus ejusdem opera in contexenda et edenda historia, quam inscripsit, *Della letteratura veneziana*, multiplici eruditione referta. Eadem complectitur libros octo. Ex his quatuor tantum ann. 1752 typis Seminarii patavini ea magnificentia sunt editi, quae videtur cum intima tanti operis dignitate certare. Reliqui magna ex parte confecti adhuc delitescunt: qui tamen sperare possent lucem publicam a veneto eruditissimo viro, qui et ea scientia est, ut nihil hujusmodi metuere debeat; et ea in auctorem doctissimum voluntate, ut nihil possit negligere, quod ad ejus decus pertineat. Utinam aliquando et hi proferantur! Sed ad Forcellinum revertor.

Is Foscareni patrocinio suffultus in sacro patavino Collegio doctoris insignia obtinuit, licet antea quadriennium, ut praescribitur, non impendisset in audiendos Archigymnasii illius professores.

Interim societate inita cum Lastesio, studium cum illo contulit in editionem operum Speronii Speroni viri celebratissimi (1). Haec habuerant illi ab heredi-

(1) Haec edita est Venetiis typis Dominici Occhi anno 1740 in 4.

bus manu scripta, sed inordinata et informia. Coeperunt itaque dispersa colligere, et ordinate contexere; varia, quae identidem occurrebant, ejusdem rei exemplaria inter se componere, et ea, quae melioris notae, secernere; depravata ab iis, qui ediderant eadem ante, emendare; corrupta restituere et revocare ad harmoniam; breves annotationes adjungere, omnia demum ad novum splendorem, et multo faciliorem intelligentiam traducere. Duas praeterea huic editioni epistolas praemisere; alteram ad civitatem patavinam, ejusque quatuorviros; alteram ad Antonium de Comitibus virum litteratissimum Speroni heredem.

Hinc unusquisque intelligit, quanta sit horum virorum laus, per quos Speronius visus est quodammodo reviviscere duo propemodum post saecula, et in totius Italiae luce versari. De iisdem multa cum laude ephemeridum rei litterariae scriptores (1).

Neque minus litteratis viris arrisit italum poema (2) utriusque industria confectum, et ann. 1745 vulgatum in nuptiis Catharinae de Bellatis feltrensis comitissae cum Joseph o ex nobili forojuliensi familia de Porcía. Auctores in eo condendo alterni cecinerant quasi ex tempore. Nec tamen ipsum ejusmodi est, ut a duobus videatur esse perfectum. Unus idemque scilicet to-

(1) Le Novelle della repubb. letteraria per l'anno 1740 pag. 249.

(2) Sic inscriptum : *Canti di Natal dalle Laste e di Marco Forcellini per le nozze della contessa Bellati col conte Porcía*.

tius poematis stilus est : magnus rerum ac versuum nexus. Quod enimvero difficile. Nec minus illud. In uno et eodem cantu exitus carminum semper variant, nec umquam eumdem referunt in cadendo sonum. Non una tamen haec poematis hujus laus. Ibi elegantia, et multiplex eruditio: ibi ingeniosa rerum inventio, et sapiens pariter distributio, vividae descriptiones, festivae imagines, aptae a re proposita digressiones, partim ab historia, partim petitae a fabula. Suavitati in omnibus mixta gravitas; in omnibus sine ullo fuco veritatis color. Poema cum plausu exceptum a civibus praecipue feltrensibus; quod quidem ipsi testati sunt publicis litteris ad auctores missis.

Quae hactenus, Forcellinus communia habuit cum Lastesio; quae dicam postea, sunt ejus unius propria. Unus siquidem ejusdem Speronii mores ac studia exposuit erudite prorsus et accurate. Opusculum hoc suspexit plurimum exquisiti judicii vir Marcus Foscarenus, de quo antea diximus, et auctori breve quidem elogium texuit, sed verbis omnino exprimentibus. *Il signor Marco Forcellini* ( sic ille ) (1) *scrisse con impareggiabile accuratezza la vita dello Speroni*.

Neque de Speronio solum, sed etiam de Joanne Casa optime meritus Forcellinus. Ejus opus ( quod trito vocabulo *il Canzoniero* ) opportunis annotationibus illustravit. Non defuerant sane interpretes, at illi, ut hoc unum dicam, auctorem intemperanti rerum con-

(1) Lib. 3. Tom. I della letteratura veneziana pag. 533. num. 323.

gerie obruerant. Marcus occurrit, et rem expediit. Quidquid boni, api similis, ab iis expressit, et nova praeterea addidit, omnia comprehendens paucis. His intimam vim demonstrat itali cujuslibet epigrammatis vel cantionis, et poeticum artificium. Fabulam etiam addidit ea omnia continentem vocabula, quibus in iis carminibus usus Casa, et eadem digessit ordine litterarum. Horum plura testatur ipsemet Forcellinus in epistola sane pulcherrima ad Facinum adolescentem nobilem urbis Feltriae, quam Casae operum editioni praeposuit ann. 1752 Venetiis proditae.

Hoc eodem anno Marcus in lucem protulit Zeni epistolas a se collectas, et ordine temporum dispositas, unde non parum utilitatis in omnes bonarum artium studiosos. In his enim plurima de multis auctoribus, eorumque operibus, de inscriptionibus, de numismatibus, de quibuslibet monumentis antiquis. In his omnigena propemodum eruditio. Qui vero nolunt interiora scrutari, iis hinc perfectum suppetit epistolae familiaris exemplum. Ibi nihil adscitum, nihil exquisitius elaboratum. Stilus simplex, naturalis, ingenuus, ad legendum facile alliciens. Hac editione Marcus consulendum curavit immortalitati viri doctissimi, quicum ipsi maxima necessitudo intercesserat: eamdemque nomine ornavit Sebastiani Andreae Crottae, qui ejusdem Zeni maximus admirator, ad ipsum praemissa epistola. In hac fusius memorat Forcellinus de Zeni moribus ac studiis, seu potius ipsum abunde laudat. Narrare enim, quae ille gesserit, est eum laudare. Quamquam epistolae ipsae sunt pulcherri-

mum ejus ipsius elogium. In his ille se expressit coloribus plane suis.

Has easdem eruditissimus vir Morellius Venetiis denuo vulgavit anno 1785 quadringentis aliis adjectis, quarum plurimae editae numquam antea. His eruditam praefationem praeposuit a se confectam, nec omisit epistolam Forcellini primae earum editioni praemissam. Ad Forcellinum redeat historia.

Hic, ut jussus fuerat a Zeno, praefationem scripsit in librum, cujus hic est titulus:

» Biblioteca dell' eloquenza italiana di monsignor » Giusto Fontanini con le annotazioni del sig. Apostolo Zeno», quae Venetiis per typos publici juris facta ann. 1753, eodem Apostolo vita functo. In ea familiarem quemdam sermonem refert habitum ab ipso Zeno in domestico amicorum coetu; et, quid ille senserit de hoc opere ac de illius auctore clarissimo, ingenue exponit. Indicem quoque texuit eorum, quae prae ceteris scitu digna in annotationibus Zeni, quem et viventem plurimum coluit, et mortuum prosequutus est grata recordatione, pristinae consuetudinis memor.

Jam vero quanti ille habendus, quem litteratissimi viri suorum laborum socium habuerint, et ad intima consilia admiserint! quem absentem Zenus prae ceteris et Lastesius toties epistolis suis ornaverint!

Sed jam Venetiis discedit Forcellinus coactus caeli illius intemperie. Tum varias ire in provincias coepit cum venetis praetoribus, quibus erat carissimus, et exercere judicia criminalia, civiumque lites componere, juri dicundo praefectus, et vicarii, uti ajunt, potestate insignitus. Mox in consultorem electus Man-

tuam se contulit et Hostiliam ad dirimendas quaestiones ortas inter Rempublicam venetam et Mariam Teresiam imperatricem augustam ex controverso jure in flumen Tartarum. Sic ille inita apud plures optimates gratia Venetias rediit, ibique functus est aliquandiu publicis muneribus cum Lastesio, Paulo post rursus discessit cum provectae aetatis, tum chiragrae molestia affectus: ac se recepit in S. Salvatoris castrum benigne exceptus a nobilissima familia de Collaltis, cujus jurisdictioni et potestati locus ille obnoxius. Ibidem mansit tota vita, et alia quaelibet sibi oblata, licet splendida, recusavit officia, eidem familiae deditissimus cum ex grati animi sensu, tum vero maxime ex fide data invicem et contracta: ibique eadem obiit, quae apud Venetos antea, munera. Curis et laboribus non pepercit, ut sarta tecta servaret amplissimis viris domesticae ditionis jura, titulos, privilegia.

Saepissime consultus a clientibus de jure respondit, et tradidit sententiam scripto. Nec ideo intermisit politioris doctrinae studia. Plurimum delectabatur scriptoribus cum graecis et latinis, tum etiam italis. Cum his, qua poterat, assiduitate versabatur; cum his vivebat. Nullum tempus illi umquam vacabat a lectione, commentatione, et, ubi liceret illi per chiragram, a scriptione. Italo sermone scripsit in luxum dialogos, quibus plurima continentur utilia moribus. Hos stili sanitas et eruditio commendat. Adhuc tamen carent luce publica. Carent et alia quaedam, quae in italam linguam vertit ex gallica; et quae aliunde collegit et scripsit ad civiles pertinentia leges et crimi-

nales. Utilissimis libris sibi instruxerat bibliothecam; iis praesertim, qui continent amoeniora, ad quae natura propensus fuit usque ad ultimum vitae tempus. Fuit ingenio non solum praeclaro, sed etiam recte culto; memoria firma, et accuratissima in omnibus diligentia.

His accedebat novus splendor ab ejus moribus. De se demisse sentiens libenter commemorat in suis scriptis de aliorum dotibus, easque extollit. Minime invidus inserviit aliorum gloriae, eorumque studuit propagare per typos nomen. Pius ipse et litteratus ad pietatem et cultum litterarum voluit susceptum filium institui. Quae sunt religionis, religiose exercebat. Ejus amorem tamquam ex fonte hauserat ex sacrarum Scripturarum libris, quorum lectio eidem erat postremo vitae tempore familiaris. Hinc quaerebat suae senectuti solatia. Magna animi vitaeque moderatio. Quare illum omnes verebantur. Patientia vero eximia. Numquam auditus conqueri de rei familiaris angustia, numquam de aliis, quae ipsi acciderant minus prospera.

Atque ut lucerna emittit majus lumen, antequam exstinguatur, sic evasit ejus patientia clarior sub finem vitae. Integrum quadriennium constanter pertulit ac fortiter morbum gravissimum, quem dicunt ὑπιλη-ψίαν, ac tamdem eodem oppressus occidit V Cal. Decembres ann. 1794, tertio et octogesimo vitae suae jam completo. Horum plurima rogatus scripsit ejusdem filius, in patavino Seminario et ipse institutus, nunc in ejus locum suffectus. Qui patrii muneris heres est, erit aemulus et virtutis.

## MARCI ANTONII FORCELLINI OPERA EDITA

Lettera dedicatoria alla città di Padova di Natal dalle Laste e di Marco Forcellini.

Altra lettera di ambedue al sig. abb. Antonio de' Conti.

Vita dello Speroni scritta da Marco Forcellini: *Haec omnia exst. inter Speronii opera edita Venetiis* ann. 1740 *Tomi V.* in 4.

Canti di Natal dalle Laste e di Marco Forcellini per le nozze della contessa Bellati col conte Porcia. Venezia ann. 1745.

Annotazioni di Marco Forcellini alle rime di monsignor Giovanni dalla Casa; con un catalogo dei vocaboli adoperati in queste rime; lettera del medesimo premessa alle opere di esso Casa stampate in Venezia ann. 1752.

Lettera dello stesso premessa alle lettere di Apostolo Zeno stampate in Venezia ann. 1752 in 8.

Lettera del medesimo premessa alla *Biblioteca dell' eloquenza italiana di monsignor Fontanini con le annotazioni del sig. Apostolo Zeno:* ed inoltre un indice delle cose notabili, che si contengono in esse annotazioni. Ivi ann. 1753 in 4.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Dialoghi contro il lusso.

Molti consulti legali.

# VITA

# JOANNIS BRUNATII

Joannem Brunatium in oppido Montissilicis comperio natum IV Non. Decembres ann. 1711. Duodennis inter patavini Seminarii alumnos excipitur, ac jubetur primis grammaticae rudimentis se dedere. Erat in eo praeter docilitatem ingenii magna discendi aviditas, ac vis memoriae, ex quo fiebat, ut celeriter, quae traderentur, arriperet. Inter aequales eminens, jam tum aliquam fecit exspectationem sui. Politiorum litterarum cursu confecto, Seminarium reliquit.

Egressus non desidem vitam egit (quod in juvene metuendum), sed praestantissimis viris ac professoribus usus est ad severiorum disciplinarum intelligentiam. Philosophiam accepit a Verio (1) primum, mox a Sclavetto canonico Montissilicis (2). Mathematica quoque excoluit, in primis autem theologica; in illis quidem praeeunte sibi Joanne Poleno, in his vero Hyacintho Serry, et ann. 1734 in sacro theologorum Collegio

(1) Vide ejus vitam pag. 75.
(2) Vide ejus vitam pag. 252.

patavino doctoris lauream adeptus, refertur in eorum ordinem, paulo post ad sacerdotium promovetur. Tum vero se totum dedit studio antiquitatis, quae rudioribus monumentis continetur. In hoc tam feliciter progressus est, ut in magnam celebritatem evaserit. Quanto animi impetu ad id ferretur, paucis accipite.

Mira quadam curiositate solebat hujusmodi memorias investigare et exquirere. *In hoc enim* (ajebat olim Hieronymus Zanettius, harum et ipse rerum studiosus, Brunatio scribens) *in hoc eruditionis genere finis nullus, nulla unquam veterum monumentorum satietas. Numus quotidie numum excipit, inscriptio inscriptionem, codex codicem* (1). Quod ille generatim de eruditis hisce verissime, in Brunatium omnino quadrat. Venatici canis instar odorabatur is vel quae procul abdita, et magna temporum oblivione sepulta. Mos illi erat explorare diligentissime bibliothecas, musea, tabularia, conferre inter se codices, examinare diplomata, expendere privilegia, rimari acta publica, chartas, membranas, rotulos, instrumenta, atque hinc omnigena documenta proferre, quae ad illustrandam historiam pertinent medii aevi. Nulla res habet plus negotii, quam haec erudita curiositas. Non tamen ille difficultate rei terrebatur, eo usque laboris patiens, ut quinquaginta et amplius rotulorum millia, ut ipse de se fatetur (2), consuluerit, ac nimia in le-

(1) Initio epistolae ad Brunatium.

(2) *In quanto a me dopo avuto l' incontro di ventilare cinquanta e più mille rotoli*. In Prodromo edito ann. 1838. X 1803

gendis iis intensione oculos paene amiserit, quemadmodum olim Alpes transgressus Annibal. Quin se beatum, ut ita dicam, putabat, si quid potuisset eruere ex vetustatis caligine. *Me nosti*, inquit ille, *Calogerà, tuique Camaldulenses, ut venio toties ad vos exiliens corpore vultuque, si quid additur in hoc genere scriniolis meis* (1). His ille habebat nihil carius.

Plurimum vero delectabatur monetis, quarum rudioribus saeculis usus erat. Numismatibus autem, sigillis, plumbis videbatur quodammodo satiari non posse. Ac propterea harum rerum collegerat magnam copiam. Nihil tamen aegrius impartiebat alteri, quam quid ex his. *Id*, inquit (loquebatur de veteri quodam plumbo) *id mihi invito extortum est amicitia, donisque* (2). In his habebat suas delicias, quorum diuturno usu didicerat de iisdem judicare sapienter. Hinc avide illius sententia ab eruditis exquiri, et magni fieri, immo haberi ab iis quasi oraculum. Id planum fiet ex iis, quae narrabo, postquam de nonnullis illius operibus pauca dixero.

Ac primum quidem de eo libro dicam, quem Venetiis ann. 1744 in lucem misit (3) sic inscriptum: *De re numaria Patavinorum*, et Marco Foscareno equiti ac divi Marci procuratori dicavit. Causam, cur susceperit hunc laborem, aperit in praefatione Brunatius ipse. *Diu*, ait, *versor in iis tabulariis* (*scilicet*

(1) Initio epistolae *de facto Marchiae*.

(2) Ibidem paulo post.

(3) Typis Jo. Baptistae Pasquali in 8.

*patavinis*), *et urbium quae proxime sunt*. . . . . *vetustis annorum chartis et pergamenis incubo privatis, itemque publicis. Ibi vero nihil tam frequens; quam res pecuniaria. Ubique numos et denarios, ubique solidos habes* . . . . . *Haec properantem retardant, et retardando fatigant* . . . . . *tamdemque putavi commodius, ut ex iis maturius emergerem*. Ita ille. Quare conatus est hujusmodi commentario aliqua ratione expedire rem implicitam et obscuram. Et ad propositam rem accedens, agit primum de numis in patavinam urbem receptis, post de numis in ipsa urbe signatis; et alia ad pleniorem rei hujus illustrationem adjungit, allatis summa fide optimis ac genuinis aetatis cujuslibet documentis. His tamquam Mantissam subjicit annotationem *de annulo Marsilii de Carraria*. Ac tamdem Patavinorum et Carrariensium numorum veterum specimen exhibet in ultimis libri paginis. Sic non patavinis civibus tantum, sed et aliarum gentium eruditis viris magna cum laude consuluit (1). Opus hoc diligentius postea retractavit, et auxit novis additionibus, quae latent adhuc ineditae.

Habemus praeterea utilissimas ejusdem Brunatii animadversiones in latina quadam ipsius epistola ad P. Anselmum Costadonum (2), in qua de duabus mone-

(1) Vide Acta Eruditorum Lipsiens. ad ann. 1745 pag. 407., Ephemeridas florentinas ann. 1744 col. 760., et praef. Tom. XLVI collectionis Calogerianae.

(2) Mense Februar. 1751.

tis disserit medii aevi. Esse eadem posset tamquam additamentum opusculi: *De re numaria Patavinorum.*

Circumfertur etiam libellus alter jampridem editus a Brunatio (1), atque ita inscriptus: *Ragionamento sopra il titolo di canonichesse nelle monache di S. Pietro*. In prima operis hujus parte monialibus vindicat hunc titulum, quo eas ornaverat historicus patavinus Ursatus; eumque confirmat prolatis antiquis litteris, instrumentis, privilegiis, et episcoporum veterum auctoritate, easdem canonicas appellantium. In altera vero tradit, medio aevo fuisse Patavii monasteria, quae monachos et moniales complecterentur promiscue. Suam hanc opinionem contra Muratorium tuetur (2) antiquis chartis, diplomatibus, Pontificum bullis. Quam tamen postea impugnavit Blancolinus in libro cui titulum hunc praefixit: *Notizie storiche delle chiese di Verona* (3). At si publicum testimonium sufficit ad stabilitatem famae, multo magis debet sufficere tanta testimoniorum nubes a Brunatio nobis exhibita.

Probe enimvero ille eruditam hanc, de qua loquimur, antiquitatem tenebat. Hanc, uti vidimus, exco-

(1) Anno 1745 typis Seminarii patavini. Vide Acta Eruditorum Lipsiens. ad ann. 1748 pag. 410.

(2) Eumdem praeterea dimovit a quibusdam aliis opinionibus, quas imbiberat. Id Muratorius ipse testatur Brunatio his verbis: *Ha ella rimosse al dovere alcune mie opinioni*. In Histor. ms.

(3) Lib. 4. pag. 1. et sequentibus.

lendam sibi proposuerat praecipua cura, labore improbo. Quidquid scribit, ad eam refertur. Stilus etiam, quo utitur in scribendo, olet antiquitatem barbaricam. Neque miror. Ut enim aqua terrarum, per quas fluit, colore inficitur, sic ejus dictio nescio quid vetustum ac rude (quod is praeferebat et habitu) ex assidua sequiorum temporum consuetudine, ac rerum tractatione contraxerat. At quae scripsit, arrisere vel maxime doctis viris.

In his epistola ad Jacobum Marcellum patricium venetum *de nuptiis Pomponatii* philosophi, ea quidem aetate celebris, sed laborantis ex suspicione doctrinae pravae. In ea multa sunt, quae ad vitam pertinent ejusdem Pomponatii, et ad homines iis temporibus litteratura florentes. Cum eadem Brunatius junxit latinum carmen a se detectum, cujus nulla memoria exstabat, epithalamium scilicet jamdiu editum harum ipsarum nuptiarum causa ab Andrea Mocenico patricio veneto. Epistola cum carmine publici juris facta continetur in praefatione Tom. XLI collectionis Calogerianae. In ea ipsa se offerunt praeterea multa, pleraque nondum edita, quae historiae litterariae cum patavinae tum venetae inserviunt (1). Quibus haec epistola arrisit, ii non poterunt non delectari et altera, qua Brunatius illustrandum suscepit Benedictum Tyriacum. Narrat hunc Mantuae natum, in publico patavino Lyceo philosophiam accepisse a Trapolino et Pomponatio, tum fuisse doctoris laurea insignitum, lo-

(1) Mazzuchellius Vol. II. P. IV pag. 2162.

gicam postea ibidem publice tradidisse, et astrorum scientiam, ac ceteras mathematicas disciplinas. Affert etiam ejusdem carmen elegiacum ad Angelum episcopum tiburtinum, legatum id temporis apostolicum. Hoc scripserat Benedictus in nuptiis Lucretiae Borgiae cum Duce Ferrariensium. In hac epistola Brunatius paucis multa complectens lectoris animum maxime intentum facit. Ne minimum quidem patitur eum divertere a re proposita. Eamdem sic ille inscripsit: *De Benedicto Tyriaco mantuano epistola ad Petrum Barbadicum senatorem venetum*, in qua nonnulla de iis temporibus, quibus fuerunt in patavino Seminario educati (1). In omnibus Brunatii scriptis vetus haec eruditio se prodit; in ea praesertim epistola, seu potius dissertatione, quam inscripsit *de facto Marchiae*. Ad hanc scribendam fuit illi incitamento Zanettius, de quo antea. Is enim scripserat ad Brunatium, se vidisse (quod maxime jamdiu optabat) sigillum seu bullam plumbeam, insignem nomine Henrici Danduli, ducali mandato appensam, eamque illi descripserat accuratissime (2). Eo porro mandato, sive iis litteris monebantur legati veneti, ut omni conatu agerent de ineundo et firmando foedere inter graecum imperatorem Alexium III Comnenum et venetam rempublicam adversus imperatorem Alemanniae. Res haec (ut testatur ipse Brunatius) eam illi mentem injecit, ut afferret

(1) Vide Facciol. Fast. Gymn. patav. P. I pag. 115., 118., P. II. pag. 366.

(2) Haec epistola Brunatii dissertationi praeponitur.

et ipse aliquid domesticis ex historiis. Quare scripsit, uti diximus, *de facto Marchiae*, quod saeculo contigit XII, et est apud Patavinos in primis celebre. Tunc enim illi, et finitimae civitates a Federico I unanimes discessere. Occurrunt autem in hoc opusculo passim multa de moribus et consuetudinibus illorum temporum; quae cum veteribus monumentis nitantur omnia, mirifice illustrant opusculum ipsum, et remotioris saeculi illius historiam. Ibi nonnulla Brunatius revocat a se dicta in libro *de re numaria Patavinorum*.

Haec scribenti mihi alia se offert Brunatii epistola *de cultu lini apud Patavinos antiquiores, ad Jo. Albertum Columbum abb. Casinensem, et patavini Gymnasii pub. professorem*. Propositam disquisitionem aggressus superiora saecula singillatim percurrit, et ad nonum usque lini cultus antiquitatem extendit. Ac ne quis dubitet, vetustis chartis atque membranis ex coenobiis petitis, ex tabulariis et bibliothecis depromptis, statutis publicis, omnigenis monumentis rem in aperto ponit, et ad evidentiam traducit.

Joannes interim cooptatus est in ordinem academicorum, vulgo *Ricovrati* (1). Ubi primum eidem patuit academia, ad gratiam a patavinis civibus ineundam, de vernacula ipsorum lingua disseruit, de prima scilicet illius origine, quam repetit duodecimo ab usque saeculo certissimis documentis instructus. Cul-

(1) Et in alias Academias cooptatus, fuit non solum in Italia, sed etiam extra.

tior deinceps eadem et expolitior ad istam tamdem concinnitatem pervenit. Docet hoc ipso opusculo, alias praeterea linguas, quae apud Italos sunt in usu, sequenti saeculo primum ortas. Jacobus Antonius Marcellus patricius venetus, inscio auctore, libellum hunc Venetiis editum dicavit Joanni Lamio, viro doctissimo, et utrique amico (1).

Nunc de explicatione chartarum coenobii S. Justinae a Brunatio nobis exhibita. Harum fidem sedulus exploravit, earumque vetustatem asseruit erudita dissertatione, quam ann. 1763 monachis jubentibus in lucem misit (2) ornatam nomine Joannis Augustini Gradonici episcopi clujensis (3), qui de re numaria et diplomatica docte scripserat, ipsique librum dicaverat. Utque eadem magis arrideret episcopo, adjecit ornatus, suo quemque argumento consonos: quasdam scilicet aedificiorum species, sanctorum hominum priscas imagines, lapidem cum sua inscriptione, monetas alibi, denique bullas plumbeas. His accedit aliquid de patavino theatro, quod vulgo *Zairo*. Erat olim istud in loco qui dicitur Pratum Vallis. Fuit autem jampridem dirutum (4). Sic Brunatius varium, ut ita

(1) Opusculi titulus est hujusmodi: *Lezione d' ingresso nell' Accademia de' Ricovrati di Padova del sig. abb. Jo. Brunacci, ove si tratta delle antiche origini della lingua volgare de' Padovani e d' Italia*.

(2) Patavii typis Conzatti cum hoc titulo: *Chartarum coenobii S. Justinae explicatio* in 4.

(3) Auctor *clujensem* usurpat pro *clodiensi*.

(4) De eodem vide Simonem Stratico: *Dell' antico teatro di Padova*.

dicam, ac multiplex opus reddidit. Antequam vero ille capesseret hunc laborem, Venetias se contulit, inde Patavium rediit pluribus monumentis instructus. Quingentas scilicet illinc secum transtulit (ut ait ipse) membranas omnes antiquioris aevi, notam undecimi ac duodecimi saeculi praeferentes, plerasque sumptas de suis autographis. Has ille diligenter perpenderat et exscripserat partim ex tabulario, quod in coenobio S. Georgii Majoris, partim ex Castellano: unde incrementi plurimum antiquitatibus patavinis.

De vita quoque beatae Beatricis scripsit (1) rogatus a S. Sophiae Monialibus, quae debito religionis cultu servabant ejusdem corpus. Eam tamen suo more scripsit, siquidem multus est in iis referendis, quae ad illustrationem pertinent illorum temporum, ac gentis hujus eximiae Virginis. Hinc enim fore putavit (quemadmodum ipse affirmat) ut illustrior appareret ejus virtutum splendor.

Editis tot libris, per ora hominum volitare Brunatius. Et quidem merito. Acer ille investigator ac diligens veterum memoriarum, non praejudicata opinione ducitur, non extima specie fallitur, non studio aliis placendi allicitur; sed suo pondere quaeque expendens a falsis vera secernit, a genuinis submovet subditicia; certis indiciis omnia deprehendit, illudque judicium praefert, quod in paucis.

(1) De hac vita ita Lamius, Novelle letter. Tomo XXX pag. 258. ann. 1769. *Opera veramente dotta, e massiccia e piena di buon criterio*. Vide etiam Tom. IX Annal. Camald. pag. 42.

Atque hoc quidem cum in aliis omnibus ejus scriptis, tum in dissertationibus plane apparet, quibus codicem diplomaticum patavinum examinat. Horum enim diplomatum alia tamquam sincera admittit, alia rejicit ut apocrypha, quae in his continentur, omnia in disquisitionem vocans. Stilum praeterea, notam temporis, characterem, et alia hujusmodi explorat. Magnorum etiam virorum, quoties occurrunt, errores corrigit. Suas hasce accuratas observationes extendit ad ea omnia diplomata, quae prodierant undecimi adusque saeculi medium. Utinam illas aliorum bono edidisset!

Utinam hanc recognovisset, et protulisset historiam ecclesiae patavinae! quam exarandam susceperat jussu Caroli Cardinalis Rezzonici olim ejusdem ecclesiae episcopi, quem summum Pontificem postea vidimus. Novem et amplius (uti ajunt (1)) veterum chartarum millia sibi ad hujus operis constructionem paraverat, quod licet non absolverit, adhuc tamen maximo in pretio habendum cum eximia eruditione, tum critice. Primum italo sermone ipsum conscripsit; dein latinis dissertationibus communiit. Numquam illi patientia, numquam constantia defuit in eruendis, colligendis et illustrandis rudiorum temporum monumentis; in extricandis et expediendis, quae vitio temporum implicata et obscura. Magna fuit hujus operis exspectatio. Multa sibi pollicebantur ab hac historia eruditi. Sed nondum, uti diximus, eadem prodiit, quam ille

(1) Mazzuchellius in Vol. II. p. IV. pag. 2164. n. 58. in annotat.

ad episcopatum usque perduxit Joannis Cacii. In hujus sepulcri lapide inscriptum reperit versum hunc in laudem ipsius episcopi:

*Inque sacerdotum canone doctor erat.*

Hinc occasionem Brunatius cepit scribendi de litteris ac litteratis viris, qui floruerunt id temporis in Italia, ab anno nempe millesimo ad medium circiter alterius ab illo saeculi.

Acta etiam S. Bellini episcopi patavini descripsit, quibus illustrior redditur ejus vita. Quaedam insuper emendat et corrigit, quae irrepserant in ejus vitae quasi compendium, quod legitur in officio diei eidem S. Bellino sacrae. Haec carent adhuc luce publica.

Alia praeterea occurrunt illius opuscula, plurimae passim epistolae et documenta, quibus omnibus illustratur vel maxime, quam sibi proposuit, rudior aetas. Continent haec variae ephemerides litterariae, prae ceteris florentinae.

Scripsit et alia partim soluta, partim addicta metro ad eruditionem reconditam pertinentia ac scitu digna, licet dictio incompta. Inscribendorum tamen lapidum arte praestitit. Ceterum maximam nominis celebritatem adeptus est studio antiquitatis, cujus ille notitia insignis. Hanc in eo suspexere plurimum ephemeridum rei litterariae scriptores: hanc alii viri multiplici eruditione praestantes, et pulcherrimorum operum editione conspicui. In his passim legimus eorum testimonia Brunatio valde honorifica. Is a Mario Lupi dicitur *vir clarissimus* (1) *et expertissimus in arte*

(1) Codex diplomat. civit. et ecclesiae bergom. Vol. I l. a.

*diplomatica* (1) : a Marco Foscareno *rerum veterum investigator mirabilis* (2) : a Flaminio Cornelio *eruditissimus ecclesiae patavinae historicus* (3) : ab Apostolo Zeno *felix interpres monumentorum* (4) , quae omnium maxime recondita et involuta latent in venetis et patavinis archiis .

Alii suos ipsi libros dicarunt ; eum coluerunt alii , et ornaverunt laudibus , amicitia , donis , mutuo epistolarum commercio . Idem habuit sibi addictum Joannem Lamium , Hieronymum Zanettium , Jo. Augustinum Gradonicum primum clodiensem , post ceretensem episcopum , Anselmum Costadonum , Ludovicum Antonium Muratorium (5) et alios plures , quin fere omnes illustriores suorum temporum antiquarios : quorum nonnullis aliquid suae eruditionis benigne impertitus fuerat .

Cives insuper patavinos suorum studiorum fautores fuisse testatur ipse in opusculo *de re numaria Patavinorum* . *Si quid haec* , inquit , *etiam merito sui placent , maxime Patavinis debeas , quorum gratia , sedulitate , studiis ea mihi tabularia praesto sunt , musea prostant , bibiothecae patent , alia suppetunt* (6) . Sic

(1) Ibidem lib. 5.

(2) Letteratura veneziana Tom. I pag. 39. nota 97.

(3) Eccl. venet. decade IV pag. 126. annot. (a) .

(4) Dissert. vossiane Tom. I. pag. 51.

(5) Cujusmodi aliquando fuerit Brunatium inter et Muratorium dissensio , vide italas utriusque epistolas insertas bibliothecae Pisanorum Tom. II. pag. 362. 365.

(6) Cap. 15. in fine .

ille suum ipsis rependit gratum animum. Grati animi ergo eorumdem linguam, pecuniam, episcopos, monasteria, et alia ad eos pertinentia, ut vidimus, illustravit.

Idem postremo vitae tempore librum scripsit *de leprosis apud Patavinos*. Ibi disserit de illorum Νοσοκομείοις, de leprarum morbo, de remediis a veteribus ipsi adhibitis, de Patavinorum decretis ad hoc malum praecavendum. Prodiit liber postumus Josephi Gennari cura, viri antiqua praesertim eruditione percelebris, cui, ut amico, Brunatius aeger edendum illum tradiderat. Tot enim ille tantisque laboribus paene fractus decubuerat. Quare statim Ecclesiae praesidiis munitus fuit: siquidem videbatur non longe ab exitu vitae abesse. Patavii eamdem conclusit absumptus tabe pridie Cal. Novembr. ann. 1772, primo et sexagesimo aetatis suae nondum completo, moerentibus praecipue civibus patavinis, in quos propensus, et amatoribus eruditionis antiquae.

Mortuus reliquit in scriptis plurima, quae sibi postea vindicarunt hereditario quasi jure eruditi. Ibidem sepultus est in templo nunc funditus everso, Monialium S. Mariae de Bethlehem sine inscriptione.

## JOANNIS BRUNATII OPERA EDITA

Del ringraziar Dio, Ragionamento. Padova per il Conzatti ann. 1734 in 12.

De re numaria Patavinorum. Venetiis typis Jo. Baptistae Pasquali ann. 1744 in 8. Opus iterum editum Mediolani ann. 1750 in P. I de monetis Italiae pag. 221.

Ragionamento sopra il titolo di canonichesse nelle monache di S. Pietro. Padova nel Seminario ann. 1745 in 8.

Pomponatius. Exstat in collect. Calogeriana T. XLI p. 1.

De Benedicto Tyriaco mantuano, Epistola ad Petrum Barbadicum senat. venet. Exst. ibid. Tom. XLIII. pag. 1.

De facto Marchiae, Epist. Exst. ibid. T. XLV. pag. 13.

Epistola ad P. Anselmum Costadonum. Exst. ibid. Tom. XLVI pag. 145.

Lezione delle antiche origini della lingua volgare de' Padovani e d'Italia. Venezia presso il Bassaglia ann. 1759 in 4.

De cultu lini apud Patavinos antiquiores, Epistola. Sta nel Protogiornale di Pietro Vanzi ann. 1778 pag. 55.

Chartarum coenobii S. Justinae explicatio. Patavii typis Conzatti ann. 1763 in 4.

Monete tre estensi illustrate, Lettera. Senza luogo ann. 1763 in 4.

Vita antichissima della B. Beatrice d'Este con dissertazioni. Padova nel Seminario ann. 1767 in 4.

Epistola ad Dominicum Maurum Salmaso de codice epistolarum Petri Pauli Vergerii. Exstat cum ejusdem Vergerii opusculis Patavii edit. ann. 1767 in 8.

Conforti della medicatura degli occhi. Padova ann. 1765 in 4.

De leprosis apud Patavinos. Ibid. typis Cominianis ann. 1772 in 4.

Informazione (altrimenti detta Prodromo o sia Preliminare) della storia ecclesiastica padovana. Ivi per il Conzatti ann. 1803 in 8.

Exstant et aliae epistolae passim editae ab ephemeridum rei litterariae scriptoribus, praesertim florentinis.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Codex diplomaticus patavinus.

Historia ecclesiae patavinae.

Acta S. Bellini episcopi patavini.

Lettere con notizie del monastero padovano di Porcilia, con l'istrumento del capitolo generale de' monaci bianchi di Padova, e atti capitolari dello stesso nell' anno 1259. Exstat in bibliotheca S. Michael. Venet. Cod. 609.

Istrumento del monastero camaldolese di S. Benedetto novello di Padova nell' anno 1282. Exstat ibid. Cod. 1080.

Perplures chartae ad illustrationem Congregationis monachorum alborum de Patavio. Exst. ibid. in duobus allatis codicibus.

# VITA

# JOSEPHI BARTHOLI

Ad scribendum de viro aggredior, qui Seminarii quidem pataviui scholis interfuit, humquam tamen in eo domicilium habuit. Quod nemo mirari debet. Neque enim mihi proposui de iis narrare, qui Seminarii mensa usi sunt, sed de iis, qui litteraria ejusdem institutione praeculti, homines evasere doctrina illustres. Haec indicasse contentus historiam ordior.

Josephus Bartholus Patavii natus est ann. 17 proxime elapsi saeculi mense Februario. Parentes habuit Bartholomaeum Bartholum et Bellinam de Manzonis; illum quidem ex prima origine salodiensem, hanc vero ex familia, quae jamdiu in mediolanensi ducatu floruit.

Ambo, eximia indole pueri cognita, eum litteris expoliendum curarunt. At eorum desiderio primae hujus institutionis exitus non respondit. Pluribus enim Joseph praeceptoribus uti necesse habuit, quin tamen posset in studiis progredi. Cum enim hi non tenerent certum quemdam ordinem ac methodum in docendo, sed pro dissimili ingenio singuli dissimilem usurparent, hinc fiebat, ut ille discendo paene dedisceret,

non sine maximo ipsius dolore, et jactura temporis ad studia prorsus idonei.

Quare consilium iniit se transferendi ad exteriora Seminarii patavini gymnasia, ubi ejusdem Seminarii magistri accedentem ad se juventutem ea plane ratione instituunt, qua Seminarium ipsum Alumnos suos. Tum vero Joseph plurima, quae a natura sortitus fuerat, progrediendi praesidia, sua non parum auxit et excitavit industria. Graecas latinasque litteras impense coluit, ad artis poeticae et oratoriae laudem contendit assiduo usu et imitatione scriptorum in utraque prae ceteris excellentium. His accedebant magistrorum adhortationes, eminendi ardor, studium aemulandi exempla quaeque pulcriora. Magna propterea juvenis exspectatio, cujus progressus aetatem ipsius anteverterat.

Atque hoc nimirum in causa fuit, cur Joannes Franciscus Cardinalis Barbadicus episcopus patavinus ad interiores Seminarii scholas aditum ipsi patere jusserit. Neque enim ille, ut initio monui, Seminarii Alumnis adscriptus erat, sed domi cum suis vivebat. Jam vero huc idem quotidie ventitans rhetorum praeceptiones excepit ab Antonio Judici (1) viro clarissimo et ad rhetoricam plane facto. Facile unusquisque intelligit, quantus illi discendi ardor ex ipsius magistri praestantia accesserit, qui et antea hujusmodi cupiditate flagrabat.

Aliquanto post ex scholastica Seminarii disciplina

(1) Vide ejus vitam pag. 258.

discessit; in amoenioribus tamen studiis solebat se exercere, praecipue in arte poetica, ad quam ferebatur peculiari quadam incitatione naturae. Tunc latinum, quod ipse scripserat, epigramma legendum praebuit Dominico Lazzarino in publico patavinae urbis Archigymnasio humaniorum litterarum celeberrimo professori. Quod quidem Bartholo in primis utile. Adeo scilicet vir eximius exhibito sibi illo epigrammate captus est, ut ipsi suam in his operam ultro obtulerit, et quaedam praeterea de lingua graeca, cujus ille scientissimus, ad ejus eruditionem conscripta eidem tradiderit, quae Bartholus religiose servavit, ut pretiosum monumentum, sibique valde honorificum.

Interim Joseph, amissis fratribus, curare debuit rem domesticam. Hinc coepit ex conditione suscepti muneris ferrum vendere. At non propterea intermisit gratissima sibi studia. In haec ille impendebat quidquid sibi temporis ex molesta occupatione supererat. Non otium, non negotium ab illis eum avocabat. Libros prae manibus perpetuo habebat, vel in officina ad pluteum sedens, iisdem maxime deditus, italae praecipue poesi, qua longe excelluit. Ad hanc excitatus fuerat a litteratissimo Zeno, cujus ille amicitiam coluit summo studio. Admodum florente aetate italum epigramma contexuit in laudem Joannis Antonii Vulpii latinis praesertim versibus celeberrimi, qui poeticam juvenis indolem admiratus ei respondit alio italo pariter epigrammate similiter desinente, similiterque cadente. Utrumque editum ab ipso Vulpio ann. 1735 cum aliis pluribus.

Tum vero ejus parens, tanta ipsius in litteras pro-

pensione perspecta, eidem eas excolendi veniam dedit, hac tamen lege, ut sua studia referret omnia ad forense munus, cui ipsum jam tum destinaverat. Primum itaque ad perdiscendas accessit philosophorum doctrinas, in quo plurimum illi profuit domesticus usus et consuetudo inita cum Antonio de Comitibus viro celebratissimo. Mox graecarum litterarum studium suscepit, seu potius revocavit, Jacobetto duce, earum peritissimo (1). Hunc enim amorem ipsi jam antea afflaverat Lazzarinus, qui nunc decesserat.

His ferme temporibus Joseph *Recuperatis* adscribitur, quorum admodum illustris Academia. Haec illi quasi theatrum patuit, in quo se ac suas opes proderet, prae ceteris vim poeticam, quam sortitus, ut diximus a natura, corroboravit eruditione multiplici. Ubi autem naturae eximiae accedit ratio quaedam, conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet existere. Id obtinendum proposuerat sibi Bartholus. Quo ille progressus fuerit, ejus opera clare ostendunt, de quibus post; nunc ordinem rerum sequar, ne interrumpatur historia.

Ut igitur Joseph obsecundaret imperio patris, ad jurisprudentiam incubuit, ipsi praeeunte professore doctissimo Alaleona, quem audiit etiam privatim domi. Huic ille doctori deditus laurea insignitus fuit ann. 1736, dein in forum venit, paulo post, annuente patre ex ejus strepitu se surripuit, hujusmodi vitae genus perosus, quod natura penitus repugnante susceptum illi

(1) Vide ejus vitam pag. 102.

erat molestissimum. Hoc idem pluribus viris accidit litteratis, praecipue autem poetis.

Ardebat porro Bartholus bonarum artium cupiditate sic, ut in nullo umquam fortasse fuerit flagrantius studium. Nullum esse diem patiebatur, quin eas excoleret; easdem promovebat assiduissime. Unde privatam quasi palaestram aperuit. In hanc excipiebat amicos liberaliter erudiendos. Ibi de philosophorum doctrinis, de amoenioribus litteris, de lingua graeca, cui erat deditissimus. Ad plenam hujus intelligentiam sibi acquirendam optimorum graecorum auctorum scripta, tum quae soluta numeris, tum quae nexa, in italum sermonem vertit, suasque versiones saepe ac saepius contulit cum autographis, ut ex ejus ipsius epistolis eruditis colligimus. Litterarii quoque conventus ab eo instituti et identidem habiti domi suae, quos idem intermittere coactus postea.

Decreto scilicet senatus veneti inducta in publicum patavinum Gymnasium est sub initium ann. 1739 philosophia, quae, cum experimentis constet, dicitur vulgo experimentalis. Hujus tradendae curam suscepit Joannes Polenus, praestantissimus in eodem Archigymnasio mathematicae disciplinae professor, cui accessit Joseph Bartholus, quem ipse sibi in adjutorem elegerat (1). At hic tres circiter annos post facultatem obtinuit dimittendi collatum munus (2). Qua potissimum de causa Bartholus id petierit, non defi-

(1) Facciolatus in Fastis Gymnasii patav. T. II pag. 411.
(2) Ibidem.

liam: à probabilitate tamen illud non abhorret, quod dicam.

Ea tempestate consilium initum honorifica dimissione donandi Hieronymum Tagliazucchium, in regia taurinensi Academia politioris litteraturae professorem egregie meritum: Non temere Joseph se suffectum iri sperabat in ejus locum: Certe non defuit, qui profiteretur ejusdem nomen: Studuit itaque dimittere adjutoris officium, ne fors sibi esset impedimento in tanto honoris ac dignitatis certamine (1). Caruit res eventu. In aliud enim tempus dilata electio.

Jam vero Bartholus, cum sui juris esset, nulla publici muneris occupatione distentus, Bononiam iter capessit, ibique aliquandiu mansit, tum ut inviseret illam Academiam, quam *Institutum* vocant; tum ut viros conveniret doctrinae fama conspicuos. Bononia reversus Utinum se transtulit ann. 1742 ad Marcum Contarenum ibi legati administratione fungentem, ut ejus liberos institueret bonis artibus ac moribus. Fruebatur siquidem ille existimatione et viri boni, et litterati: quae laus non omnibus eruditis communis; sola enim doctrina politiora tantum reddit ingenia hominum, non meliora.

Illud quoque Bartholo tribuendum, quod statis temporibus hac in urbe certum in locum convenirent cultiores viri, quaeque eleganter ac docte scripserant, recitarent, non sine magno rei litterariae incremento. Is enim jamdiu intermissam pristinam consuetudinem renovavit, et aliis praeibat vel docta dissertatio-

(1) Mazzuchellius Vol. II P. I. pag. 446.

ne, vel poetico quodam cantico. Magnus ardor excitandae propagandaeque doctrinae. Ubi legatus discessit publica rerum procuratione absoluta, in ejus laudes italo carmine effusus est, quod praeportat intimam vim poeseos.

Biennio postquam illuc se contulerat, in patriam rediit; anno autem sequente Veronam petiit ad Angelum Emum *generalem* (uti ajebant) *proveditorem* in continente. Ibi versatus est aliquandiu in spectatissimi suique amantissimi viri domo, a quo multo in honore habitus. Duas hic dissertationes emisit (quibus auctum et propagatum est ejus nomen): unam scilicet de antiquarum inscriptionum atque anaglyphorum collectione, quae continetur in museo veronensi, a sapientissimo Maphejo paulo ante erecto; alteram de pulcritudine graecae cujusdam inscriptionis ineditae. Utrobique eruditio multiplex, eximia critice, exquisita antiquitatis notitia.

Et ad priorem quod attinet, eamdem bifariam dividit, ac primo quidem ostendit, quantum luminis historiae accedat ex antiquitatis investigatione ac studio; deinde exponit singularem veronensis musei praestantiam. Itaque comparatione instituta inter physicam et historiam, inter utramque interesse dicit quasi quamdam affinitatem. Ut enim physicus niti debet experimentis et observationibus rite institutis in inquisitione naturae; sic ad veritatem detegendam historicus uti monumentis indubiis et exploratis.

Haec autem vel continentur veterum scriptis, vel exprimuntur figuris. Jam vero desunt, inquit, non raro libri, aut ex incuria, aut temporis diuturnitate con-

sumpti. Facile praeterea vitiari possunt atque perverti. Quibus vicibus non tam facile obnoxia sunt alterius generis monumenta: numismata scilicet, metalla, inscriptiones, marmora et alia hujusmodi. His praecipue servatur veritas incorrupta. Ab his Bartholus ad ea descendit, quae objici solent ab adversariis, et eadem diluit, ac probat numismata praesertim et inscriptiones valere admodum ad certam notitiam temporis ac loci, maximeque inservire historiae. Quin vel spuriae inscriptiones, inquit, et fabulosa numismata aperte evincunt rerum istarum pretium. Nemo siquidem depravandas curasset has antiquitatis reliquias, si veras nullius esse ponderis credidisset.

Mox ad alteram partem transit dissertationis propositae; ac plurimum sibi plaudit in eo, quod, quemadmodum antea primus celeberrimo Poleno in physicis experimentis inserviit, ita nunc omnium primus accedat ad illustrandum veronense museum, a Maphejo ipso illius auctore excitatus. Eum itaque laudat, quod ibi museum erexerit, ubi illustris Academia, cui nomen inditum philarmonicae. Ejus architecturam describit. Disserit de graecis latinisque inscriptionibus, earumque copia et pulcritudine, quarum nonnullae ineditae. Commendat ordinem, quo lapides distributi, cui respondere dicit materiae praestantiam et operis artificium.

De iis vero praecipue memorat, quibus Emus ea tempestate veronensis praetor, et harum rerum peritus hoc ipsum museum ditaverat. His inscriptiones adjungit ibidem sitas, quae pertinent ad Christianos, quaeque exaratae fuerunt medio aevo. Has exponit

singillatim ordinem servans temporum usque ad saeculum quartum decimum. Affert etiam apocryphas et commentitias, ne cui in posterum fucum faciant. Nec alias praeterit inscriptiones, hebraicas scilicet, aegyptias, arabicas; neque protypa ad exprimendas historias, theatra, arcus triumphales instructa. Ita demum disputationem concludit: Voluit, inquit, jampridem Tullius monumenta sibi in Academia constituere. At hoc museum ipsum veronensis Academiae monumentum erit sui auctoris nomini gloriosissimum.

Huic annectit alteram dissertationem, quam paulo ante indicavi, scilicet de pulcritudine graecae cujusdam inscriptionis ineditae, ubi non eruditum tantum se prodit, sed et philosophum. Ac de illa in primis disputat pulcritudine, quae aequabiliter fusa cernitur in quolibet naturae opere; tum de illa, quam praeferunt artes imitatrices, sculptura scilicet et pictura; iisdemque legibus scripta expendit, quibus vel caelatam, vel pictam imaginem quis expenderet. Animadvertit insuper, in Phaedro Platonis notari a Socrate orationem Lysiae, et comparari cum epigrammate, quod olim inscriptum fuerat Midae phrygio: unde Bartholus sic concludit: Si Platoni licuit, inquit, duo inter se componere, quae deformia; quid ni mihi liceat duo, quae pulcra? Dein quaerit, quae inscriptio pulcra appellanda sit. Ea nimirum, ait, quae illum omnino exprimit, ac vere, cui eadem fit. Ex quo deducit, tales non esse, quae versibus exaratae. Neque enim verum poeta sequitur, sed verisimile, et quod generatim cadit in omnes ejusdem ordinis homines, non quod huic, vel illi convenit peculiariter. Hinc ad proposi-

tam rem accedens fatetur, inscriptionem, quam profert, esse pulcherrimam. Eum enim, cujus in laudem facta, designat tam perspicue, ut is statim, vel detracto nomine, appareat. Judicat autem Joseph, eamdem fuisse positam Aristidi a Graecis commorantibus in Ægypto, idque colligit ex urbibus ac locis, quae in ea indicantur. Eadem graeco erat insculpta marmore, quod anno 1743 Plateolae (vulgo Piazzola) effossum fuerat in quodam praedio Marci Contareni D. Marci procuratoris, ab eodem postea museo veropensi liberaliter dono missum.

Venere in litteratorum virorum manus dissertationes, easque extulere laudibus, in primis eruditus Pacciaudus in libro, quem inscripsit: *Sopra alcune singolari e strane medaglie*. Ad sardum quoque regem pervenit operis hujus fama, et auctori fuit apud illum maxime efficax commendatio. Vix enim Joseph regressus domum, Taurinum, quod optaverat accitus, fuit perhonorifice an. 1745 ad politiores litteras profitendas in regio illo Archigymnasio; et III Nonas Novemb. ejusdem anni splendidum munus iniit, quod illi Zenus missa ad eumdem epistola gratulatus est humanissime. En ejus verba: » Il vostro merito, più che qualunque al» tro uffizio, è stato il più valido mezzo a farvi otte» re un posto così cospicuo. I vostri scritti anno par» lato per voi (1)»? Bartholum sic laudat vir laudatissimus. Hoc unum instar elogii vel disertissimi.

(1) Lettere di Apostolo Zeno Tom. VI pag. 297. Venez. ann. 1785.

Susceptam provinciam administrabat strenue Joseph, cum patris mors interveniens, et rei domesticae derelictio non parum turbarunt hominem. Cathedrae negotio implicitus Joseph, impedito per bellum ad patriam transitu, non nisi anno post regredi domum potuit, unde, suis rebus, qua meliore ratione fas illi fuit, constitutis, rursus Taurinum petiit, ubi multa cum laude docuit, et ipsius etiam regis approbatione, qui in eum praebuit se munificum. Liberalitatem regis doctrinae fama sustinuit, adeo ut se eidem redderet in dies cariorem. Quare illi stipendium auxit, inter aulicos sibi domesticos eum admisit, regii antiquarii titulo et officio ornavit (1), uti praeterea voluit ejusdem opera in multis, quae ad professoris munus non pertinent. Tanta propensio regis in Bartholum! cui se gratum, ut par erat, exhibere, ac profiteri Joseph numquam destitit.

Ejus grati animi testimonium locuplex est oratio, quam habuit ipso natali die Emmanuelis Sardiniae regis, V scilicet Cal. Majas ann. 1747 non polite minus, quam luculente et erudite conscripta. Hanc ille praecedere voluit heroicum carmen, quod vulgo *Ottave* ad eumdem regem. Clarissimus Lamius in florentina ephemeride utrumque opus extollens sic de Bartholo illius auctore. » Si fa conoscere nello stesso

(1) Hoc ille commemorat in epistola praemissa orationi, quam sic inscripsit: *Orazione per le nozze delle altezze reali di Vittorio Amadeo duca di Savoja e di Maria Antonia Ferdinanda infanta di Spagna.*

» tempo non meno grazioso poeta, che elegante orato-
» re, . . . e il panegirico volerà per le bocche degli
» uomini insieme col suo eccellente soggetto (1)».

Hunc postea minus in se propensum expertus Bartholus (2). Innumerae prope sunt humanae vicissitudines, quas subire et ipsae non raro coguntur litterae. His tamen minime retardatus Joseph publico non abstinuit, et anno primo supra quinquagesimum saeculi superioris aliam orationem (quam etiam in lucem misit (3)) recitavit eodem die ac alteram, de qua modo mentionem feci. Dicendi occasionem sumpsit a nuptiis a Victorio Amadeo Allobrogum duce initis cum Maria Antonia Ferdinanda Hispaniarum regis Infante. Par utriusque orationis laus. Hanc autem praecedit epistola ad eumdem Amadeum, in qua praedicat de singulari in se regis beneficentia. Eadem italo concluditur epigrammate vivido et ingenioso.

Duo protulit quoque dramata valde commendabilia, seu dictionem consideres, seu sententiam (4): quorum unum inscribitur, *La vittoria d' Imeneo*: alterum, *Le tre Dee riunite* (5): hoc Matriti, illud Taurini regio in theatro exhibitum regis jussu, ad augen-

(1) Novelle letterarie di Firenze, Tom. X col. 384.
(2) Ivi col. 720.
(3) Veronae ann. 1751 typis Dionysii Ramanzini.
(4) Storia letteraria Tom. II pag. 452.
(5) Utrumque Taurini editum ann. 1750.

dam harum nuptiarum celebritatem, quod Bartholo accidit jucundissimum (1).

His ferme temporibus, venia impetrata a rege, peregrinari coepit Italia. Ac Parmae quidem in ducis aula aliquantum temporis commoratus descriptus est in illam picturae, sculpturae et architecturae regiam Academiam florentem viris litteratissimis, cui a secretis Frugonius, quicum ipsi plurima consuetudo (2).

Tunc pulcherrimum carmen edidit, *Stanze*, ut ajunt, idemque dicavit Academiae.

Hoc confecto itinere, aliud, permittente rege, suscepit, quod multo longius. Ad exteras nimirum gentes se contulit ac populos, apud quos percrebuerat ipsius fama. Londini praesertim se detinuit atque Parisiis, utrobique habitus honorifice: ibi cooptatus in regiam, hic in inscriptionum et politiorum litterarum Academiam. Parisiis autem suum illud eximium opus vulgavit lingua gallica: » Réflexions impartiales » sur le progrès réel ou apparent que les sciences et » les arts ont fait dans le XVIII siècle en Europe(3)».

In epistola ad lectorem causas vestigat, cur evanuerit Aristotelis votum de progressu philosophiae. Idque evenisse docet ex inopina magni Alexandri morte, unde ingens rerum omnium confusio. Idem votum

(1) Vide epistolam praemissam orationi de nuptiis.

(2) Vide Frugonii epist. 22 et 25 Tom. XIII operum Algarotti pag. 109. edit. Venet. ann. 1794, et pag. 84, 85 ejusdem.

(3) A' Paris ann. 1780 in 8.

de propagatione scientiarum plurimos annos post renovavit Verulamius. Hoc ad examen revocat, et utilissimis animadversionibus rem illustrat. Mox aggreditur ad opus sibi propositum, quod tribuit in tria volumina. Et in primo quidem, quod edidit ann. 1780, diligenter quaerit, quantum itali gallique scriptores contulerint ad progressionem litterarum atque scientiarum. In altero vero disserit de oratoribus gallis, a quibus laudationes conscriptae. Quaedam insuper elogia expendit contexta ab italis, tum versionem italam orationum Demosthenis a clarissimo Cesarotto confectam, et *vitas* Plutarchi *parallelas* italo sermone expositas ab Hieronymo Pompei; ut appareat, quis oratoriae artis progressus sit.

Ostendit tamdem tertio, quantam Gallis et Italis debeamus antiquitatis notitiam. Per hos enim novimus multo, quam antea, clarius, qua regiminis forma uterentur olim Ægyptii et Graeci, prae ceteris Athenienses. Quibus minime comparandos affirmat viros aetatis nostrae politicos, philosophos, jurisconsultos. Neque enim fuit istis cognita (ut ille judicat) intima romanarum legum indoles ac vis; cui intelligendae multum inserviunt, quae in libris de republica Plato tradit, ab his neglecta.

Animadvertit quoque Bartholus, quantum Celtae, Galli, Etrusci, Indi, aliique populi regiminis morumque doctrinam promoverint, et eruditionem linguarum. His adde, quae ibidem habet de poesi, praesertim dramatica, de civilis prudentiae scientia, et aliis hujusmodi, quae dissertationem ipsius efficiunt maximae utilitatis, maximaeque praestantiae.

Per haec et his similia innotuit plurimum ejus nomen, per ea praecipue, quae scripsit de Diptycho quiriniano; quod omnium per ora volitat, quasi alterum Palladium Trojae. Jam vero Joseph antequam ad explicationem illius accederet, plures edidit admodum eruditas epistolas, quas dixit apologeticas.

His pro varietate virorum, quibus easdem misit, et temporum, quibus scripsit, multa et varia inseruit, partim petita ab historia veteri, partim a μυθολογία. Ibi de quibusdam editionibus Dionis Cassii, de arte delineandi, quae floruit saeculo quintodecimo, de nonnullis, quae pertinent ad studium antiquitatis, quae in figuris et scriptis constat, de aliis veterum monumentis, praesertim vero diptychis. Voluit his epistolis viam quodammodo sibi sternere ad interpretationem Diptychi quiriniani.

Quare haec non nisi serius in lucem prodiit (1). Hinc ab aliis reprehensus Bartholus (2), ab aliis etiam ad irrisionem traductus publice (3); quod quae jamdiu parturibat, numquam pareret. Quibusdam minime acceptus fuit, a quibusdam in hujus Diptychi interpretatione dissensit. Ob id certe (quod animadvertimus etiam ante) pristino studio Lamii non admodum usus postea. A Cardinali autem Quirino maxi-

(1) Parmae typis Francisci Borsi ann. 1757 in 4.

(2) Novelle letter. di Venezia ann. 1748 pag. 118. Stor. letter. d'Italia Vol. I pag. 232. ecc.

(3) Novelle letter. di Firenze ann. 1746 col. 782. e ann. 1750 col. 218 e 532. Mazzuchelli Vol. II P. I pag. 449.

mam gratiam iniit. Is enim ex his epistolis decerpsit passim plura, quae separatim anno 1749 vulgavit sic inscripta: » Osservazioni critiche sopra il Dittico qui» riniano divise in tre parti, tratte dalle lettere del » sig. Giuseppe Bartoli ecc. ann. 1749 (1) ».

Quo ulterius progredior, eo plura mihi scribenti occurrunt: sed modus adhibendus est, qui in ceteris quoque adhibitus. Praecipue cum ex iis, quae hactenus, de aliis etiam sit facilis conjectura. Ubique selecta critice et multa eruditio. Haec illius eruditionem exornant in elegiam Catulli ad Januam (2): haec epistolam de quibusdam pertinentibus ad vitam Petri Aretini, de qua Eruditi Lipsienses optime, ut ipse nar-

(1) Storia letter. Tom. II lib. 2. c. 6. pag. 346.

(2) Bartholus in his contendit Maphejum ( virum ceteroquin doctissimum) injuria abjudicasse a Catullo distichon illud;

» Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
» Brixia Veronae mater amata meae ».

*Carm.* 66. *v.* 33. *edit. comin.*

idque evidenter probat ex auctoritate codicis Guarneriani, qui sane optimae notae, et fidei plurimae. In eo enim distichon hoc exstabat multo ante, quam Calphurnius Brixianus poeta, a quo intrusum dicitur, Catullum emendaret, immo antequam ulla esset Catulli editio. Bartholo suffragantur viri praestantes ceteris cum eruditione, tum arte critica. De animadversionibus Bartholi sic litterariae ephemerides: » Queste sono un bellissimo e giudiciosissimo commentario sopra » la detta elegia con minute e peregrine riflessioni, per le » quali vien ella a ricevere una spiegazione in tutte le sue » parti sì chiara e naturale, che non si può dir davantag» gio ». *Storia letter. d' Italia Vol. VI pag.* 206.

rat (1): tum aliam ipsius epistolam ad Franciscum comitem de Algarottis, et aliam ad Sebastianum Molinum de Commentario in militem gloriosum Plauti a patre Lacermi (2) Venetiis edito (3): cujus Philolipum (4) dedicavit Antonio de Comitibus, pulcherrima ad eumdem praemissa epistola.

Sed ne longius historiam protraham, ad poetica gradum facio. His enim Joseph delectabatur magnopere, ut antea vidimus. Non recensebo minuta quaedam (licet non vulgaria) quae identidem, ut ferebat occasio protulit, et exstant in libellis, vulgo *Raccolte*. Majora enim se offerunt, et magis digna posteritatis memoria. In his idyllium in obitu Josephi Salío, affluens omni lepore et venustate (5): in his opusculum, quod inscripsit: *Poemetto sulla battaglia del colle dell' Assietta*, in quo ad laudem ingenii poetici laudem celeritatis adjunxit. Brevi siquidem spatio temporis ipsum excogitavit, scripsit, edidit (6).

De hoc cum laude meminit Muratorius in suis annalibus (7). In his demum epistola ad marchionem Ferdinandum de Obiciis (8) elegantissimis italis ver-

(1) In epistola 5 ex apologeticis pag. 256.
(2) Scilicet Carmeli.
(3) Ann. 1742 in 4.
(4) Ibid. edit. eodem anno in 4.
(5) Patavii editum typis Cominian. ann. 1738 in 8.
(6) Editum Taurini ann. 1747 in 4.
(7) Tom. XII pag. 431. editionis mediolanensis (venetae) ann. 1744.
(8) Patavii typis Conzatti ann. 1740 in 8.

sibus exarata, in qua non pauca de suis laboribus in philosophos cum veteres, tum recentiores impensis, in historicos et oratores, in legum studia, ad intelligentiam romanae historiae pernecessaria, et in monumenta antiquitatis omnigena. Ibi etiam plurima de poetis graecis, latinis, italis, e quibus in scribendo imagines, numeros, vim expressit: ac praesertim de Telemacho, quem ipse exposuit, et Italiae reddidit familiarem.

Idem praeterea hymnos Callimachi, duas etiam tragoedias Sophoclis, Philoctetem scilicet et Trachinias, et Musaei poema de Leandro et Hero ex graeco in italum carmen vertit, et poeticis observationibus illustravit; quae quidem fere omnia erant adhuc ab italis interpretibus intentata (1).

Scripsit et tragoedias (2), quas inter eminet Epponina, Taurini publici juris facta anno 1768. Eamdem dicavit principi Mariae Teresiae, ex nobilissima familia Cibo, per epistolam, in qua de propositi argumenti praestantia disserens, et exponens varias ejus ac duras vices, legentes miseratione et metu com-

(1) Vide illius praef. in Comment. P. Lacerni. In Opusculo vero, quod Augustinus Paradisi publici juris fecit ann. 1762 inscriptum *Versi sciolti*, haec habentur pag. 25. in annotatione carminis ad Bartholum missi: *Medita il sig. Bartoli di arricchire l' Italia di una poetica traduzione di Pindaro*. At spes, qua tenebamur optatissimi videndi operis, nos fefellit.

(2) Praeter Epponinam scripsit *Antiopen* et *Philopoemenen*.

plet. Auctores affert, qui de hujusmodi re commemorant, Plutarchum, Xiphilinum, Tacitum, omnium vero maxime Muratorium, qui poetis auctor est, ut eamdem in scenam proferant, sic de illa scribens in primo Annalium: » Vi farebbe bella comparsa, sicco» me stravagante e capace di muover le lagrime oggi» dì, come vi fece allora (1)». In ea porro omnia recte digesta, et ordinate disposita, animis delectandis et commovendis idonea. In ejus quasi vestibulo occurrit illud Ovidii:

»Scena viget, studiisque favor distantibus ardet(2)».

Tragicum drama sequitur dissertatio de quibusdam antiquitatibus editis ad ornatum ipsius tragoediae. Eam vero misit ad virum celebrem de la-Lande, quem Parisiis noverat regii musei custodem. Dissertationis in fronte offert se spectantibus Octaviae effigies, quae a Graecis dicitur προτομή, monumentum ob raritatem eximium. Mox causas affert, cur hujus potius effigiem ibi imprimendam curaverit, quam Eponinae. Tum alia illustrat. Ad exitum ejusdem dissertationis agit de picturis herculano in oppido effossis. Unde ad illustrationem hujus tragoediae plurima. Rem concludit italo epigrammate de obitu Alphonsi Comitis, Hispaniarum regis legati, patroni sui, et maecenatis amplissimi.

Plurima praeterea sunt itala illius epigrammata, quorum aliqua ab eodem habita in academia londi-

(1) Pag. 240. edit. mediol. (venet.) ann. 1744.
(2) Tristium lib. 3. eleg. 5. v. 25.

nensi, ibidem post edita, et in anglicam linguam versa regis ipsius jussu. Claruit fere omni poeseos genere; quod non tam facile, praecipue homini tam dissimilibus studiis dedito.

His tot ac tam multiplicis litteraturae praesidiis magnum nomen obtinuit. Ne longior sim; viros totius Italiae doctissimos et Europae litteraria consuetudine devinctos tenuit. Quin ipsis regibus maxime acceptus fuit; quae quidem laus magni habenda. Illud quoque ipsi honorificum quod sua disciplina instituerit virum clarissimum Deninam. Plurima ex his, quae hactenus, mecum benigne communicavit Franciscus Fanzagus, vir eruditus maximeque versatus in scriptis Bartholi sui municipis. Verum de his satis; ad mores transeo.

De quibus ea dicam, quae potui ex ejus libris et aliunde colligere. Erat itaque in obeundo suo munere accuratissimus, magnam propterea ab omnibus gratiam iniit, ab Emmanuele praesertim Sardiniae rege, qui in eum liberaliter; de quo luculente Bartholus, uti diximus. Quae enim is acceperat beneficia, non solebat tantum grato animi sensu prosequi, sed etiam praeferre aperte, et occasionem inquirere eadem commemorandi.

» Tam insigni beneficio obstrictus (sic ille in epistola ad Sebastianum Molinum) nunquam destiti co-
» gitando . . . . conniti, ut citius quid proferrem . . .
» et grati animi officium et tibi, et praesenti, et futurae aetati significarem (1).

(1) In epistola praemissa Commentario P. Lacerni in militem gloriosum Plauti.

Quanta insuper illius modestia! quae sane in litterato viro difficilis. Ut enim quisque maxime doctrina excellit, ita maxime vult videri princeps omnium, vel potius unus. Id aberat a Bartholo quam longissime. De se enim, de suis operibus modestissime. *I meschini miei versi* (1). Eos nimirum versus intelligit, quos publice recitari jusserat rex Emmanuel in splendidissimis filii nuptiis. Usus eadem modestia Joseph cum suarum opinionum obtrectatoribus, quos minime offendit, licet acriter ab his petitus, et illiberaliter exceptus. Tuebatur quidem impense, quod pro certo habebat; sola tamen rationis vi, non acerbitate verborum. Putabat honesto homine indignum pugnare probro et contumelia.

Amicorum studiosus eosdem coluit, et aperta quoque palaestra erudiit. Quae sciebat, etiam ad aliorum usum libenter contulit. Amantissimus veritatis pro eadem tuenda obnoxius invidiae fuit. Non tamen illi propterea defuit. Ea nihil carius habuit, nihil sanctius. Antiquitatem Diptychi quiriniani contra Maphejum ipsum studio veritatis asseruit. Fuit laboris patiens, expedito et honesto ingenio, comis, officiosus, patri obsequentissimus.

Ad Religionem autem quod attinet, Hieronymi Æmiliani miracula exposuit longo carmine, et persequutus est alia argumenta pariter sacra numeris poeticis. Disseruit etiam de insigni monumento expri-

(1) Nell'Orazione per le nozze di Vittorio Amadeo duca di Savoja pag. 4.

mente stellam, quae Magis mirabiliter apparuit. Illud quoque audivi, solitum fuisse ipsum interesse quotidie sacro. Haec omnia eumdem arguunt religiosum virum.

Tres et septuaginta annos natus ad plures abiit Parisiis: eo enim postremo vitae tempore se contulerat. Quo morbo consumptus fuerit, nondum compertum habui.

## JOSEPHI BARTHOLI OPERA EDITA

Lettera di risposta in versi sciolti al marchese Ferdinando degli Obizzi. Padova per il Conzatti ann. 1740 in 8.

Ode per la partenza di Marco Contarini luogotenente generale del Friuli. Senza data in 4.

Due dissertazioni sopra il museo di Verona e sopra la bellezza d'una iscrizione greca inedita ivi collocata. Verona ann. 1745 in 4.

Orazione per il dì natalizio di Carlo Emmanuele re di Sardegna, con dedicatoria in ottava rima. Torino ann. 1747 in 4.

La battaglia del colle dell'Assietta. Stanze. Ivi ann. 1747 in 4.

La vittoria d'Imeneo, per le nozze del duca Amadeo di Savoja. Ivi ann. 1750 in 4.

Le tre Dee riunite, per le medesime nozze, componimento drammatico. Senza data in 4.

Considerazioni sopra la elegia di Catullo *ad januam*. Stanno in fine della raccolta intitolata: *Memorie istorico-critiche intorno all' antico stato de' Cenomani* ecc. Brescia ann. 1750 in fogl.

Orazione per le nozze di Amadeo duca di Savoja, recitata nel dì natalizio di Carlo Emmanuele re di Sardegna. Verona ann. 1751 in 4.

Lettera all' Accademia etrusca di Cortona sopra alcune parole scritte da essa nell' epistola *ad Card. Quirinum*. Florentiae ann. 1746. Sta nella raccolta Calogerà Tom. XLVI pag. 285.

Lettere 10 apologetiche sopra alcuni novellieri e giornalisti all'occasione del Dittico quiriniano. Si aggiungono due altre lettere sullo stesso argomento. Torino, senz'anno in 4.

Il vero disegno delle due tavolette d'avorio chiamate Dittico quiriniano, con tre ragionamenti, che ne difendono l'antichità. Parma ann. 1757 in 4.

Lettera sopra alcuni fatti particolari risguardanti la vita di Pietro Aretino inserita nella vita, che dell'Aretino scrisse il Mazzuchelli pag. 263. stampata in Padova per il Comino ann. 1741 in 8.

Epistola praemissa Commentario P. Lacermi in *militem gloriosum* Plauti, Venetiis ann. 1742 in 4.

Altra premessa al Filolipo del Carmeli, Ivi ann. 1742 in 4.

Descrizione e ragione delle cose dipinte da Bernardino Galliari nella tenda del R. teatro di Torino. Torino ann. 1756 in fogl.

La quarta egloga di Virgilio spiegata. Roma ann. 1758 in 4.

Saggio d'osservazioni sopra un antico basso-rilievo d'argento, scavato ne' contorni d'Ercolano. Ivi ann. 1758 in 4.

L'Antro eleusino rappresentato in un greco basso-rilievo del museo Nani. Ann. 1761 in 4.

Sonetti con note a Carlo Guglielmo Ferdinando princ. ered. di Brunswick. Torino ann. 1766 in fogl.

Epponina, tragedia. Ivi ann. 1767 in 8.

I Miracoli nella canonizzazione di S. Girolamo Miani, in ottava rima, con un'antica dissertaz. sopra un insigne monumento rappresentante la stella comparsa a' Magi. Ivi ann. 1768 in 4.

Poemetto intorno l'antica tazza d'agata orientale figurata del museo farnese rappresentante la venuta dell'imp. Trajano in Italia. Ivi ann. 1769 in fogl.

Poema epico, per le nozze del principe Carlo Emmanuele di Piemonte. Sciamberi ann. 1775 in 8.

Réflexions impartiales sur le progrès réel ou apparent que les sciences et les arts ont fait dans le XVIII siècle en Europe. A Paris ann. 1780 in 8.

Essai sur l' explication historique, que Platon a donnée de sa république et de son atlantide. Ibid. ann. 1780 in 8.

La divina speranza, Poemetto, che forma il terzo canto della raccolta intitolata *la Perfezione religiosa* stampata in Padova l' ann. 1763 in fogl.

Varie poesie sparse in molte raccolte, o impresse separatamente.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Dissertazione ossia risposta alle censure del Castelvetro, che accusa il Boccaccio di parecchi errori commessi contro la verisimilitudine nella novella di Ghismondo, colle interpretazioni, che convenevolmente si possono dare alle parole del Casa nel Galateo sulla stessa novella.

Commentario storico-politico sopra tutte le opere di Virgilio, e specialmente sopra l'Eneide.

Catalogo de' mss. preziosi degli archivj della cattedrale di Torino e degli archivj di Vercelli.

L' Atamante, l' Antiope ed il Filopemene, tragedie.

Volgarizzamento in prosa della poetica d' Aristotele. Traduzione in versi sciolti di Callimaco; di Museo, l' Ero e Leandro; del Telemaco di Fenelon; del Filottete e delle Trachinie di Sofocle, e dell' ode di Saffo presso Longino in versi ad imitazione de' saffici.

Moltissimi componimenti sacri e profani, cioè sonetti per monache, governatori, procuratori di S. Marco, per nozze cospicue e sopra altre materie di letteratura, di storia, di antiquaria ecc.

# VITA

# JO. FRANCISCI SCARDONAE

Joannes Franciscus Scardona Costiolae, loco prope Rhodigium sito, natus est postridie Non. Quintilis ann. 1718 parentibus Angelo et Julia. Montemsilicem missus fuit aetate admodum tenera ad percipienda prima litterarum rudimenta (1). Post ad Seminarium patavinum se contulit rhetoricis praeceptionibus imbuendus. III Cal. Novembris ann. 1733 inter ejus alumnos exceptus est, cum quintum decimum aetatis annum ad exitum perduxisset. Amoeniorum litterarum cursu confecto, discessit e Seminario, ut institueretur in arte medica in Archigymnasio patavino.

Ibi duobus professoribus usus est, non apud nostros homines tantum, sed etiam apud exteros celeberrimis, Alexandro Knips Macoppe, et Julio Pontedera, hoc quidem ad cognitionem herbarum, eo vero ad artis medicae exercitationem et usum. Constituti temporis spatio elapso, in sacro patavino Collegio lauream obtinuit. Tum se Bononiam atque Florentiam contulit, ut eorum professorum medicina excel-

(1) Ibi praeceptorem habuit Angelum Sclavettum. Vide ejus vitam pag. 252.

lentium consuetudine et eruditione proficeret. Utrobique utiliter mansit; ac Bononiae quidem Beccarium audiit, Montium, Azzoguidum, Laghium, viros doctrina et fama illustres. Horum colloquiis eruditis interfuit, institutiones excepit, cum iisdem postea mutuum epistolarum commercium habuit, ut etiam cum Francisco Zanotto philosopho magni nominis, cujus auditor fuerat. Sic ille e multis commodissimum quodque elegit; non uni tantum, aut alteri se se addixit: unde multiplex ea doctrina, quae sanandis morbis plurimum opportuna.

Tot opibus scientiae auctus Rhodigium venit: ibi aliquandiu medicum egit multa cum civium illorum laude. Utque erat ad studia valde propensus, ubi habebantur publicae disputationes, iisdem et ipse intererat in illustri auditorum corona, argumentantis saepe personam induens. Non multo post se in patriam transtulit, ibique medicinam exercuit robustus ac vigens usque ad ultimam senectutem.

Vetus querela est, nimirum quosdam ex medicis non admodum valere doctrina, quosdam non admodum experientia; quarum tamen utraque omnino medico necessaria, altera quidem, ne a contemplando ad medendum traductus haereat incertus (agendo enim homines apti ad agendum fiunt), altera vero, ne sola experientia nixus periclitetur:

. . . . . *Alterius sic*
*Altera poscit opem res, et conjurat amice* (1).

Jam vero plurimum utraque excelluit Joannes Fran-

(1) Hor. de arte poet. v. 410. 411.

eiscus. Scientiam ipsius ostendunt relicta ab eo monumenta, experientiam autem tot morborum, ac tam multiplices curationes; praesertim vero facilitas praevidendi statim illorum exitum. De illius operibus dicam, cum prius de diuturnitate temporis, et assiduitate, qua medicinam exercuit, pauca dixero.

Paucissimos sane invenies, qui cum eo possint comparari in utraque. Si tempus consideres, quinquaginta annos et amplius in laboriosum munus insumpsit: si modum, res est propemodum ultra fidem. Quocumque enim vocaretur (vocabatur autem quotidie a multis) eo illico ferebatur, qualibet tempestate, horis etiam importunis, diu noctuque, ultimis quoque annis, sive divites essent, sive egentes seu proximi, seu remoti, eadem ad omnes alacritate et cura. Eum non retardarunt incommoda, non pericula. Eundum saepe illi erat per vias lutosas, humiles, aquis obsitas ac redundantes, per imbres effusos, vel sole ardente. Luctandum non raro cum fluviis, cum vento, cum gelu, cum nive; nec tamen destitit ab incepto: numquam propterea sivit suam praesentiam a quoquam frustra desiderari. Ibat, et saepius etiam, si opus esset, ad eum redibat. Ubi vero rem expediisset, se ultèrius detineri non patiebatur. Non raro instabant, qui eum vocaverant, rogabantque hominem, ne discederet hora ac tempestate importuna: quibus comiter gratias agens abibat, ne cui deesset opera sua indigenti, cursitans rursum prorsum. Interritus, impiger, indefessus quotidie defatigabat plures equos, raro prorsus ac miro sedulitatis exemplo.

Quamquam id, licet revera magnum, non tamen

admodum in eo mirarer, si fuisset vel infimae notae medicus, vel rei domesticae laborasset angustia. Sed tantae praestantiae virum, qui vitam domi suae potuisset tranquillam et quietam agere, quaslibet sibi interdicere voluptates vel honestissimas, et improbo labore frangi, ut aegrotantibus praesto esset, aliquando tenui, non raro etiam nulla mercede proposita, hoc enimvero est, quod ego vehementer miror.

Tam longo itaque et assiduo medendi usu evaserat artis medicae peritissimus; adeo ut vel primo adspectu, quemadmodum antea diximus, de morbi exitu non temere judicaret. In quo si quis eum reprehendit, quod erraverit aliquando, is animadvertat, haberi non posse in his evidentiam. Fore ajebat, quod plerumque accidere diuturna experientia et accurata didicerat. Certe is erat omnibus magno in pretio, viris etiam doctrina ceteris nobilitate ac dignitate praestantibus. Fere nemo iis in regionibus ac finitimis aegrotabat, qui eum non arcesseret, ubi posset, non consuleret, ac totum se non committeret illius arbitrio.

At illis finibus contineri non poterat ejus nomen. In loca dissita penetravit, nobilissimas etiam urbes et eruditas pervasit. Ferrariam in primis, Mantuam, Bononiam, Patavium. Ad eas vocatus accessit (quod Joanni Francisco valde honorificum) cum illae abundent medicis praestantissimis. In tanto porro doctorum virorum lumine sic ille se gessit, ut reddiderit se spectabilem, et famam auxerit. Quod quam difficile! Refert Plutarchus (1) solitum fuisse dicere Me-

(1) De auditione.

podemum, plerosque ex iis, qui Athenas petebant studiorum causa, eam urbem ingredi tamquam magistros, in ea versari tamquam discipulos, ab ea discedere tamquam rudes. Nihil ulterius addo. Quo id pertineat, unusquisque intelligit. Tantam sibi Joannes Franciscus existimationem peperat! quam corroboravit adhuc multo firmius optimis libris editis, et extendit usque ad ultimae posteritatis notitiam.

x peperarat

Et quod ad editionem illorum pertinet, breviter rem expedio. Adscriptus ille fuerat Academiae rhodiginae, ibique dissertationes medicas recitaverat. Quae scripserat, statuit in commune bonum proferre, idque perfecit primum anno 1746 Seminarii patavini typis, offerens per epistolam rei litterariae triumviris opus, quod ornaverat hoc titulo: *Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis, uberrimis commentariis atque animadversionibus illustrati, quibus quaestiones singulae, quae tum in theoriam, tum in praxim medicam cadunt hodie maxime illustres, sedulo pertractantur, discutiunturque*. Labor plurimum se commendat utilitate quaestionum, ac rerum ordine. Totum argumentum dividitur in tres partes, seu potius libros. Et in primo quidem Joannes Franciscus agit *de morbis capitis;* altero complexus est *praecipuos morbos pectoris;* in tertio *de morbis* disserit *imi ventris*. In his paucis offert medicorum placita pertinentia ad morbos singulos, observationes, doctrinas virorum medica facultate praestantium, tum remedia curandis morbis, de quibus agitur, opportuna. Scribendi munus aggressus propositum illud habuit (ut ipse affirmat), tironum praecipue rationibus prospi-

cere. In quo profecto valde laudandus. Quare brevi indicavit, quae ad pernoscendos pellendosque morbos utilia sunt ac necessaria. Scripsit ingenue, quae magistra rerum experientia detexerat, non quae vago rumore solent circumferri.

Ab ephemeridum rei litterariae scriptoribus (1) et opus extollitur, et auctor operis; quod rursus protulit anno 1754 per eosdem ac antea typos, novo eidem adjecto libro *de febribus*. Quae vero *de morbis mulierum* scripserat, publici juris fecit anno 1758 usus eadem typographia. Haec omnia adeo placuere eruditis, ut novam paulo post editionem coactus fuerit instruere, deficientibus exemplaribus. Addidit cuncta, quae potuit jam antea editis, et in ordinem digessit, alia retractavit diligentius, emendavit et auxit; tum indidem emisit eadem anno 1763 ornata nomine Jo. Aloysii Mocenici III. equitis, atque aedis D. Marci procuratoris, rhodiginae Academiae maecenatis. Quae autem se illi obtulerant minus prompte, reliquit edenda in posterum.

Duodecim annos post novam horum operum editionem ejusdem Seminarii typis confectam video. Anno tandem ante obitum per eosdem librum vulgavit auctor ad illorum supplementum, quae in aliis quinque jam editis desiderantur: in quo multa adjecit, quae novis observationibus detexerat; multa, quorum tractationem attigerat, adeo amplificavit, *ut priorem fere*

(1) Novelle della repubblica letteraria stampate in Venezia per l'anno 1747 pag. 402. e Novelle letterarie di Firenze dell'anno stesso col. 562.

*faciem amittant, atque aliam induant prorsus novam* (1). Accedunt insuper orationes duae, altera *de impedimentis, quae praxim medicam retardarunt, contra illud Hippocratis:* » ars longa, vita brevis » , altera *de medicinae praestantia ceteris omnibus facultatibus anteponenda*. Postremum hunc sui ingenii fructum obtulit civitatis rhodiginae moderatoribus, totique nobilium ordini, ut monumentum grati animi in eos exstaret, a quibus in civium ordinem cooptatus fuerat consensu unanimi. Hoc eodem consilio meminit in praefatione de quibusdam illorum civibus morum integritate, prae ceteris dignitate, litterisque praestantibus. Doctissimi viri, et artis medicae scientissimi, quibus oblatum opus, de eodem ample ac splendide, non ex urbanitatis officio, sed ex intima, ut patet, doctrinae illius persuasione.

Hac permoti patavini Archigymnasii moderatores anno 1781 cogitaverunt eum transferre Patavium, et ad primum practicae medicinae ordinariae locum evehere. Jusserunt itaque rhodiginum praetorem arcessere ad se Scardonam, et ejus mentem exquirere. Maluit is reliquum vitae tempus cum suis transigere in patriae sinu, quam tanto honore clarere.

Eadem haec de ejus doctrina opinio curiositatem incendit videndi et alia, quae reliquit inedita, in primis librum, in quo de morbis agit illorum propriis, qui incolunt Policinium. Est molis exiguae liber, facilis gestatu a medicis, cui propterea hic titulus: *Vade*

(1) In Praef. ad lectorem.

*inecum*. In eo primum morbi indicantur singuli, prout se produnt; tum varia illa συμπτώματα, quae modo conjunctim, modo separatim contingunt, et morbos singulos distinguunt ac notant, tamquam signa. Hinc medicus sine errandi periculo cujuslibet morbi intimam vim percipiet, et quibus medicamentis eidem debeat occurrere. Magnae prorsus utilitatis opusculum istud est, nec eruditum tantum ac doctum auctorem arguit, sed etiam experientissimum. Utinam proferatur in usum publicum! Edendi consilium ceperat Angelus ejus filius, et ipse valens in arte medica. Morte praereptus perficere non potuit, quod optabat, ut pietati suae satisfaceret, et omnium votis.

Sed ne nimis in longum abeat commentarium, de ejusdem moribus pauca persequar. Quamquam ex iis, quae hactenus dixi, non obscure conjici potest, quae indoles ejus fuerit. Erat adspectu gravis, sermone affabilis, laboris mirum in modum patiens, etiam postrema aetate; nec minus ingenio vigens, quam corpore; fere numquam aegrotavit, quod sane mirum, cum pluribus se se objiceret assidue incommodis. Beneficiis gratum animum exhibebat, nec patiebatur se officio vinci. Veritatis diligens, ubi in consilium adhiberetur, non dubitabat medicis vel primi ordinis contraire, quoties eorum opinionem persuasam non haberet. Neque rem celabat, imo sine circuitione monebat aegrotos, etiam dignitate et auctoritate spectabiles, de periculo, cui erant obnoxii, ut necessariis Ecclesiae praesidiis in tempore se munirent, eique occurrerent. Quae vero modestia in his! *Hac de re doceri cupio, atque in aliam sententiam iturum polli-*

*ceor, si illorum rationes secus suadere videantur* (1). Abstinentiae autem illius hoc locuples testimonium. Ut indiscriminatim ferebatur ad omnes, ita quidquid ipsi loco mercedis darent, accipiebat ille, quin id inspiceret ex consuetudine, qualibet oblatione contentus. Unde aliquando contigit (quemadmodum narravit ipse subridens), ut nescio quis hominem dimiserit tribus obolis. Usu tamen medendi assiduo plurimum auxit rem domesticam. Habuit quoque praedia. Haec administrabat ille per villicum, cum ipse non posset, continua rerum occupatione distentus; ab iis litteratis abhorrens, qui sua sinunt pessum ire.

Non ideo tamen studia intermisit umquam. Inter ipsas medicas occupationes subcisivis horis (ut ipse narrat), ea lucubravit, quae maxime illustrant ejusdem nomen. Neque minus diligenter implevit officium patris. Quam sollicitus de optima institutione filiorum! Ut eam promoveret, neque curis pepercit, neque sumptibus. Eos Seminarium patavinum ingredi voluit, et coli illius disciplina. Votis respondit exitus. Horum alter, ut diximus, medicinam exercuit exemplo patris; fungebatur alter in patria sacri pastoris munere cura ingenti, cum anno 1801 publica auctoritate Lugdunum in Galliam cum aliis mittitur bono publico. Vix eo pervenerat, cum eum adorta vis morbi sustulit, moerentibus omnibus quibus cognitus.

Neque de suis tantum filiis Joannes Franciscus praebuit se sollicitum, at etiam de aliis sibi affinitate conjunctis. Duabus neptibus dotem legavit testamento,

(1) Lib. 4. in Praef. ad lectorem.

ut honeste possent collocari. Nepotem vero, relicta pecunia, institui jussit ad medicinam, ad quam natura proclivis.

Annum tertium supra octogesimum inchoaverat, cum decubuit morbo oppressus, ac statim visus est in extremo vitae discrimine. Quare praesidiis illis munitus fuit, quae tali in re ac tempore tribui solent Ecclesiae jussu. His religiose susceptis, obiit postremum diem VI Idus Septembres anno 1800 vir non minus longo medendi usu, quam doctrina clarissimus. Acerba accidit ejus mors non suis tantum et conterraneis, sed finitimis etiam populis et longinquis. Mox elatus, et in sepulcro conditus gentis suae. Circumfertur illius imago ab illa exscripta, quam ipse adumbrandam curaverat. At veram suae mentis formam vivide expressam nobis, posterisque reliquit in scriptis editis.

Haec fere omnia diligenter collecta ad me mittenda curavit vir eximius, mihique jampridem cognitus et amicus Joannes Ferro, in patavino Seminario ab adolescentia educatus, postea vero archipresbyter Villae Novae ad Gaibum dioecesis adriensis paroeciae. Hujus praecipua *laus in ecclesia sanctorum* (1). Elogium scilicet ipsius insigne vel apud posteros templum erit, multo quam antea splendidius, ejus in primis pecunia restitutum, seu potius a fundamentis erectum, multiplici et excellenti pictura ornatum; populus egregie instructus, et liberaliter nutritus; pastoralis ejus sollicitudo, et exemplum vitae laudabilis.

(1) Ps. 149. 1.

## JO. FRANCISCI SCARDONAE OPERA EDITA

Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis . . . . . in tres libros distributi, quorum primus *De morbis capitis*, alter *De morbis pectoris*, tertius *De morbis imi ventris*. Patavii typis Seminarii ann. 1746. in 4.

Iidem rursus editi, addito libro *De febribus*. Ibid. ann. 1754 in 4.

Liber *De morbis mulierum*. Ibid. ann. 1758 in 4.

Eadem opera. Ibid. ann. 1762 1763 Tom. 5 in 4.

Eadem. Ibid. ann. 1775 in 4.

Ejusdem operis liber sextus, in supplementum eorum, quae in aliis quinque jam editis libris ad universaliorem praxim desiderantur. Ibid. ann. 1799 in 4.

Opusculum *Vade mecum* inscriptum, quod numquam editum.

# VITA

# JOSEPHI TOALDI

Inter Seminarii patavini viros illustres nobilem vindicat sibi locum Joseph Toaldus, V Idus Quinctilis anno 1719 Planetiis ortus, patavinae dioecesis paroecia, prope oppidum marosticense, in vicinis montibus sita. Quartodecimo aetatis anno Cal. Decembris inter ejusdem Seminarii alumnos cooptatus superioris grammaticae rudimenta percepit a Josepho Stefani graecae linguae admodum perito. Optima vitae institutione praecultus Toaldus, ingenio vigens, adjuvante quoque memoria plurimum ac studio, jam tum videbatur de se polliceri aliquid non vulgare. Nec inanis ista praesensio. Elegantioribus litteris expolitus philosophicas et mathematicas scientias impense coluit, mox a Trivellato (1) didicit theologiam, eoque duce, publicum certamen iniit anno 1742, ac tamdem XII Cal. Aprilis eodem anno in sacro theologorum Collegio laurea donatus eorum ordini adscriptus fuit, dein jussus a Minotto Othobono patavinorum episcopo in Seminario praeceptoris officio fungi.

(1) Vide ejus vitam pag. 166.

Ac primum quidem (ut ferunt instituta hujus loci) ab elementis grammaticae munus exorsus est, tum ad altiora progrediens Seminarii alumnos aliquandiu in rhetorum palaestra exercuit, paulo post traducitur ad matheseos disciplinam, quam peculiari amore prosequebatur. Hunc jam tum imbiberat, cum Succium audiit in patavinae urbis Archigymnasio professorem, rerum hujusmodi scientia clarum. Is enim illi quasi viam aperuerat ad interiora disciplinae hujus adyta, praecipue vero ad difficilem cartesiani et leibnitiani *calculi*, ut ajunt, intelligentiam. His opibus auctus Joseph suos auditores sedulo instituere coepit, ac modum iisdem tradere dissolvendi implicatiora quaeque problemata, tum ostendere, quos eadem traduci possent in usus, ne in contemplationem desinant prorsus sterilem.

Ea tempestate immortalis Galilaei opera Seminarii patavini typis vulgari coepta. Haec jam et ante alibinde prodierant, sed multo uberior et pulcrior, quam altera, nova editio, ad cujus splendorem non parum contulit Toaldus eruditis ipsam annotationibus, et praefationibus augens. Idem praeterea obtinuit facultatem edendi ejus dialogum de mundo; nonnulla tamen ad rei illustrationem subjecit, partim a se exarata, partim ab ipso auctore deprompta.

Antonium de Comitibus, virum doctissimum et amantissimum doctorum hominum, coluit studiosissime, ab eodem factus et ipse plurimi. Ei multa referebat accepta, quae scitu digna, optimorum praesertim librorum cognitionem. Quinquennio post ejus mortem in lucem protulit ejusdem opera cum ejus vi-

ta, quam ipse accurate scripserat. Qui hanc legit, Antonium suspicit inter poetas et eruditos, inter philosophos et mathematicos multa cum dignitate versantem.

Interim Joseph eligitur in archipresbyterum Montis Galdae, qui locus Patavium interjacens et Vicetiam ab utraque urbe pari ferme intervallo distat. Ibi sui muneris partes implens quidquid supererat sibi temporis, impendebat in studia a se jamdiu in deliciis habita. Innotescebat jam rei litterariae triumviris quanta is mathematicarum rerum peritia excelleret. Quare duodecim circiter annos post senatus veneti decreto Patavium translatus est ad astronomiam una cum geographia et meteorologia in publico lyceo profitendam.

Multa hic enimvero utilia ad disciplinarum progressum; sed locus deerat ad astronomicas observationes idoneus. His capiendis visa est opportuna vel maxime antiqua turris, ex qua praecipites olim homines agi solitos fuisse constat ab Eccelino de Romano stirpis teutonicae tyranno crudelissimo. Hinc duo hi elegantes versiculi in ipsa insculpti:

*Quae quondam infernas turris ducebat ad umbras,*
*Nunc Venetúm auspiciis pandit ad astra viam.*

Coeptum itaque hujusmodi statim opus; nec multo post feliciter absolutum (1). Interim Joseph veteres

(1) Opera Dominici Cerati vicetini, artis architectonicae periti. Fuit hic multorum quidem aedificiorum structura celeber, sed in primis patavini Nosocomii, romanam magnificentiam praeferentis. Ortum habuit pridie Nonas Augusti ann. 1715. Post patavinum Seminarium ingressus est litteris

philosophos imitatus peregrinationem suscepit, in qua convenit viros astrorum notitia insignes. Cum his litterariam iniit consuetudinem, quae eidem in primis utilis. Tum celebriores invisit Italiae speculas, suamque postea curavit ad earum normam optimis instrumentis instruere, quae caelestium corporum contemplationi inserviunt. Idque publica munificentia perfecit ad scientiae ipsius incrementum, et studiosorum utilitatem.

Hanc spectabat in omnibus Joseph, ad hanc consilia sua referebat; praecipue vero meteorologicas observationes, quibus erat assidue intentus. Nimirum putabat ille in natura ipsa investigandam esse naturam, nec audiendam tantum, cum ultro loquitur, sed saepe saepius interrogandam, ut vel invita loquatur. Quare eidem perpetuo instabat, eamdem per hujusmodi observationes identidem repetitas sibi, ut ita dicam, cogebat respondere, et arcana sua patefacere. Quo non pervasit illius curiositas! Solitus erat omnia indagare, rimari, inquirere. Caelum, aer, terra, mare erant quasi quaedam theatra ejus contemplationi pro-

---

expoliendus. Dein hinc discessit, et architecturam Patavii publice aliquamdiu professus est senatus veneti decreto. Ibidem ann. 1784 Penadae typis librum edidit sic inscriptum: » Nuo» vo metodo per disegnare li cinque ordini di architettura » civile conforme le regole di Andrea Palladio e Vicenzo » Scamozzi, ed alcune figure di geometria pratica per uso della » pubblica scuola di architettura istituita in Padova l'anno » 1771 ». Anno 1792 obiit hac ipsa in urbe. Corpus in ecclesia S. Michaelis jacet sine titulo.

posita. Ille astrorum varios notabat adspectus et cursus, planetarum situs, dissimiles affectiones solis, maxime vero multiplices lunae vices; quaeque tum fierent, observabat accuratissime; reciprocum maris aestum, frigoris et caloris gradus, nebulas, caligines, nives, gelu, pluvias, ventos, procellas, et quae non temere deduci possent ex his, tum ex diurno et annuo telluris motu, ex physica lunae vi, ex animalibus ac plantis, et aliis plurimis. Illud enim pro certo habebat, quaecumque sunt, ut mutuo inter se vinculo continentur, ita se pariter mutuo afficere.

Neque sua tantum investigatione contentus aliorum etiam usus est experientia. Sedulo itaque examinavit observationes olim a Poleno matheseos in patavina Academia celeberrimo professore institutas, et quadraginta annorum spatio ab ipso primum, post ab ejus filio continuatas, et alias Patavii quidem a Morgagno tota Europa clarissimo, Venetiis autem initas a Temantia, clari nominis architecto; has omnes cum suis composuit, et expendit exquisitissima diligentia.

Verum cum hujusmodi observationes ad hanc nostram regionem tantummodo pertinerent, his adjecit, quas ipse in medicorum libris repererat, quas a viatoribus referri noverat, quas passim collegerat ex eruditis academicorum praestantium actis; et alias quascumque tamdem potuit habere cognitas, captas in remotissimis terrae plagis. In omnes, severo instituto examine, coepit inquirere, omnes inter se comparare, minutatim scrutari singulas, et explorare, quae ab iis sequerentur. Ex his omnibus, ut ipse affirmat, admirabilis plane rerum consensus exstitit, et exspectatione

sua longe major. Idque sibi adjumenti plurimum attulisse testatur ad quasdam regulas stabiliendas; ex quibus admodum probabiliter conjici possent futura rerum naturalium eventa. Has ille regulas appellavit *Aforismi meteorologici*.

Quae hactenus, continentur in eo volumine, quod inscripsit *Saggio meteorologico*. Hoc italo sermone exposuit, quod doctis scriberet, et indoctis. Hortatur enim omnes ad haec inquirenda eo consilio, ut planum fiat, num temperentur lege aliqua tempestates ac mutationes temporis. Esset enim cognitio haec maximo nobis usui in omni vita, ad medicinam prae ceteris, ad navigandi artem, et ad agrorum culturam.

Et ad hanc quidem utilissimam esse *meteorologicam* scientiam demonstrandum postea suscepit dissertatione, saepius vulgata post, et plures in linguas versa. Hanc gallice scriptam misit ad regiam societatem monspeliensem, a qua statim edita praemium retulit. Venetiis eamdem protulit anno 1775 exaratam sermone italo, et hunc praeferentem in fronte titulum: *La meteorologia applicata all' agricoltura*.

Querebatur interea Joseph a doctis non magnopere fuisse excultam *Meteororum* doctrinam, partem adeo utilem physicae disciplinae; quin aliquando fuisse neglectam et imperito vulgo relictam. Hanc omnibus impense inculcat, in qua promovenda laboravit ille plurimum toto suae vitae cursu. Sibi enim proposuerat expedire, qua ratione melius posset, rem implicatam prorsus et controversam, eoque eamdem redigere, ut generalis doctrinae vim obtineret. Id praecipue apparet ex hoc eodem volumine, de quo ante,

Hoc primum vulgavit ann. 1770 per typos Seminarii patavini, et iterum anno 1781 iisdem typis, magnis auctum additamentis, aliis etiam rejectis, mutatis aliis et ad meliorem formam traductis. Utramque editionem obtulit rei litterariae triumviris ad eosdem praemissa epistola. Idem rursus editum ann. 1796.

Ubi primum emissum fuit, exceptum illico plausu ingenti. Vulgata vero ejusdem Dissertatione ( quae fuit, uti diximus, praemio ornata a regia Academia monspeliensi ) excitari magis studia hominum et augeri in dies praecipue in regionibus ultra montes. Undique exquiri liber, et pleno ore laudari a viris doctissimis et omnium celeberrimis (1). Ephemeridum rei lit-

(1) De hoc libro sic Bernoullius Vol. II pag. 268. *Recueil pour les astronomes* (Berlin 1772) » Pendant qu'on » se plaint si généralement du peu de lumières qu'ont four- » ni jusqu'à présent tant d'observations météorologiques » accumulées, on ne devait pas s'attendre à voir paroître » tout à coup un ouvrage de météorologie tel qui est celui » de M. Toaldo, aussi complet, aussi démonstratif, et après » le quel on peut avec raison espérer de voir bientôt cette » science monter à un haut dégré de perfection. Il intéresse » particulièrement les astronomes, parce qu'il suppose des » grandes connoissances astronomiques, etc.» .

De eodem ita de la-Lande, Préface de son astronomie pag. 45. » L'observatoire de Padoue . . . . . est dirigé par M. » Toaldo qui s'occupe utilement de l'astronomie, et a déjà » publié divers ouvrages, sur tout un excellent traité de » météorologie, dont j'ai rendu compte dans le Journal des » savans en 1771» . Et post: » il a paru depuis quelques » années trois ouvrages considérables de météorologie, celui de

terariae scriptores germani et galli certatim in ejus laudes excurrere, et partes illius transcribere, verti idem

» M. Toaldo en italien, celui de M. de-Luc a Genève etc.». Et alibi : » Les différentes positions de la lune influent beaucoup sur les marées, et devroient être également observées » par ceux qui étudient les rapports que peut avoir la lune » avec les vents et les saisons, ou avec le corps humain ». Conn. des mouv. cel. pag. 164.

Auctor vero des Tablettes des Sciences et des arts ( Paris 1776 pag. 232. ) Sic de eodem. » En un mot je ne crains » pas d'avancer que c'est le meilleur livre qui ait paru depuis le commencement du siècle, et qu'il mérite une place » distinguée dans la bibliothèque des physiciens. Je m'occupe actuellement à le traduire etc. » .

Lictembergius commentario illustrans dissertationem clarissimi de-Luc *De variationibus thermometri* haec habet pag. 86. ( Gottingae 1775 ) » Hoc opus, et celeberrimorum » virorum Toaldi, Lamberti et P. Cottae exantlatos labores » considerans, sanioris meteorologiae tempus nunc demum » appropinquasse, affirmare nemo dubitaverit ».

Retz in dissertatione, quam sic inscripsit, *Meteorologia applicata alla medicina* ( Paris 1779 ) quamque ornavit praemio Academia bruxellensis ann. 1778 P. IV pag. 205. ita scribit : » Le savant ouvrage de M. Toaldo m'a servi de » boussole sur une mer d'observations ».

Bartholonus Academiae monspeliensis socius in dissertatione, quam sic enuntiavit, *sopra l' elettricità del corpo umano*, quamque praemio decoravit Academia lugdunensis ann. 1779, sic loquitur pag. 446. ( Lyon 1770 ).

» On connoît le système de l'illustre M. Toaldo sur la » probabilité des changemens de temps par les points lu-

in linguam gallicam anno 1784 a Josepho Raquino, quem etiam annotationibus locupletavit, ut monumentum eximium, seu potius singulare. Elector Palatinus ex incitamento Toaldi novam instituit societatem ad meteorologicas observationes capiendas. Hagae, Baden erectae Academiae ad promovendam meteorologicam scientiam. Ad id publicae disputationes initae, excogitata problemata, praemia proposita, non sine maxima Toaldi gloria, qui ejusdem scientiae meteorologicae instaurator vulgo appellari coepit, quasique architectus. Sic ille versari coepit magno in lumine tota Europa (1). Tunc eidem apertus aditus ad flo-

» naires; j'ai fait des observations suivies sur ce sujet, et » j'ai toujours eu la satisfaction de voir qu'elles en confirmoient admirablement la vérité; je dois même déclarer » en faveur de la justice, que les rapports de probabilité » que j'ai trouvés, sont encore plus grands que ceux qu'on a » annoncés » ,

Dalbergius tamdem in descriptione *Sui anemometri* sic scribit : » Tout homme qui s'intéresse aux progrès des scien» ces ne peut voir qu'avec plaisir les grands pas qu'on fait » tous les jours dans la météorologie : ils sont dus aux projets » de feu M. Lambert, aux inventions de M. de-Luc, aux » grandes vues de M. l'abbé Toaldo. ( Rozier, Juin 1781 pag. 438 ) » .

(1) Vir quidam nobilis ex Etruria , qui Angliam, Scotiam, Hollandiam peragraverat, in quadam ex suis epistolis, quas anno 1790 Florentiae edidit, sic scribit : » Felice Fontana, Cotugno, Toaldo sono i soli, che ho trovati coguiti » . Vol. II pag. 352.

rentissimas ejusdem Europae Academias (1), et admissae lunares illae periodi, quas ab ejus nomine Toaldinas vocant.

His continetur certum quoddam temporis spatium, quod ille nominavit *Saros*, Chaldaeos imitatus sic appellantes duodeviginti annorum ambitum indicantem eclipsium reditum, et circumagentem duodecim, ut ajunt, lunae *puncta*. Quemadmodum vero Joseph pro certo habebat, lunam agere in atmosphaeram, ita sibi illud persuaserat, iisdem redeuntibus lunae *punctis*, easdem, atque antea, redituras tempestatum vices. Idque experientia et observationibus meteorologicis nitebatur probare.

Protulit nimirum tabulam ann. 1781 gallico et italo sermone expositam, quae complectebatur tria hujusmodi spatia temporis, sive *Saros*. Haec itaque demonstrabat, pari annorum vicissitudine contigisse propemodum pares vices; pares inquam, non numero, sed aliqua tantum similitudine; quod tamen satis ostendit vim et actionem lunae.

Hanc ille novis semper observationibus probare studuit, et aliis persuadere. Hac mente non pauca, quae collegerat, ad id spectantia, referenda curavit in litterarias Rozieri ephemeridas, in venetas ac viceti-

(1) Ad berolinensem, petroburgensem, londinensem, bononiensem, patavinam. Adscriptus praeterea fuit meteorologicae societati, quae Manheimi: et societati regiae monspeliensi, nec non duabus utinensibus, oeconomicae scilicet et agrariae, nejensi demum ac spalatensi.

nas, in erudita praeterea opuscula, quae Mediolani vulgata, et in acta Societatis palatinae. Fastis vero bononiensis Academiae Dissertationem inseruit de calore lunae, quem deducit ex plurimis observationibus thermometricis. Neque illud unum contendit, calorem manare a luna, verum et hoc defendit, eum ab ipsa augeri posse et intendi. Idque demonstrat ex vi *attractionis*, quam illa una cum sole in terrestria corpora exercet. Hac enim mare necessario movetur, et *atmosphaera*, unde solida quoque corpora leviora fiunt, et aptiora ad promovendam exhalationem caloris, qui major circa tempus, quo luna ex diametro soli opponitur, quam quo eadem cum ipso sole congreditur. Uno verbo, plurima ex iis, quae in aere, terra, marique contingunt, subjiciebat Joseph lunae imperio; quin tamen excluderet alias causas. His eadem posse mutari ajebat, accelerari, protrahi ac retardari, solebat etiam ex his deducere, quae artibus ac vitae prosunt.

Atque hanc potissimum ob causam quotannis ab anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo ad septimum usque et nonagesimum ejusdem saeculi librum edidit (1), quem inscripsit *Giornale astrometeorologico*, ad communem omnium intelligentiam accommodatum. Ibi enim ad minuta quaeque descendit, italo more signat, qua hora diebus singulis sol oriatur, qua meridies sit, ac media nox. Monstrat quoque ortum et occasum lunae, varias ejusdem *phases* ac *puncta* ad mutationes temporis conjiciendas. Tum

(1) Qui ann. 1798 in lucem missus, ab ipso jam antea fuerat comparatus.

planetarum (ut etiam alibi) adspectus notat, et astrorum situs, novum lunarem *Cyclum*, secum trahentem ac moderantem singulas tempestates, et alia hujusmodi. Ac ne quis haereat legendo, technicas voces omnes ac notas explicat. Quaedam insuper monet in hoc libello, quae agrorum et medicinae in primis cultoribus aliisque utilia (1). Eidem varia inseruit quoque opuscula, quae non solum juvant, sed etiam cum voluptate lectores detinent. De iis enim narrat, quae novissime contigere praeter usitatam tempestatum consuetudinem ac morem. Habet et alia ad *meteorologiam*, ut plurimum, pertinentia. His omnibus demonstrare contendit praepotentem illam, quam tuetur totis viribus, lunae vim (2).

Non defuere tamen, qui contra sentirent, et nullam ponerent actionem lunae. Auctoritate eminet inter hos clarissimus Frisius, ut videre est in primo ex philoso-

(1) De hoc libello ita ephemerides anglicae, quarum titulus: *Monthly review* Vol. LXXI art. 39. pag. 570.

» This excellent, and most useful periodical work . . . . » ought to be translated into all languages as a pocket com» panion, for te rector, the curate more, especially the ar» tist, the husbandman, the physician, the mariner, the » traveller, and even the huntsman ».

(2) Hoc eodem consilio ad exitum libri, quem inscripsit *Saggio meteorologico*, addidit Arati phaenomena italo versu exposita ab Antonio Aloysio Briccio veronensi, multae expectationis adolescente, in Seminario patavino aliquamdiu litteris ac scientiis instituto. Paucis ab hinc annis morte praereptus fuit, cum venetae reipublicae consultoris officio fungeretur.

phicis ipsius opusculis editis Mediolani. Verum ad id, quod eorum, quae objicit, caput est, quodque ad barometri motus spectat a lunae vi repetendos, Joseph cumulate respondit dissertatione, quae in actis exstat berolinensis Academiae. Siquidem in hac ostendit celebrem mathematicum in barometri motibus supputandis ac definiendis duo necessaria omisisse, *inertiam* scilicet et *elasticitatem* aeris. Quod autem pertinet ad tempestatum mutationes et lunae *puncta*, ait idem, se in antecessum illius difficultatibus occurrisse, articulo praecipue octavo, qui se offert in altera parte operis ita inscripti, *Saggio meteorologico*. Tamdem concludit affirmans se non esse eum, qui aliorum judicia impedire velit, iisque adimere libertatem opinandi de his, quod magis lubet (1). Et alibi (2) testatur aperte, se exhibere haec non tamquam certa ac firma dogmata, sed tamquam probabiles tantummodo conjecturas ac regulas dilatandas et contrahendas, prout experientia ostenderit; vel etiam penitus repudiandas, ubi longiores et accuratiores observationes obstiterint.

Sed jam in his immoratus sum satis diu; ad alia nunc ejus opera. Multa enim alia scripsit: pleraque referuntur ad confirmationem doctrinae prae ceteris ei gratissimae. Ad hanc pertinent, quae dedit de emendatione barometri et thermometri; digna sane quae memorentur magna cum ejus laude. His enim praeter

(1) Statim post praefationem, quam ann. 1781 praemisit libro inscripto *Saggio meteorologico*, cum rursus editus.

(2) In praefatione eidem praemissa, cum primum exiit.

quam quod exhibet quasi epitomen eximii operis de-Luc; brevi praeterea docet, qua ratione haec instrumenta perfici debeant, ut optime inserviant usui. Etsi autem Joseph maxime suspiciebat virum doctissimum de-Luc, ipsum tamen non potuit in eo excusare, quod impugnasset, quae Leibnitius experientia nixus tradiderat de barometro: mercurium scilicet in illo inclusum descendere pluvio tempore. Quare hunc defendendum suscepit dissertatione, quae anno 1774 in ephemeridas mutinenses relata.

De societatis bono et incolumitate sollicitus modum non semel docuit arcendi fulmina ab aedificiis; diluit, quae in conductores metallicos afferuntur, et accuratam exhibet descriptionem illius, qui positus ad patavinae speculae defensionem; addita Francklini epistola, qui primus sine clade eripuit caelo fulmen. Varia praeterea hujus generis opuscula italo sermone scripsit, quae in unum quasi corpus collecta postea Venetiis edidit. Eam iterum fuere cusa gallica et hispana lingua.

Disseruit etiam *de aestu maris adriatici*, quaeque disseruit, obtulit grati animi ergo scientiarum academiae londinensi, in quam eo anno descriptus fuerat. Eadem vulgata invenio in transactionibus philosophicis anno 1776.

Aliquot annos post praemio proposito ab electorali scientiarum academia, quae floret Manheimi, excitata physicorum industria fuit ad inventionem accuratissimi hygrometri, *in quo* (utor ejusdem verbis) *effectus caloris et certa et facili regula subtrahi possit, cujus pretium non sit immodicum*. Utilissimi inventi

gloriam ac praemium commune habuit Joseph cum Vincentio Chiminello nepote, pluribus aliis monumentis illustri. Fuit hic a senatu veneto jamdiu adscitus in adjutorem avunculi in iis quae pertinent ad speculae praefecturam. Quam spartam tunc sortitus est, eamdem, quoad vixit, ornavit eadem ac antea cum laude. Dissertatio hujus prodiit; quae vero Toaldus scripsit, nondum in lucem missa.

Quod autem ad scientiam astrorum pertinet, hanc ille ex officio coluit intenta cura. Hinc anno 1775 nonnulla publici juris fecit, quae sternunt quasi viam ad geographiae intelligentiam ac sphaerae, harum rerum studiosis maxime accepta, quod breviter et clare exposita. Quorum utilitati adhuc magis in eo prospexit, quod italam editionem curavit tabularum astronomicarum viri spectatissimi de la-Lande. Editionem etiam promovit operis, quo vir doctissimus ingenia ducit ad caelestium corporum contemplationem tamquam celeri facilique compendio. Regnat in scholis liber, et teritur omnium manibus. In hoc partem tantum laudis vindicat sibi Joseph; in eo autem, quod mox subjiciam, habuit gloriae consortem neminem.

Loquor nimirum de opere, quod protulit triennio ante cum hoc titulo: *Trigonometria piana e sferica colle tavole trigonometriche*, quae saepius editae. Utramque summa perspicuitate exaravit, et illustravit exemplis. Utraque omnibus plane arrisit, praecipue sphaerica; doctis, quod accurata et succi plena; minus eruditis, quod expedita et facilis.

Indicavit postea methodum explorandi et statuendi longitudinem ope transitus lunae per meridianum,

Quae quidem regula, ut ipse affirmat, plana est et ad rudium etiam captum accommodata, sed vulgo neglecta ob difficultates, quibus obnoxius ejusdem usus. Occurrit his in epistola ad Nevil Maschelyne astronomum regium grenovicensem, socium amplissimi longitudinum collegii britannici, unde eximia volumina dono accepit, et laudis plurimum.

A natura Toaldus sortitus fuerat ingenium maxime ad haec studia propensum: attulit ipse diligentiam parem. Homo exercitus lectione multa, cui pleraque omnia mathematicorum opera quaesita, tractata, meditata, cognita. Nocturnae siderum observationes a patavinae speculae exordiis habitae, et ad plures annos productae, antelucanae vigiliae, mutua cum doctis viris litterarum officia, tabulae, calculi, subductiones, supputationes eum valde sollicitum habuere. Ex his omnibus insignis exstitit eruditio.

Hujus prodendae opportunam ei occasionem praebuit Cardinalis eminentissimus Stephanus Borgia, doctissimus ac benignissimus princeps, natus ad propagandam litterarum felicitatem et gloriam litteratorum, qui cum summum pontificem Pium VII comitaretur Parisios, obiit Lugduni in Gallia non sine maximo ipsius Pontificis dolore et reipublicae litterariae. Is itaque pro ea, qua in primis pollebat, eruditae antiquitatis peritia, adeptus fuerat vetustissimum astronomicum monumentum, globum scilicet caelestem, cufico-arabicum, eoque ornaverat museum prope regium, quod paterna in domo Velitris ipse instruxerat. Toaldus eum illustravit duabus epistolis ad Simonem Assemanum, qui ad id eidem hortator fuerat, eruditum

virum, sed orientalium praecipue linguarum notitia celebrem, et tunc in Seminario patavino earum professorem, cui plurima cum Cardinali necessitas.

Neque his tantum Toaldi eruditio continetur; etiam ad alia extenditur. Scripsit siquidem: *Del passaggio di Annibale per l' Appennino, e della marcia da esso fatta per la Toscana*. Res haec et a Polybio describitur et a Livio. Hic de duobus disserit, quae ipsius judicio sunt adhuc obscura et controversa.

Quod viatori saepe contingit, ut ubi finem sperabat itineris, ibi novas provincias detegat perlustrandas; idem mihi evenit hujus opera recensenti. Prodeunt ex aliis alia, et nova passim se offerunt: libri, dissertationes, epistolae. De his loquntur academiae, et eruditae ephemerides, italae, transalpinae, extraneae. Sed haec sufficiant, ne longius producta lectori in fastidium abeant; praesertim cum plurima in eadem vestigia incurrant. Transcribam singula, ubi ad exitum rem perduxero. Interim ad mores, de quibus pauca.

Erant illius non fucata, sed inusta notis veritatis sensa. Nihil cuiquam assentiri solitus ad gratiam, suam sententiam ingenue proferebat. Afficiebatur desiderio laudis, non sordido obsequio extortae, sed virtute partae. Suum cupiebat extendere nomen factis. Hinc plurima ex iis, quae scripserat, obtulit academiis, iisdem maxime addictus. Magna observantia coluit viros litteratos, a quibus et ipse multo in honore habitus, ab illis etiam, qui supra ceteros scientia eminent, et scientiae fama.

Studuit impense societatis bono. Atque hanc ob causam in primis florere optabat navigandi artem et

agrorum culturam, utramque uberrimum publicae utilitatis fontem. Plurima passim praebet ad easdem incitamenta. Et agrorum quidem culturam dolet dominorum luxu et mollitie negligi (1): alteram vero promovet erudito opusculo, quod anno 1782 Venetiis protulit sic inscriptum: *Saggio di studj veneti nell' astronomia e nella marina*. Pati non poterat juventutem, regionibus his relictis, contendere non sine morum periculo ad extraneas. Rem dissuasit publice habita dissertatione, quam postea edidit cum hoc titulo: *Del viaggiare*. Praesidio multis opera et consilio fuit. Seminarium, in quo institutus fuerat, grato animi sensu prosequebatur. Hunc, quoties occasio ferret, demonstrabat.

Multa illum exercebant: scriptio, lectio, commentatio, praesertim vero assiduum cum tot eruditis viris epistolarum commercium. Quam actuosus esset, tot monumenta ostendunt, ab eo partim relicta in scriptis, partim in lucem edita. Numquam vacabat summopere ab otio abhorrens. Quin et anagnosten adhibuit ad mensam.

In obeundis urbanitatis officiis diligens erat, quam qui maxime. Fere nemo ex patriciis venetis Patavium veniebat, quem non adiret, ac saepe inviseret, ubi hic aliquamdiu moraretur. Nemo ex advenis vel doctrinae, vel generis praestantia clarus hac transibat, quem non conveniret, certe non sine incommodo pro-

(1) In dissertatione ad amicum, quam sic enunciavit, » Confronto delle stagioni coi principali prodotti della cam» pagna ».

pter urbis amplitudinem. Nemo illo humanior, benignior, officiosior. Hac tanta popularitate summis, mediis, infimis vehementer gratus et acceptus fuit. Nec miror. Animorum scilicet conciliatrix humanitas et modestia. Quae quidem in homine tantae celebritatis eo pluris aestimanda, quo rarior. Ad eum adibant cives ac peregrini, viri nobiles ac litterati. Quin postremis hisce temporibus eum invisit rex ipse neapolitanus, et honorifice habuit. Non ideo tamen descivit ille a consuetudine pristinae humanitatis. Quare non multo ante mortem Planetias se contulit, ibi omnes voluit invisere sibi affines, eosque ad convivium adhibuit instructum splendide.

Magna enim hominis in omnes liberalitas: praecipue in pauperes. In hos multa largiter profudit. In paranda librorum supellectile pecuniae non pepercit. Epistolarum autem cum tot viris litteratis frequens usus eidem permagno constitit. Ex his fiebat, ut opibus non admodum abundaret, licet non exiguas ex publica munificentia perciperet.

Quae sui muneris erant, diligenter praestabat. Unde brevi confecto itinere, quod per subalpinas regiones Langobardorum ac Ligurum instituerat, ad sua statim rediit, et Academiae gloriae inserviens ditavit novis quasi mercibus ejus Acta. Jamdiu dimiserat animarum curam in Praepositum sanctissimae Trinitatis electus, et in sacrorum pastorum ordinem urbis patavinae descriptus. Quam sollicite obivit sacrae illius congregationis officia! Omnibus conventibus accurate intererat cum aliis urbanis parochis suis collegis, quos sibi plurimum devinxit.

His anno 1787 obtulit dissertationem inscriptam: *Tavole di vitalità*. Hanc praecedit brevis ad eos epistola, quae ipsius pietatem ac religionem omnino evincit. Utramque evincunt et haec, quae in alia ejusdem dissertatione (1) ad amicum.

» Io mi commovo (sic ille) quando marito e padre » vi veggo ogni sera baciar la mano al rispettabile vo» stro genitore; quando vi trovo occupato a insegnar » le preci, i rudimenti della religione ai vostri figlio» lini, a far loro la scuola, di cui son capaci, a con» durli al passeggio, che sapete far loro divenire di» vertimento ed istruzione ». Sensa enimvero digna litterato viro! Nec minus illud. Nescio quis eidem misit dono librum, Juvenalis illud praeferentem: » Quis enim virtutem amplectitur ipsam, praemia si » tollas » (2)? Cui prope subiratus Joseph hoc sine mora subscripsit: *Vir probus*. Non illi prudentia defuit in deligendis amicis, non studium in colendis. Coluit multos, prae ceteris Joannem Baptistam Nicolai in patavinae urbis Archigymnasio analyseos professorem, virum omnino spectabilem cum doctrina, tum etiam moribus. Huic erat conjunctissimus Joseph. Quo amore viventem, eodem prosequutus est et mortuum. Brevi siquidem expositione ejus vitae (3) posteris commendavit illius memoriam, sic implens,

(1) Quam sic inscripsit: *Confronto delle stagioni* etc.

(2) Satyr. 10. v. 141.

(3) Hanc praemisit ejus operi, quod inscribitur: *Nova analyseos elementa*.

quod sapiens monet: *Omni tempore diligit, qui amicus est* (1). Domi servabat tabulam referentem illius imaginem; *duri solatia casus* (2). Tanta ipsius observantia in amicum!

Haec, et alia hujusmodi eximia decora fieri videbantur quodammodo in eo clariora ex aliis dotibus, quibus a natura donatus fuerat. Fruebatur enim existimatione eruditi ingenii, perspicacis atque maturi. His accedebat laus experrectae memoriae et indefessae solertiae. Non labor eum deterrebat a studiis, non avocabant incommoda. Comis, liberalis, facetus, de omnibus bene merendi studiosus; acer investigator caelestium ac diligens, nec otiosus spectator rerum humanarum.

Erat statura justa, colore candido, amplis ac densis superciliis, oculis, ore, vultu ad gravitatem compositus. Octavum et septuagesimum aetatis annum compleverat, cum eum sub occasum solis derepente Patavii invasit ἀποπληξία VI Idus Novembres anno 1797. Tribus diebus postea defecit, tota urbe, exterisque moerentibus. Postridie elatus fuit, et conditus in sepulcro, quod occurrebat ingredientibus sacrarium templi monialium S. Agathae modo eversi.

Ejus vitam latino et italo sermone explicuit clarissimus Fabronius, de illustribus Italiae viris egregie meritus. Et italum quidem ipsius elogium latino auctius exstat in actis italae societatis scientiarum vero-

(1) Proverb. c. 17. v. 17.
(2) Æneid. l. 6. v. 377.

nensis (1), mihique, in eodem argumento, versanti, praesidio fuit. Habetur et alius de Toaldi studiis ac moribus commentarius, quem accurate nativa lingua exaravit Salmon medicus gallus. Erat enim Patavii, cum ille obiit.

(1) Tom. VIII.

## JOSEPHI TOALDI OPERA EDITA

Vita dell'ab. Antonio Conti. Sta nel Tom. II delle opere di esso Conti stampate in Venezia appresso il Pasquali ann. 1755 in 4.

Trigonometria piana e sferica colle tavole trigonometriche. Padova nel Seminario ann. 1769 in 4.

E con aggiunte. Ivi ann. 1772 e 1794 in 4.

Saggio meteorologico della vera influenza degli astri sulle stagioni e mutazioni di tempo. Ivi ann. 1770 in 4.

Lo stesso con aggiunte. Ivi ann. 1781 e 1797 in 4.

Et in linguam gallic. convers. Camberiaci ann. 1784 in 4.

Novae tabulae barometri aestusque maris. Patavii typis Seminarii ann. 1771 in 4.

E tradotte in italiano. Stanno nel Giornale di Modena Vol. III.

Del ritorno degli anni stravaganti, Discorso. Sta nel Giornale d'Italia stampato in Venezia ann. 1772 Luglio.

Della maniera di difendere gli edifizj dal fulmine. Venezia appresso il Pasquali ann. 1772 in 4.

Compendio della sfera e di geografia. Ivi appresso il Bettinelli ann. 1773 in 8.

Dei conduttori metallici a preservazione degli edifizj dal fulmine, nuova apologia. Ivi appresso il Zatta ann. 1774 in 4.

La meteorologia applicata all'agricoltura, Memoria. Ivi appresso Storti ann. 1775 in 4.

Eadem in german. linguam conversa. Berolini ann. 1776.

Et reddita in linguam gallicam. Exst. in observ. Rozier ann. 1777.

Et in linguam hispanic. Segoviae ann. 1786.

Discorso sopra i barometri, che contiene la difesa dell'e-

sperienza del Leibnizio. Sta nel Giornale di Modena Volume V.

Emendazione de'barometri e termometri. Sta nel Giornale d'agricoltura stampato in Venezia dal Miloeco.

De aestu reciproco maris adriatici. Exst. in Transactionibus londinensibus ann. 1776.

Memoriae sopra i conduttori: Raccolta migliorata ed accresciuta. Venezia appresso Storti ann. 1778 in 8.

Et in gallic. linguam redactae Argentorati ann. 1779.

Des changemens des temps, et d'une faute de monsieur de-Luc sur la boule du thermomètre ecc. Journal de Rozier ann. 1779.

De l'impulsion de la lune sur le baromètre. Exst. in actis Academ. berolinensis ann. 1779.

Saggio di studj veneti nell'astronomia e nella marina. Venezia appresso Storti ann. 1782 in 8.

Le Saros météorologique, et essai d'un nouveau cycle pour le retour des saisons. Dans le Journal de Rozier ann. 1782.

Degli influssi lunari in risposta alle obbiezioni dell'ab. Frisi. Sta nel Giornale di Pisa ann. 1782.

De methodo longitudinum ex observato transitu lunae per meridianum, Epistola. Patavii typis Seminarii ann. 1784 in 4.

Latitudo speculae et urbis patavinae, ac longitudo geographica. Exst. nei Saggi scientifici e letterarj dell' Accademia di Padova Vol. I.

Descrizione di una distinta aurora boreale osservata in Padova 29 Febbrajo 1780. Sta ivi nello stesso Vol.

Tavole di vitalità. Padova per il Conzatti ann. 1787 in 4.

Confronto delle stagioni coi principali prodotti della campagna, Dissertazione epistolare. Ivi nel Seminario ann. 1787 in 8.

Metodo facile di descrivere gli orologj solari, e sia trat-

tato di gnomica, Venezia presso Storti ann. 1789 in 4.

Memoria della qualità fisica delle plaghe. Sta nei Saggi ecc. dell' Accademia di Padova Vol. II.

Epistolae duae ad Simonem Assemanum de globo caelesti cufico borgiano. Exst. in Globo caelesti cufico arabico ab ipso Assemano edito Patavii typis Seminarii ann. 1790 in 4.

De calore lunari. Exst. in bonon. scient. Acad. Vol. X.

Del viaggiare, Lezione accademica. Venezia appresso Storti ann. 1791 in 8.

Schediasmata astronomica, Patavii typis Seminarii ann. 1791 in 4.

Istruzione popolare (senza nome dell'autore) sull'orologio oltramontano, e tavola del levare e tramontare del sole. Padova nel Seminario ann. 1797 in 4.

Fenomeno di alcune vampe di caldo in mezzo al freddo, Sta nelle Memorie della Società italiana Vol. VI.

Investigatio caloris plurimorum Italiae locorum. Exst. nei Saggi ecc. dell' Accademia di Padova Vol. III.

Riflessi sopra i colpi di fulmine. Stanno ivi.

Del passaggio di Annibale per l'Appennino, e della marcia da esso fatta per la Toscana. Sta ivi.

Della fiamma volante, o sia globo di fuoco degli 11 Settembre 1784, che si osservò in Padova ed altrove. Sta ivi.

Giornale astro-meteorologico dell' anno 1775 al 1798, del quale i tre primi volumi furono stampati in Venezia per il Bettinelli, e gli altri dallo Storti in 12.

Breve notizia del calendario o sia compendio di cronologia. Sta ivi ann. 1775.

Inverni straordinarj e cronaca relativa. Ivi ann. 1777.

Ragionamento sopra l'anno 1777 e sopra le stagioni in generale ecc. Ivi ann. 1778.

Confronto ragionato delle osservazioni meteorologiche di diversi paesi. Ivi ann. 1779.

Ragionamento sopra la lunga siccità dell'inverno 1779. Ivi ann. 1780.

Relazione di alcuni fulmini accaduti con osservazioni. Ivi ann. 1781.

Dei principali accidenti dell'anno 1783, della nebbia ecc. Ivi ann. 1784.

Problema meteorologico, come due annate di seguito sovente si assomigliano. Ivi ann. 1788.

Congetture delle stagioni ecc. Ivi ann. 1791.

Dei conduttori o parafulmini. Ivi ann. 1795.

Sopra i circoli delle stagioni, e in particolare sopra un nuovo ciclo. Ivi ann. 1796.

Saggio sugli aspetti dei pianeti. Ivi ann. 1797.

Presagi generali e particolari per il golfo adriatico, delle pioggie e dei venti dall'aspetto del cielo. Ivi ann. 1798.

Notizie varie di fenomeni meteorologici e descrizioni d'annate ecc. Stanno nel Giornale enciclopedico di Vicenza dell'anno 1782 al 1786.

Osservazioni astronomiche, meteorologiche con discussioni ecc. Stanno nei Saggi ecc. dell'Accademia di Padova ed altrove.

Due lettere latine intorno al tempo della celebrazione del sacro arvalivo. Stanno negli Atti e Monumenti de' fratelli Arvali dell'ab. Gaetano Marini. Roma 1795 Tom. I pag. 130.

## EJUSDEM OPERA INEDITA

Epoca della gran muraglia della China.

Spiegazione del fenomeno osservato dagli Olandesi, che videro dal mar glaciale il sole molti giorni prima, che dovea comparire.

Illustrazione del Timeo di Platone.

Illustrazione del Planisfero in bronzo acquistato dal Card. Borgia.

Pensieri su i presentimenti dei corpi aerei.

Quadro dell'istoria astronomica e stato presente dell'astronomia.

Su i fenomeni dell'antiperistasi.

Di tre soli veduti.

Sui piaceri del dolore.

Impressione della luna sulle nascite e le morti.

Dei viaggi e scoperte di Marco Polo; emendazione del codice delle sue opere.

Differenza del livello tra Padova e Venezia col barometro.

Sulla meridiana del Salone di Padova.

Sulla misura del passo e piede veneto.

Plura quoque alia exstant, quae longum esset enumerare.

# VITA

# FRANCISCI BOARETTI

Qui mihi diu superesse debebat aetate valde provecto, Franciscus Boarettus, vir multiplici laude clarus, idem paucis ab hinc annis vita functus novum argumentum praebet historiae meae. Is itaque XVII Cal. Septemb. ann. 1748 natus est Masiis patavinae dioecesis paroecia ad ripam Athesis contra abbatiense oppidum sita. Prima grammaticae rudimenta percepit in abbatiensis illius Seminarii scholis, quae non solis alumnis patebant, sed insuper et externis.

Hinc discedens Patavium venit, et in hujus Seminarii clericos descriptus est a cardinali Veronesio cum annum quintum supra decimum inchoasset. Superioris grammaticae studio addictus eminere statim inter condiscipulos coepit, ac prosperi omnino exitus spem praebere. Adolescentis indolem se se efferentem quotidie magis feliciter promovere modis omnibus praeceptores, opportunis laudibus, adhortationibus, praemiis, tum publicis privatisque exercitationibus, quae ex Seminarii consuetudine haberi solent.

Atque hic mihi venit in mentem illius diei, quo in

magno lectissimorum virorum coetu disseruit de rebus pertinentibus ad mores (1). Singula illius responsa excipiebantur grata totius concionis obmurmuratione ac plausu. Valebat enim ille plurimum cum ingenio, tum etiam pronuntiatione ac gestu. Cum severioribus studiis amoeniora conjunxit, ad quae praecipue (licet esset utrisque revera par) videbatur natura factus. Horum cursu laudabiliter absoluto, a cardinali Marino Antonio Priolo, qui proxime in episcopatum succes-

(1) Disputationem hanc Franciscus iniit IV Idus Augusti anu. 1769 suppetias sibi ferente Andrea Maggia, theologiae moralis in Seminario lectore. Nulla hic reliquit ingenii sui monumenta praeter libellum hujus ipsius disputationis causa prolatum. Sua enim scripta flammis assumpsit prae modestia. Ceterum fuit vir plane insignis, ac posterorum memoria maxime dignus et ob multiplicem doctrinam, et ob eximiam vitae continentiam.

In patavino Seminario institutus ibidem praeter litteras multa cum laude docuit Ecclesiae historiam et sacros ritus; in primis vero disserentem de moribus theologiam, magno exterorum ad eum audiendum concursu. In hac adeo excelluit, ut haberetur quasi oraculum totius patavinae dioeceseos. Aliquamdiu etiam domesticae praefuit bibliothecae. *Examinatoris*, ut ajunt, *synodalis* munus exercuit, et episcopalis theologi, jamdiu cooptatus inter theologos. IV Id. Novemb. ann. 1718 natus in Montesilice, Venetiis obiit extremum diem mense martio anno nono superioris sacculi et septuagesimo correptus ἀποπληξίᾳ. Patavii in ecclesia parochiali S. Nicolai a Joanne Baptista Martinengo tunc Seminarii magistro laudatus est inter solemnia funeris, grati animi ergo ab ejus discipulis instructa.

serat Veronesio, adjungitur Seminarii magistris, non sine aliqua eorum exspectatione, quibus virtus Francisci cognita.

Ita porro se gessit in instituendis traditis sibi alumnis, ut in iis excitarit non mediocrem admirationem sui; quae quidem eo auctior postea, quo major iisdem intelligentia. Atque hanc, quam de illo imbiberant opinionem, ut mos juvenum, praeferebant aperte: ubique notis, ignotis de eo praedicabant, quae toties in scholis viderant. Ajebant, ponere jubebat ille, de quo quisque scribi vellet. Rem propositam saepe in utramque partem more academico latinis versibus inter se dissimilibus exponebat, adeo non raro difficilem, ut a poeticis numeris videretur plane abhorrere. Hi tamen, quocumque illos arcesseret, sequebantur obsequentissimi, et ad omne poseos genus idonei. Idque praestabat ille vel sedens, ut plurimum, vel schola inambulans semper imparatus. Ad hoc enim ipsum natura promptum maxime juvit frequens exercitatio (1). Hinc tamen illud incommodum, quod cum tantopere in his excelleret, non poterat se quodammodo ad discipulorum imbecillitatem demittere; quos manu ducere oportet, non praevertere sequentes non passibus aequis.

Qua vero facilitate Boarettus fundebat latina carmina, eadem prorsus et itala. Exstant haec pluribus in libellis, vulgo *Raccolte*. Id apertissime constat le-

(1) Quaedam ex his collecta in Seminarii bibliotheca servantur.

gentibus ea, praecipue graecas tragoedias, et Homeri Iliadem: hanc quidem sermone vernaculo ab ipso expositam, eas autem cultiore lingua. De utroque opere postea. Quin etiam carmina aliquando edebat ex tempore. De quodam Publio Lentulo scribens Tullius, » quidquid habuit, inquit, quantumcumque fuit, illud » totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae dece rant » (1). Boarettus liberalissimam habuit in se naturam (qua repugnante in his studiis tolerabile nihil fit); quod vero ab ea quasi inchoatum acceperat, usu et disciplina perfecit.

Sed non in re poetica tantum, valuit quoque plurimum in soluta numeris oratione; uti novimus ex libello, quem anno 1783 Seminarii patavini typis editum sic inscripsit: *Assertiones philosophicae*, De his praeclare eruditi viri. Ac licet posteriores duas non perfecerit ut primam, erunt tamen ipsae specimen non exiguum illius doctrinae et ingenii. Et ad multiplicem quidem philosophorum doctrinam Seminarii alumnos aliquamdiu instituit. Introducebat eos laetabundos in interiora hujus adyta disciplinae, severitatem ejusdem temperans elegantia sermonis. Mathematica quoque studia diligenter excoluit, quae physicis valde affinia. Callebat optime juris naturalis scientiam, ac plurimum versatus erat in doctrina patrum. Hebraicae praeterea linguae sibi praesidia adsciverat ad sacrarum scripturarum intelligentiam, quarum studio vel maxime ducebatur. His accedebat ingens memoriae vis. Quae

(2) De claris orator. c. 77.

semel perceperat, ita haerebant in ejus animo infixa, ut, quoties vellet, eidem essent in promptu, quin ulla confusio existeret, ut saepe fit, ex tam dissimili rerum copia. Tot ille intentus detinebatur domi diutius inclusus cubiculo. Hinc illa multiplex eruditio, quam facile cuilibet deprehendere licet in ejus scriptis. His doctrinarum et artium opibus auctus suum ac Seminarii nomen illustrius reddidit.

Interim vergebat annus quintus et octogesimus supra millesimum septingentesimum, cum Venetias accersitur ad profitendam eloquentiam sacram in scholis, quas ad clericorum institutionem publica illius reipublicae munificentia aperuerat. Aegre ferebant, qui addicti erant Seminario, Franciscum ab eo discedere. Magna enim erat illius opinio: nota eximia illius ingenii celeritas et praestantia singularis. Is tamen omnibus testatus publice suum gratum animum, quo vocabatur, se contulit. Cum primum iniit oblatum munus, latinam orationem publice habuit, quam postea edidit, ingenii fama minorem. Ceterum cum bonis artibus, tum bonis moribus imbuendam curavit sibi traditam juventutem succrescentem in spem Ecclesiae. Atque utinam eam valetudinem, quam satis prosperam Venetias attulit, non vitiassent identidem febres! Id nimirum in causa fuit, cur non potuerit, qua voluisset assiduitate, scholam adire, et suam operam in tam utilem rem impendere. Excipiebat tamen discipulos, ubi accederent, vel aegrotus, et qua ratione poterat, iisdem aderat. Quamquam hoc largiter compensavit incommodum tot pulcherrimis libris in commune bonum prolatis. His non discipulis tantum pro-

fuit, sed amatoribus etiam omnibus bonarum artium.

Anno itaque octavo saeculi superioris et octogesimo edidit Psalmorum librum, quos in italam linguam verterat, singulis praemisso titulo illorum proprio, et analysi, additis etiam, ubi opus fuit, annotationibus ad pleniorem et faciliorem ipsorum notitiam. In his exponendis soluta numeris oratione usus est, ne infringeret illorum vim, neve quid de majestate detraheret. Elegantioribus verbis praetulit, quae rem vividius exprimerent ac fortius, ab iis abhorrens, *qui sunt in stilo delicatioris fastidii*. Putabat esse scilicet boni ingenii (quod monemur ab Augustino (1)) *in verbis verum amare, non verba*. Hinc ingens copia rerum, imaginum, exemplorum suppetit eloquentiae sacrae studiosis, quos prae ceteris se in oculis habuisse, cum haec scriberet, testatur ipse in epistola ad Fridericum Mariam Joannellium venetum patriarcham spectatissimum, cujus nomine suam hanc Psalmorum versionem ornat. Quadriennio post (ordinem enim rerum tenere malo, quam temporum) eodem pio sensu ductus protulit italo sermone expositum Salomonis librum, qui inscribitur Ecclesiastes, cuilibet hominum conditioni valde opportunum. Continet enim hic multa civilis prudentiae semina et praecepta moribus ac vitae utilia. Usus eadem ac antea methodo unumquodque hujus caput peculiari argumento illustrat, *paraphrasi*, *analysi*, observationibus. Ait se, adhibitis in consilium sapientissimis criticis, et versioni-

(1) Lib. 2. de doctrina christiana c. 16.

bus maximae fidei, rem expendisse diligentissime, illudque in primis curasse (quod et in Psalmis ante) ut sua versio omnem referret primigeni textus vim, et servaret (quoad posset) easdem imagines, comparationes, effata. Quod difficillimum sane in his, quae a consuetudine nostra infinito propemodum spatio distant. Opus hoc Franciscus dicavit Petro Barbadico senatori, ac suo maecenati amplissimo, tamquam grati animi monumentum.

Hoc ipso anno sacrum Sapientiae librum Italiae dedit, et in lucem misit, iisdem, ut ita loquar, quibus ante vestigiis haerens. Quemadmodum enim alterius libri, sic singula et hujus capita praemisso argumento explanat, et breves passim animadversiones praeterea subjicit. Brevitate lectorum fastidio occurrit, perspicuitate vero ignorantiae. Quid autem sibi consilii fuerit in hoc edendo, narrat in praefatione. Animadverterat scilicet nonnullos impudenter philosophantes in reges et optimates invadere, et utrumque regimen oppugnare. Ut hanc labem coerceat, librum hunc exhibet omnibus quasi antidotum; hoc exstinguere nititur perniciosissimi morbi semina. Eamdem hanc ob causam dissertationem adjungit solidam et gravem, qua principatus jus in homines sibi subditos vindicat et defendit, excludens quaelibet illorum in ejus auctoritatem arbitria. Hac demonstrat falso principio niti, quae simili in re vulgaverat Nicolaus Spedalerius, solo tamen errore mentis, ut ipse affirmat, non pravitate consilii. Ad hujus operis patrocinium Zachariae Valaressi praestantissimi senatoris nomen usurpat. Haec edenda selegit ex sacris Litteris.

Anno ante publici juris fecerat alium librum, cujus hic est titulus: » Dottrina dei Padri greci re» lativa alle circostanze della Chiesa nel secolo » XVIII». Idque praestitit eo fine, ut majus pondus haberent, quae scriberet. Plerique enim non tam quid dicatur, quam a quo dicatur, attendunt. Ea vero legit ex patribus, et in italam linguam vertit, quae propius attingerent excitatas inter ecclesiasticos viros nostrorum temporum controversias. In hac porro versione puriores graecos codices, ut fatetur, et emendatiores consuluit, et ad eosdem studuit quam proxime stilo accedere; ne, si secus faceret, aut intimam auctoris vim enervaret, quod saepe fit, aut tenebras ipsi offunderet. Hanc autem in his vertendis rationem ac modum tenuit. Quae vel dogma continent vel praeceptum, ea explicuit religiosissime; in aliis, quae non ejusdem momenti sunt ac ponderis, satis habuit servare integritatem sententiae. Addidit praeterea *analysin*, animadversiones, annotationes, dissertationes. In his de rebus gravissimis agit et utilissimis, quibus religio vera continetur. Haec autem praeferunt in fronte nomen litteratissimi et eminentissimi principis Josephi cardinalis Garampii Montis Faliscorum episcopi.

Hactenus de illius operibus pertinentibus ad sacra. Nunc ad alia, quae reliquit, eruditionis suae monumenta. Itaque interpretandam suscepit Homeri Iliadem, eamque vernaculo sermone expositam ita inscripsit: *Omero in Lombardia*. Separatim primum edidit priores duodecim ejus libros; eosdem postea recognitos, et ad meliorem formam redactos, quasi-

que refectos denuo protulit cum posterioribus aliis duodecim ann. 1788, iisdem praemissa epistola ad Antonium Zenum patricium venetum, juvenem ornatissimum, cujus litterariae domesticae institutioni praeerat ex imperio patris, viri in graecis praecipue litteris eruditi.

In hac lectoribus quaedam animadvertenda proponit, quibus tolli dicit, et evanescere plurimas criticorum in Homerum accusationes. Ne quis autem, ut nimis molestam, fastidiret lectionem hujus poematis, repetitiones omnes omisit, quae in illo occurrunt, perpetua *epitheta*, veteres fabulas, γενεαλογίας, ea demum omnia, quae censuit abesse posse sine ullo ejusdem poematis detrimento. Et ea in primis omisit, quae putavit honestis auribus plane indigna. Alibi vero nonnulla addidit, ut magis pateret auctoris mens, et rerum nexus constaret. Neque hanc rem habuit religioni. Est enim adhuc ille, quem nobis tradit, ejus judicio, Homerus. Cujus ingenium maxime naturale ut exprimeret naturaliter, maluit in eo vertendo vernacula lingua uti, quam alia quavis elegantiore (1) eo etiam for-

(1) Quid praestantissimi viri de hac versione senserint, vide in primis Cesarottum, qui in sua *Iliade d' Omero* T. I pag. 254. edit. 1798 haec habet: » L' abate Francesco Boa» retti ci diede tutta l' Iliade in ottava rima nell' idioma » lombardo-veneto con somma vaghezza e felicità ». Vide Moschinum *della letteratura venez.* Tom. I pag. 273. 274. apud quem ubi agit de Boaretto, haec inter alia occurrunt: » Il chiar. sig. ab. Saverio Bettinelli così n' ebbe a scrivere:

sitan, ut se reficeret a gravioribus curis. Quidquid tamen ipsum ad id impulerit, nollem (ut non dissimulem, quod sentio) omnia, quae Homerus scripsit, intelligi vel ab infimae notae hominibus, praecipue a pueris, quibus *maxima debetur reverentia* (1).

Sed ad historiam redeo. Editurum insuper se promiserat Odysseam. Consilium mors intercepit. Edidit vero hymnum ad Cererem, qui eidem Homero adscribitur, pari quidem felicitate expositum, sed multo graviore lingua et plectro. Vulgavit pariter sex tragoedias a graecis auctoribus desumptas, unam a Sophocle, ceteras ab Euripide, omnes a se itala veste ornatas. Notabo illas vitae hujus expositione confecta. In praefatione ad earum singulas ea praemisit, quae lectoribus quasi viam sternerent ad ipsarum intelligentiam; et breves identidem annotationes adjecit. Idem praeterea de tragoedis cum veterum, tum etiam nostrorum temporum; de prologis, de optima vertendi ratione, de musica et aliis, quae non mediocrem ejus eruditionem ostendunt; quemadmodum et ipsius epistola ad comitem Alexandrum Pepolum. Mitto alia levioris momenti, quibus detractis, nihil ejus existimationi detrahitur.

Enimvero, qui vel cursim legerit, quae recensuimus ejusdem opera, non poterit non mirari ingenii illius amplitudinem. Tam multa ac dissimilia complexus

» Leggo con gran piacere l'Omero in Lombardia, ch'è sa-
» poritissimo e pieno d'una vena felicissima, . . . . poetica
» veramente, ch'è il punto più importante ».

(1) Juvenalis satyr. 14. v. 47.

est. Non raro illud homines queri solent, in multis scilicet vel doctrinam concinnitati deesse, vel concinnitatem doctrinae. Neutra Francisco defuit. Cum politioribus studiis consociavit severiora, cum profanis sacra, cum hebraicis et graecis latina et itala, et haec tria non leviter tenuit, sed novit funditus et comprehendit. In disserendo mira explicatio, in scribendo sine molestia diligens elegantia; urbanus, non scurrilis lepos. Ubique solers exquisituinque judicium, et solidae mentis acumen, ubique naturalis et illaborata facilitas. Vereor, ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere, quod aliquandiu meae interfuerit disciplinae: est enim mos hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere. Verum haec omnia ex iis, quae reliquit, habemus cognita.

Quae vero de rebus mathematicis scripsit, non vulgasset si maturius eadem et accuratius expendisset. Ceterum magna nominis existimatione fruebatur apud viros etiam doctos et eruditos. Hos ei conciliaverant edita, de quibus diximus, ab ipso scripta. Nec illi defuit virorum principum patrocinium: non defuit magistratus, ejus virtutis conscius. Cum enim ille jaceret lecto affixus sine spe evadendi in posterum ac redeundi ad sua, alterum quidem in ejus locum publica auctoritate suffecit, quin tamen ullam pateretur ipse diminutionem stipendii. Haec de Francisci doctrina ac studiis. Aliqua nunc de moribus.

Erat ille experrecta indole, ingenio vivido, animo liberali et ingenuo. Elegantiae studiosus, veritatis cultor, assentationi inimicus, comis in omnes, facilis et humanus. Laeto vultu excipiebat omnes, qui ad se

accederent, tam domesticos, quam externos, iisque aderat, quoties rogatus esset, non tantum voce, sed etiam scripto. Utque putabatur valere plurimum praesertim in re poetica, propterea interpellabatur a pluribus; sive quis tum primum sacrum offerret, sive in religioso claustro se includeret, sive tamdem simile quid accideret. Nemini repulsam dabat, neminem dimittebat vacuum.

Aut ipse scribebat aliquid, aut dictabat. In hoc enim ille, uti vidimus, non mediocri facilitate utebatur. Recognoscere vero et expolire, quae scripserat, non solebat, impatiens limae. Laborem hunc, opinor, ferre non poterat fervido ingenio abreptus.

Minime invidus laetabatur aliorum bonis, eorumque honori inserviebat. Quae sciebat ipse, cum aliis etiam benignissime communicabat. Nihil minus verebatur, *quam ne quis obstaret gloriae suae* (1). Atque hanc ob causam meliora aliquando sub alieno nomine quam suo vulgavit. Sua non jactabat, neque se studebat extollere alienis laudibus. Respuebat id generoso quodam liberoque fastidio. Pecuniae minime parcus eadem largiter pro suis facultatibus utebatur: nonnumquam etiam largius, quam pateretur οἰκονομία. Hac enim non admodum valuit.

Fuit vero, quod caput est, eximia in Deum pietate ac religione. Hanc ipse colere, et aliis, suis in primis discipulis, inculcare non destitit. Haec animabat illius cogitata, sermones, scripta. Huic debentur tot

(1) Liv. hist. rom. l. 26. c. 14. n. 20.

ejus labores in orientales linguas, in sacros interpretes, in sanctos Patres, in multiplicem eruditionem insumpti. Ut propositum sibi opus perficeret, aliquando necesse habuit multa ex tenebris ultimae antiquitatis eruere, multos consulere, multorum inter se dissimiles opiniones conferre et expendere: quae sane praestari nequeunt sine ingenti animi et corporis contentione.

» Il volgarizzamento de' Salmi (sic ille in praefa» tione ad Iliadem pag. 54) da me pubblicato in que» st' anno in Venezia mi costò lungo studio, e rifles» sione molta, attesa la natura dell' operetta medesi» ma coi diversi rapporti, sotto de' quali la presi ». Hactenus ille. Quid si addamus cetera? Quae religionis sunt exercere laudabile est; at longe magis eam promovere labore multo et industria.

Quod ad ejus pietatem pertinet qua veneratione prosequitur Ss. Patres, eorumque doctrinas! Quam pio animi sensu loquitur de summo Ecclesiae Pontifice (1), et vindicat ejus jura! Omnia complectar paucis. Pietas eluxit in ejus gestis plurimum et scriptis.

Septem et quadraginta circiter annos vixerat, usus valetudine non quidem robusta, sed tamen satis bona, cum eumdem repente invasit ἀποπληξία. Eum hac implicitum invisere duo quondam ipsius discipuli. Horum adspectu lacrimas tenere non potuit; mox sublatis in caelum oculis ac manibus, *Bonum mihi*, inquit, *quia humiliasti me*, Domine (2). Quo aperte ostendit,

(1) Tom. II della dottrina dei Padri greci pag. 380.

(2) Psal. 118. 71.

se in Deo conquiescere. Unum illud querebatur, quod non nisi raro posset angelico pane refici. Interim *solatio habebat* pios *libros* (1), quibus continebantur sanctorum hominum gesta, animum eorum cogitatione conformans. Succubuit tamdem morbo cum fere quadriennium et amplius cum eo certasset. Venetiis itaque anno millesimo nonagesimo nono, aetatis suae uno et quinquagesimo nondum completo, Idibus Maji vitam laudabiliter actam invidenda morte conclusit.

(1) L. Machab. 12. v. 9.

## FRANCISCI BOARETTI OPERA EDITA

Assertiones philosophicae. Patavii ann. 1783 in 8.

Inno di Omero a Cerere tradotto in versi italiani. Ivi ann. 1784 in 8.

Clero saeculari veneto gymnasia senatusconsulto erecta primum adeunte oratio. Venetiis ann. 1785 in 4.

Volgarizzamento del libro de' Salmi secondo la lettera e lo spirito de' medesimi, sotto i principali rapporti di religione e letteratura. Ivi ann. 1788 Tom. 2 in 8.

Omero in Lombardia, cioè l' Iliade in ottava rima. Ivi ann. 1788 Tom. 2 in 8.

L' Ippolito di Euripide. Ivi ann. 1789 in 8.

L' Elettra. Ivi ann. 1789 in 8.

L' Ecuba. Ivi ann. 1790 in 8.

L' Ifigenia in Aulide. Ivi ann. 1790 in 8.

La Medea. Ivi in 8.

Le Trachinie di Sofocle. Ivi in 8.

Dottrina de' Padri greci relativa alle circostanze della Chiesa nel secolo XVIII, tratta dai testi originali ed illustrata con analisi, riflessioni e dissertazioni. Ivi ann. 1791 Tom. 2 in 8.

L' Ecclesiaste di Salomone volgarizzato secondo la lettera e lo spirito. Ivi ann. 1792 in 8.

Il libro della Sapienza recato dal testo originale nell' italiana favella secondo la lettera e lo spirito, con analisi, annotazioni, riflessioni e dissertazione sull' origine della sovranità, i diritti del principato e i doveri dei sudditi relativa alle presenti circostanze ed alle massime in esso libro comprese. Ivi ann. 1792 in 8.

Pensieri sopra la trisezione dell' angolo. Ivi ann. 1793 in 4.

Ottave rime, o sia cinque progetti di Piroforo Zanzara intitolati a quei geometri, che non accordano agli algebristi essere dimostrata l'impossibilità della trisezione dell'angolo per mezzo del cerchio e della retta. Ivi (ann. 1793) in 8.

Libertà, eguaglianza, democrazia e virtù. Ivi ann. 1797 in 12.

# VITA

# CAJETANI COGNOLATI

Patavini Seminarii viris illustribus annumerandus est Cajetanus Cognolatus Patavii editus VII Idus Augusti, anno octavo et vigesimo saeculi XVIII. Novem circiter annos post, V Idus Novembris in hunc locum ingressus jubetur primis grammaticae rudimentis se dedere. Jam tum naturae liberalitatem expertus est. Utebatur enim ingenio vivido et experrecto, valde prompta memoria et ampla; eorum autem, quae didicerat, nulla illum capiebat oblivio. Alte siquidem inhaerebant eadem in ejus animo, ne temporis quidem diuturnitate delenda. Suis idem praeterea litterulis assidue instabat; quod sane rarum in puero, cujus indoles mobilis et inconstans. His accedebat vitae probitas, et accurata morum disciplina. Ex quo fiebat, ut aliquid non exiguum exspectarent ab eo magistri. Quod illi non temere augurabantur, impletum vidimus.

Politiorum enim litterarum cursu feliciter absoluto, studiis gravioribus se se addixit, philosophorum dogmata excepit, cum his amoeniora conjunxit, mathematica quoque attigit, ad theologica vero praecipue

incubuit, ac de his quidem disserere jussus publice se plurimum commendavit doctis viris, qui ex tota urbe convenerant ad eum audiendum. Paulo post, VII Cal. Octobris ann. 1749 in sacro patavino theologorum Collegio simili certamine functus prospere laurea donatur, et in coetum illorum patrum adscribitur, mox cooptatur inter Seminarii magistros.

A grammaticis praeceptionibus munus exorsus, et ulterius semper progressus eo pervenit, unde proximus patet aditus ad rhetoricam. Ubique diligens et intentus investigabat, qua quisque industria et ingenio esset, ac suam ad singulorum captum institutionem accommodans omnium utilitatem promovit. Brevi tamen hanc provinciam tenuit. Superiorum enim auctoritate, quibus perspecta prorsus illius solertia, profiteri coepit bonarum artium parentem et altricem philosophiam. Adolescentes, quorum laeta indoles ac festiva, a rhetorum amoenitatibus ad haec severiora traducti non raro haerent quodammodo exanimati, nec sciunt quid audeant, quo se vertant, novum quasi orbem ingressi. His ille aderat, unumquemque veluti manu ducens, et ad rectam ratiocinationem informans. De hoc in primis sollicitus, ut caute incederent, nec paterentur quaelibet sibi obtrudi, aliquando non sine maximo religionis ac morum damno.

Interim Laurentius Lorenzonus vir latinae et graecae linguae peritia pollens, qui studiis praeerat Seminarii, eligitur in archidiaconum Collegiatae insignis S. Martini de Plebe Sacci. Statim arcessitur Cognolatus e philosophiae tabernaculis, ac praeter morem in ejus locum sufficitur. Multiplex porro hoc munus

est, et ex variis officiis constans. Paucis. Invigilare omnibus, omnia cognoscere, interesse omnibus, ac praeesse debet, cui traditum est studiorum regimen. Haec omnia, quamdiu praefuit, accuratissime praestitit Cajetanus: solitus peregrinos in primis ad se adeuntes benigne excipere, quibus se spectabilem reddidit eruditione multiplici. At ejus nomen innotuit ex iis praecipue quae in lucem edidit.

Anno itaque 1769 sex Orationes protulit. Quatuor ex his habuerat in solemni Seminarii studiorum instauratione; ex duabus reliquis unam in funere Cardinalis Veronesii episcopi patavini, alteram eminentissimi Galli. His academicam exercitationem annexuit. Singularum titulos referam, confecta historia.

Et quod spectat ad primas quatuor, in iis scribendis suam quamdam rationem tenuit: Non enim peculiare aliquid pertractandum proposuit sibi in singulis, sed in unamquamque congessit longe plurima; unde appellari possent eruditae dissertationes. In his tamen sunt, quae ad oratoriam dignitatem assurgant. Duabus ultimis graviter et accurate persequitur laudes utriusque principis. Demum in exercitatione academica subtilia multa deprompta ex media philosophia. Post, nonnulla, ut ipse scribit (1), attexuit orationi, quae in funere Veronesii, et haec (paucis sive additis, seu mutatis, prout postulabat ratio temporis) veluti praefationem praemisit operi ejusdem postumo, quod anno 1783 Brixiae prodiit sic inscriptum: *De*

(1) Praefat. pag. 1.

*necessaria Fidelium communione cum apostolica Sede*. Hoc autem tribus mensibus ante obitum Cardinalis traditum ipsi fuerat, *ut testium, qui plurimi in eo citantur, fidem exploraret, indicaret sollicite loca singula, auctores omnes, editiones etiam, fideliter appellaret. Neque enim homini senectute confecto satis virium ad hunc laborem* (1). Sic ille rem narrans, ad vivum exprimit Cardinalem.

Fuerat jam antea coeptum consilium edendi *Lexicon totius latinitatis* a Forcellino confectum (2). Prodierat paulo ante postumum Scipionis Mapheii opus *De arte critica lapidaria*, per intervalla exaratum, separatis in schedis ab eo relictum, nec posteriore cura recognitum. Ibi vir totius antiquitatis peritus in inscriptiones quasdam inquirit ab eruditis jamdiu receptas, quas judicat ipse spurias, et in judicium rursus easdem pertrahit. Bellum gerit in plures lapides, reparare cupiens ab iisdem illata damna. Ab his enim perturbata temporum ratio, historiae labes inusta, invecta demum in Latium verba perpetuo exilio multanda. Hinc saepe nominat Lexicon patavinum (vetus nimirum illud Ambrosii Calepini), ac nimiam illorum fidem reprehendit, qui quaedam illi vocabula ex falsa lapidum auctoritate addiderunt. Cum igitur Forcellinus ea ipsa a Maphejo explosa ex Calepini lexico in suum transtulerit, ne quid detrimenti caperet novum opus, Cognolatus rem hanc expendere jus-

(1) Ibidem pag. 9.
(2) Vide ejus vitam pag. 176.

sus fuit. Tunc enim a Seminario discesserat Forcellinus, neque antea potuit ex opere Mapheji proficere.

Eas itaque voces legit Cajetanus, quas Maphejus vel dubias habet, vel prorsus rejicit; Forcellinus autem et certas putat, et Latio donat; mox idem subjicit: *has ego nunc ob oculos ponam . . . . . ipsas plerumque tabulas* ( unde scilicet eae desumptae ) *ut ipsae quodammodo pro se loquantur. Dicam ego aliquid aliquando, verecunde tamen ac dubitanter* (1). Sic is prae modestia. Ceterum rem aggressus multam et ipse praefert intelligentiam rei lapidariae. Ubi Maphejus certis principiis nixus errorem arguit, consentientem habet Cognolatum (2); alibi vero hic cum eo congreditur, nunc ejus, quem Scipio, ut ignotum, negligit, auctoritatem vindicans et opponens (3): nunc provocans ad alias tabulas et alia marmora (4): nunc ad eadem, sed accuratius a Forcellino explorata (5); ad peritissimos antiquitatis interpretes (6). His idem videtur uti familiarissime; maxime vero Ursato, Fabretto, Montfauconio, Muratorio. Quin eum non semel refellit suis doctrinis (7). Solers in omnibus examinandi studium, prudensque judicium. Id arrisit plurimum eruditis.

(1) In praef. Forcellini lexico praemissa pag. XI.
(2) Ibidem pag. XV.
(3) Ibidem pag. XXIV.
(4) Ibid. pag. XIII. XV. XVI.
(5) Ibid. pag. XVII.
(6) Ibid.
(7) Ibid. pag. XIII. et alibi.

Litterariae ephemerides mediolanenses de hac praefatione multa cum laude (1). Commendant etiam praemissam epistolam ad eminentissimum Cardinalem Priolum episcopum patavinum, cui opus hoc dicatum. Cum istis omnino concinit clarissimus Cesarottus in epistola ad Deninam (2). Ex iis porro, quae novissime accepimus, eo semper ipsum contulisse novimus sua consilia, ut ejusdem operis decus augeret.

Hoc absoluto negotio, abiens perrexit Montemsilicem, ubi non multo ante canonicatu auctus fuerat; quem dimisit anno 1783 suffectus in locum Angeli Sclavetti (3) ibidem canonici theologi et in Archigymnasio patavino professoris, tum vita functi. Numquam tamen pristinus ardor in eo refrixit. Quidquid supererat sibi temporis ab exercitatione sui muneris, id impendebat in studia. Haec oblivisci non poterat vir iisdem a puero deditus. Solebat assidue legere, commentari et scribere.

Prae ceteris autem scripsit epistolam anno 1785 Cal. Septembris ad Joannem Hieronymum Gradonicum archiepiscopum utinensem, quam anno proxime sequente Seminarii patavini typis vulgavit, cum archiepiscopus obiisset pridie Cal. Julias hujus ejusdem anni. Quare ille sic: *Nos illi, quae possumus, justa*

(1) Gazzetta letteraria di Milano ann. 1774 n. 25. pag. 193.

(2) Pag. 113.

(3) Vide ejus vitam pag. 252.

*persolvimus, edita epistola, quae dum scriberetur, tantum abfuit ab assentandi voluntate, quantum aberat a necessitate* (1). Cur eam scripserit, causam aperit epistolae ipsius initio. Ne scilicet suspicionem praeberet animi, vel angusti, vel non sentientis quae acceperit: summam enim archiepiscopi humanitatem Utini expertus fuerat, cum ad eum adiisset. De cujus pietate ac religione, doctrina, prudentia, magnificentia ample admodum in hac epistola, quae appellari posset elogium splendidum.

Octo circiter annos post iisdem typis donavit luce publica alium librum hunc titulum praeferentem: *Saggio di memorie della terra di Monselice, di sue sette chiese, del Santuario in esse aperto ultimamente*. Duabus hic partibus constat, ac prima quidem adumbrat, quasi in tabula, civiles vices, quibus illud oppidum obnoxium fuit, et magnarum rerum eventa. Affert etiam monumenta plurima pertinentia ad ipsum. Prima latet illius origo. Ab anno tantum quingentesimo sexagesimo octavo fit ab historicis ejus mentio. Monet se non integram loci hujus historiam dare. Quae de eodem scripsit, praemittit ad majus decus et intelligentiam alterius partis, quam sibi in primis proposuit ad illustrandum: ubi multiplex eruditio. Ibi de septem ecclesiis Montissilicis (2) et privilegiis, iisdem apostolica largitate concessis (3);

(1) Initio statim in annotatione subjecta.

(2) Pag. 57., 58. et seq.

(3) Pag. 58., 59., 60., 62., 63., 64.

de Sacrario, quod occurrit in ecclesia principe ex illis septem, et plura continet Sanctorum Martyrum corpora, multasque reliquias prorsus insignes; de ipsorum corporum in illud oppidum translatione (1); de signis ac notis, unde martyrium proditur (2); de sigillis ac litteris diligenter expensis, et legitima auctoritate recognitis (3); de aliis plurimis, quae omnia ad leges criticae severioris expensa valent mirum quantum ad excitandam admirationem in ea sacra pignora. Opus enimvero litterato, et ecclesiastico viro dignum! Et hac praesertim aetate utile, qua non edmodum pietas viget, imo multis eget incitamentis. Huic operi praemittit epistolam ad Hieronymum Ascanium Molinum, praestantissimum senatorem et virum eruditum vel maxime et litteratum.

Plurimum enim viros colebat litteratos, solitus eosdem honesto quovis officio prosequi; Stellinum prae ceteris in Archigymnasio patavino celebrem ethices professorem, multiplici scientia instructum; qui faciebat et ipsum plurimi, ut patet ex ejus ad ipsum litteris (4): plurimi quoque Leonardus Targa vir eximius in arte medica, ejus opera et consilio adhibito in recensione operum Auli Cornelii Celsi Seminarii patavini typis vulgata ann. 1769. Idem fruebatur in-

(1) Pag. 59.
(2) Pag. 70. et seq.
(3) Pag. 64.
(4) Opere varie di Giacopo Stellini Vol. VI pag. 253. e seguenti.

super amicitia comitis Aurelii Guarnieri Ottoni (1), magni nominis antiquarii, per epistolas mutuas inita. Sibi plurimum devinxerat Jacobum quoque Bellogradum mathematicum tota Europa celeberrimum (2), et clarissimum Brunatium, qui non raro ad eum ventitabat (3). Conjunctissimum vero habuit Franciscum Scipionem ab Horologio, Praesulem non dignitate minus, quam eruditis monumentis illustrem. Apud hunc diversabatur quoties Patavium veniebat, vel ab aetate ineunte altus in ejus domo. Nec italos tantum, plures praeterea ex exteris, ex Anglis scilicet ac Germanis habuit sibi deditos et addictos; cum his litteraria illi erat consuetudo, cum his ille agebat de rebus politioris litteraturae, gravioribus etiam disciplinis ac studiis par. Inscribendorum lapidum cura exercitus multorum rogatu edidit plures titulos cum industria.

Ad haec ornamenta ingenii magna fiebat accessio laudis ab ejus moribus. Erant hi integri, liberales, ingenui. Adeuntibus facilem se praebebat Cajetanus, iisdemque aderat, ubi opus esset. Suos tamen sensus prodere omnibus non solebat. Celare sapienter noverat animi sui consilia, rem aliquando referens ad arcanum. In Seminarium patavinum propensus, vel absens studuit ejusdem gloriae. Liberales artes

(1) Vide epistolam ad Hieronymum Ascanium Molinum pag. IX. praemissam operi, quod inscribitur: *Saggio di memorie della terra di Monselice* ecc.

(2) Vide ejus vitam pag. 269.

(3) Vide ejus vitam pag. 334.

impense coluit, vitam in has insumpsit. Amabat in cultu vitae munditiem, in familiari sermone magniloquentiam, et urbanos sales. Comis in omnes, munificum se praebuit in pauperes, praecipue in Virgines sacris claustris addictas. Ingens pietatis cura et Religionis; utramque promovit suis laboribus et scriptis, verbo et exemplo.

Quam sedulo obibat utrumque munus, et canonici scilicet et vicarii foranei! Utrumque onus magna dignitate sustinuit; et vicarii praesertim partes tanta solertia implevit, ut videretur episcopalis consultor.

Quartum et septuagesimum aetatis annum exegerat, cum derepente mors superveniens eumdem sustulit perculsum ἀποπληξίᾳ IV Idus Decembris ann. 1802, moerentibus omnibus ejus virtutis consciis.

## CAJETANI COGNOLATI OPERA EDITA

De inaequali scientiarum et artium progressione ejusque causis, Oratio 1.

De iis voluptatibus quae ex artium imitatione gignuntur, Oratio 2.

De eloquentia, Oratio 3.

De eo mentis sensu, quem gustum dicimus, Oratio 4.

In funere Cardinalis Veronesii, Oratio V.

In funere Cardinalis Galli, Orat. 6.

Quae adjumenta et commoda, quae impedimenta ac damna afferat imaginandi facultas, Exercitatio academica. Patavii typis Seminarii ann. 1769 in 8.

Epistola latina ad Leonardum Targam. Exst. in hujus recensione operum Cornelii Celsi edit. Seminarii patav. ann. 1769 pag. 542., et in edit. veron. ann. 1810 pag. 434.

Praefatio in Lexicon totius latinitatis et epistola ad em. Cardinalem Priolum episcopum patavinum edit. ann. 1771. et ab auctore castigata in edit. ann. 1805.

Praefatio in opus postumum Cardinalis Veronesii; *De necessaria Fidelium communione cum apostolica Sede*, Brixiae typis Danielis Berlendis ann. 1783 in 4.

Epistola ad Joannem Hieronymum Gradonicum archiep. utinensem. Patavii typis Seminarii ann. 1786 in 4.

Saggio di memorie della terra di Monselice, di sue sette chiese, del Santuario in esse ultimamente aperto. Ivi ann. 1794 in 4.

# VITAE

*quarum illae quae hisce typis nunc primum editae, hanc habent notam* *


* *Barbadici Jo. Francisci Card.* . . . Pag. 228
* *Bartholi Josephi* . . . . . 350
*Bassani Andreae* in annot. . . . . 131
* *Bassi Joannis* . . . . . 234
* *Bellogradi Alphonsi* in annot. . . . . 287
* *Bellogradi Jacobi* . . . . . 269
* *Boaretti Francisci* . . . . . 413
*Brigentii Andreae* in annot. . . . . 141
* *Brunatii Joannis* . . . . . 334
*Canalis Francisci* . . . . . 96
*Canalis Jo. Baptistae* in annot. . . . . 99
* *Cognolati Cajetani* . . . . . 429
*Coppo Petri Antonii* in annot. . . . . 105
*Facciolati Jacobi* . . . . . 115
* *Faccioli Petri* . . . . . 312
*Ferratii M. Antonii* . . . . . 84
*Forcellini Aegidii* . . . . . 176
* *Forcellini Huberti* in annot. . . . . ibid.
* *Forcellini M. Antonii* . . . . . 325
*Franzoni Sebastiani* . . . . . 140
*Fugae Vincentii* in annot. . . . . 187
*Jacobetti Jacobi* . . . . . 102
* *Judici Antonii* . . . . . 258

* *Lastesii Natalis* . . . . . Pag. 297
* *Maggiae Andreae* in annot. . . . . 414
*Melchiorii Sebastiani* in annot. . . . . 86
* *Olivae Joannis* . . . . . 237
*Pasini Josephi* . . . . . 155
*Porretti Ferdinandi* in annot. . . . . 101
*Rinaldi Josephi* . . . . . 204
* *Rotae Vincentii* . . . . . 263
*Sandini Antonii* . . . . . 186
* *Scardonae Jo. Francisci* . . . . . 375
* *Sclavetti Angeli* . . . . . 252
*Sibiliati Clementis* . . . . . 213
* *Toaldi Josephi* . . . . . 386
*Trivellati M. Antonii* , . . . . . 166
*Verii Michaelis* . . . . . 75
*Zanolini Antonii* . . . . . 196

# INDEX

## A

Academiae schola in patavino Seminario quae sit, quique primum huic uni operam dederit pag. 116.

Agapitus de Valle Flemmarum linguae arabicae in Seminario professor 28.

Agnellinus Timotheus archiepiscopus Mardini linguas orientales in Sem. docuit 28, 97. Ibid. praefuit typographiae 57.

Alcoranus cum latina versione et refutat. editus 57.

Alembertius notatus 219.

Ascolanus Ferdin. in Seminar. theolog. prof. 28, 62.

Assemanus Simeon in Seminario linguar. orientalium professor 401.

Averanius Nicolaus laudatus 62, 86.

## B

Barbadicae gentis historia Semin. typ. vulgata 232.

Barbadicus beatus Gregorius paucis delineatus 5, Quando in novas aedes Seminarium transtulerit 7. Quanta ejus in hoc vigilantia et disciplinae studium 9. Ipsius benignitas in Semin. Alumnos 14. Pietatem promovet modis omnibus 16. Domesticam clericorum congregationem instituit 25. Quam sollicitum eum habuerit studiorum cura 26. In Seminarium ejusque Alumnos Gregorii propensio 41, beneficentia 43, liberalitas prorsus mirifica 47. Multimodis praeceptores praemio afficiebat 48. Sem. Alumnum perculsum fulmine ad vitam revocat 49. Suis in Seminarium beneficiis Ec-

clesiae utilitatem spectabat 52. Typographiam in Seminario instruit 56. Quosnam et quomodo ad eamdem instituendos curaret 58. Trestense collegium condit 66. B. Gregorii mors 68. Idem in Beator. album ann. 1762 relatus 519. Sebastianum Franzonum graviter aegrotantem pristinae incolumitati restituit 151.

Barbadicus Jo. Francisc. Card. a Sebast. Franzono laudatus 143.

Barbadicus Petrus Seminarii patav. alumnus 340.

Bellogradus Carolus in Sem. patav. institutus 270.

Bellogradus Franc. litteras ac scientias in patav. Seminario coluit 271.

Benedictus XIV in Facciolatum benevolus 128. Quanti Sandinum fecerit 189. Opera sua dono misit bibliothecae Semin. 217.

Benetellus Aloys. Maria hebraicae linguae in Seminario professor 28. In publica disputatione ibidem lingua hebraica disseruit 156.

Bibliotheca Sem. patav. a B. Gregorio instructa 46. Nova ejusdem aula a Card. Jo. Francisco Barbadico exstructa 232. A Francisco Canale rarissimis libris aucta 97. Quando a bibliothecae cura studiorum praefectus destiterit 118.

Borgia Stephanus Card. eruditissimus 401.

Briccius Ant. Aloysius Sem. patav. alumnus 397.

Brontura Jo. Antonius laudatus 148.

Bussolus Fr. Horatius laudatus 149, 309.

C

Calepini lexicon expurgatum et auctum a Jacobo Sartori, Jacobo Facciolato et Aegidio Forcellino 117.

Carolus Borromaeus S. peculiaris Sem. patronus 25.

Casanata Hieronymus Card. optime sensit de M. Antonio Ferratio 85.

Casimirus S. castitatem colentium patronus 24.

Ceratus Dominicus Semin. alumnus et architecturae P. professor 388.

Ceratus Paulus in publicum praeceptorem Patavii eligitur 146.

Clericatus Joannes iis Seminariensibus praeficitur, qui in concionandi arte instituebantur 38.

Clerici quinam in Seminarium exciperentur a B. Gregorio 10, 34. Ii tantummodo sacris ordinibus initiabantur, quorum mores et doctrina Gregorio perspecta 10. Quaenam eorumdem quotidianae disciplinae institutio *ibid.* Quanta in iis urbanitas et modestia requirebatur 11. Cujusmodi in eos Gregorii cura dum vacationum tempore Seminario aberant 13. Quando in Seminarium regredi cogerentur *ibid.* Domestica clericorum congregatio in Seminario statuta 25. De B. Gregorii in clericos munificentia 42.

Concordiense Seminarium ad patavini normam erectum 63.

D

Dandinus Herc. Franciscus magnifice praedicat de institutionibus logicis Facciolati 124.

Danetii lexicon criticas subiit animadversiones Facciolati 126.

Dioeceseos conditionem Seminarium facit 8.

Doleonius Franciscus a Sebastiano Franzono funebri oratione laudatus 142.

E

Eclipsis solis et lunae poetica descriptio 275.

Episcopus, cui optimum deest Seminarium clericorum, recte dioeceseos regendae praesidio caret 7.

F

Faber Victor in Sem. patav. philosophiae prof. 177.

Fabronius Angelus Sibiliatum amicum laudat 224.

Facciolatus Jacobus a Lusitaniae rege magni habitus 127. Quanti fieret a Benedicto XIV 128. Ejus nomen vel in America perillustre *ibid*. Ejusdem institutiones logicae a Dandino celebratae 124. A Vincentio Rota notatus 265.

Fanzagus Franciscus laudatus 268, 369.

Ferratius M. Antonius B. Gregorii malleus dictus 92.

Ferro Joannes celebratur 384.

G

Geographicae tabulae typis Seminarii editae 99.

Gozius Caspar de Sebastiano Franzono praeclare sentit 146. Illi anteponitur Sibiliatus 218.

Gymnasii patavini historiam scribere jussus est Facciolatus 125, deinde Lastesius 300.

I

Irruinus Joannes scoticus linguae graecae in Seminario professor 27.

Justinianus Hier. Ascanius Jacobetti judicio subjicit suam versionem italam orationum Demosthenis 103.

L

Lastesius Natalis postponitur Sibiliato 218.

Lazzarinus Dominicus Jacobum Jacobettum consulit 103. Idem favet Josepho Bartholo 352.

Legle (alias Leslie) Guilielmus scoticus in Seminario theologiae prof., postea Vacciae, dein Lubianae episcopus 27.

Linguae orientales cur in Seminarium accitae 52.

Lorenzonus Laurentius studiorum praefect. 206, 430.

M

Melchiorius Sebastianus junior laudatus 87.

Morgagnus Jo. Baptista carissimum habuit Aegidium Forcellinum 185.

Muratorius Ludov. Antonius magnifice sentit de Sebastiano Franzono 145.

N

Nicolai Jo. Baptista Toaldo prae ceteris carus 405.

Nicolsonus ab. scoticus in Seminario mathesin docuit, postea studiis praefuit 27. In Angliam mittitur 53.

Nigronius Card. sacerdotum collegio a se Romae instituto Seminarii patavini alumnum praeficit 63.

O

Oblatorum congregatio ejusque utilitas 36. Quinam in eamdem admitterentur 99.

Ochmanus Dionysius in Hibernia natus theologiam docuit in Seminario 28.

P

Philippus Nerius S. Seminariensium patronus 25.

Piazza Bartholomaeus in Seminarii patavini rectorem Mediolano accitus 8.

Pietas a B. Gregorio multimodis in Seminario promota 16.

Pimbiolus de Engelfreddis Franciscus Sibiliatum carminibus deflet 226.

Praefectus studiorum olim in Academiae schola professor 116. Idem bibliothecae custos 118. Quando istiusmodi oneribus levatus 116, 118. Studiis qui hac-

tenus praefuerunt ( post Astorium , Martialem , Gulinum et Irruinum ) Nicolsonus 27, Ferratius 85, Melchiorius 86, Coppo 105, Jacobettus *ibid.*; Facciolatus 117, Franzonus 143, Rinaldus 204, Lorenzonus 206, Cognolatus 429, Ferrari XXVI, Melan VII.

Pyraustae heroica virtus a Mich. Vetio in lucem posita 80.

R

Religionis utilitatem B. Gregorius Seminario suo promovendam curabat 52.

Rhodigino in Seminario litteras docuit Vincentius Rota 264.

S

Scholae exteriores Seminarii institutae 68. Ibidem ut in eodem Seminario adolescentes docentur 351.

Seminarium patavinum habuit primordia ann. 1571 in aedibus conducticiis 6. Quantula res fuerit usque ad ann. 1664. *ibid.* Anno 1671 in novas aedes transfertur, novisque reditibus locupletatur 7. Ejus disciplina 10. Seminarium praecipua Gregorii cura 35. Adeo in deliciis a B. Gregorio habitum , ut sui *cordis cor* illud appellaret 41. Quot beneficiis ab eodem cumulatum 43, 47. Iis patere solitum, qui persecutionem patiebantur propter justitiam 54. Ejus celebritas 60. Praestantes ejusdem alumni XL. Quae venerationis et laetitiae argumenta dederit, ubi Gregorius in Beatorum numerum relatus fuit 319.

Serry Jacobus Hyacinthus cum Sandino certamine litterario contendit 191.

Silvestris Camillus ( de ) M. Antonio Ferratio et Facciolato suam italam Juvenalis versionem expendendam

subjecit 90. Quam propensus, una cum filio et nepote, in Jo. Olivam 238, 242 et seqq.

Studiorum cura quam sollicitum B. Gregorium habuerit 26. Bis quoque anno quindecim dierum spatio eorumdem instituebatur examen 31.

T

Trestensis collegii institutio et fama 66.

Typographia a B. Gregorio in Seminario instituta 56. Quinam et quomodo ad eamdem instituerentur 58.

V

Vicarii foranei patavinae dioeceseos cur semel quotannis in Seminarium convenire juberentur 55.

Vicarius Vincentius Jac. Jacobetto amicissimus 111.

Vicetinum Seminarium rexerunt Joannes Bassus et Petrus Facciolus 235, 316.

Utinense Seminarium patavini Seminarii legibus institutum 63.

Vulpius Cajetanus in Fr. Canalis laudibus effusus 99.

Vulpius Jo. Anton. Jacobetti laudator maximus 111. Josephi Bartholi adhuc adolescentis poeticam indolem admiratur 352.

Walchius Chr. Guil. Franciscus Sandinum notat 192.

Z

Zenus Apostolus plaudit Georg. Card. Cornelio, quod Seminario acquisierit praestantissimam Alvarotti bibliothecam 98.

Zonca Petrus Seminarii alumnus laudatus 148.

| | | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|---|
| Pag. | lin. | | |
| 31 | 6 | praestabat | perstabat |
| 70 | 12 | prosequitur. | prosequimur. |
| 76 | 20 | XVII | XVIII |
| 87 | 15 | oullam | nullam |
| ibid. | 30 | in eo | ab eo |
| 106 | 8 | doctissisimo | doctissimo |
| 159 | 2 | *in fando* | *infando* |
| 161 | 15 | hinc | hic |
| 185 | 22 | praesentione | praesensione |
| 240 | 30 | Antonium | Antoninum |
| 243 | 10 | eumque | eamque |
| 292 | 15 | typist radiderat | typis tradiderat |
| 335 | 29 | 1830 | 1803 |
| 379 | 6 | peperat | pepererat |

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

004827337
3 2044 079 835 302